DE CURANDIS
HOMINUM MORBIS
EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

VOLUMEN V

MEDIOLANI

EX TYPIS GASPARIS TRUFFI ET SOCII


M.DCCC.XXXII.

BIBLIOTECA

PRATICA

MEDICO-CHIRURGICO-ANATOMICA

Classe Medica



MILANO
PER GLI EDITORI
M.DCCC.XXXII.

Non in humani profecto ingenii acumine sita est ars praestantissima, quam diligens, et accurata, et sagax notatio naturae, atque animadversio peperit; sed potius variis cujusque aetatis doctorum laboribus coacervata sapientia dicenda est, hominumque multorum mens in unum quasi collecta.

BAGLIVI. *De Praxi Medica, lib. I.*

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS
EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

EDITIO NOVA

CUI PRAEMITTITUR AUCTORIS BIOGRAPHIA
CURANTE N. M. SORMANI MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORE
AC NOSOCOMII CIVICI MEDIOLANENSIS M. A.

ACCEDUNT

EJUSDEM J. P. FRANK INTERPRETATIONES CLINICAE
UNA CUM DISSERTATIONE DE COLUMNAE VERTEBRALIS
IN MORBIS DIGNITATE

VOLUMEN QUINTUM
ET ULTIMUM

MEDIOLANI

EX TYPIS GASPARIS TRUFFI ET SOCII

M.DCCC.XXXII

DE CURANDIS RETENTIONIBUS

LIBRI VI. PARS III.

ORDO IV.

RETENTIONES CRUENTAE.

§. DCCCLV. *Retentiones cruentae definitio.*

Ubi corporis humani fluidum cruentum aut lege sexus, habitudinis, morbi, secernendum, aut jam secretum, qua ratione oporteret, non excernitur, *retentionem cruentam* id genus vitii vocamus (§. DCXCV). In libro de profluviis cruentis, et *congestionum*, *infarctuum*, *aneurysmatum* indolem, causas, effectus et prognosin exposuimus (§§. DLXI. DLXXIV.); eodem vero jure hos morbos ad *retentiones cruentas* referri licuisset, nisi modo illam cruoris, qui dictas ad leges vel secerni, vel excerni debuisset, stagnationem, suspensionem, hunc retentionum ad ordinem revocassemus. Juvabit interim ea, quae illinc exposuimus, et cum illis conferri.

§. DCCCLVI. *Molimina.*

Prodromi, quos aliae retentiones morbosae vix offerunt, *specifici*, sicut profluvia (§§. DLXXXIII. DXCI. DXCVIII. DCVI. DCXIII. DCXXX. DCXXXVII. DCXLIV. DCXLV.), ita et ipsas *epischeses* cruentas, sub nomine *moliminum*, saepe praecedunt, aut saltem earundem *periodum* adnuntiant. Quare duplex, hoc re-

tentionum in ordine, suppressionis natura est: una; scilicet, quae *profluvia*, — altera, quae ipsa simul *molimina* respicit: ut quorum cessatio, retentionum cruentarum illa (non absque magna prognosis differentia) vix non ubique tardius subintrat.

§. DCCCLVII. *Divisio.*

Quae lege sexus periodice nascuntur, suspenduntur, ac tandem abolescunt, secretiones sanguineae: earum quidem retentio, quousque hac a lege, menstruorum apud mulieres gravidas, nutrices, senescentes, exemplo, non aberrat, normalis est; quoties interim haec secretio vel tardius subintrat, vel parca nimis, vel magis aquosa, quam cruenta, vel cum difficultate absolvitur: ad retentiones cruentas ea, saltem *incompletas*, revocanda veniet, atque morborum aut mater aut filia est. Ex hoc, retentiones etiam *cruentas*, ut aliae epischeses sunt, vel *primarias*, vel *secundarias* aut *symptomaticas* esse; satis elucet. Utraque vero ex istis, nunc *acutorum* more profluviorum, cursu celeriore, — nunc vero, habitu *chronicorum* induta, lentius incedit; atque porro, nunc ex *virium* vel *superabundantia*, vel potius *jactura*, — nunc ex *locali*, seu organico *vitio*, — nunc vero ex *speciali constitutione* corporis, originem sumit. Etsi vero secretionum cruentarum, lege sexus, habitudinis, morbi, salutarium, retentiones, quocunque corporis in puncto, ubi sanguis secerni suevit, contingere queant; potissime tamen eaedem ad cava et vasa *uteri*, *narium* et *recti intestini* locum inveniunt; atque has retentiones, prae aliis, hîc loci considerandas nobis assumimus.

§. DCCCLVIII. *Symptomata generalia.*

Retentionum quidem cruentarum *symptomata*, pro ratione organorum, in quibus eae sedem sibi diversam eligunt, varia esse oportet; sunt interim aliqua eorum, quae singulis in genere satis competant. Ac *primó* quidem, *molimina*, quae stabilitas hucusque cruoris secretiones praecedere solebant (§. DCCCLVI.), his licet haud futuris, nihilominus fideliter subintrant, spemque aegrotantium, hoc modo, saltem per aliquot periodos, decipiunt. Tractu vero temporis, vel ipsa

secretionum cruentarum molimina prorsus evanescunt, et pristinae earumdem *periodi* omnis adeo deletur memoria. *Secundô*, sub retentionibus, tam adynamicis, quam sthenicis, quo loco illae subsistunt: repletionis, tensionis ingratae, nec non ponderis, caloris, saepe pruritus, sensatio percipitur, atque vel nervorum consensu, vel constructionis analogae, vel denique vasorum sibi communium imperio, ad partes a sede retentionis tam vicinas, quam satis distantes, propagantur. Praeterea, secretione cruoris vel normali, vel morbosa, hoc ad organon suppressa, *tertiô*, haud raro sanguis, ab illo secerni cohibitus (nisu quidem in partem hanc, vel illam, vix secure satis determinando, *aetatis* interim diversae ratione, aut ad nares, aut ad pulmones, aut haemorrhoidales ad vias praecipue directo) quasi pro supplemento, aut aliud, eventu frequenter magis infausto, convertitur. *Quartô*, secretio cruenta, inprimis normalis et critica, celeriter et in integrum suppressa, dirissimo saepe visceris ita oppleti incendio, suppurationi atque gangraenae occasionem largitur; vel saltem, ubi minor parenchymatis ita infarsi resistentia est: ejusdem partis duritiem post se relinquit. Est etiam, *quintô*, ubi secretionis, quae suppressa fuit, cruentae in locum, alia, nempe mucoso-lymphatica, viribus in longum inimica, — vel ad cutem impetigo, suo pruritu, inprimis nocturno, somnum atque refectionem vix non omnem excludens, succrescant.

§. DCCCLIX. *Causae.*

Si *causarum*, quae *profluvia* producunt, doctrinam vacillare, fassi jam sumus (DLXXXIV); de illarum, quae *retentiones in genere* progignant, cognitione non est, cur multum gloriemur; nec minus curta, in causis, quae *cruentas* concernunt, quam quae decem abhinc annis fuit (DCCCXCVIII.), nobis est supellex. Sors medicae scientiae, hypothesibus innixae, eheu! talis est (interest autem, et saeculi decimi noni, et patriae maxime nostrae, in memoriam haec revocari), ut passibus modo retrogradis illam incedere, — et a sola nuditatis propriae conscientia eamdem promoveri concessum sit. Quas Veteres cruentarum causas re-

tentionum in partis adfectae *intemperiem calidam*, vel *frigidam*, *in bilem atram*, ac *sanguinem spissum*, *adustum*, aut *viscidum* posuerant: has aetas posterior, principiis, nunc mechanicis, nunc mathematicis, nunc chemicis indulgens, praeter *sanguinis morbosam densitatem*, *acrimonias* diversas, vel in *emphraxi*, vel in *stenochoria*, vel in *thlipsi*, vel in *synizesi*, vel demum in *symphysi* quaesivit. Vitalis tandem principii in corporis animalis functiones, tum sanas, tum abnormes, influxum, ex justis rationibus admittere coacti, in definiendo impenetrabili hocce principio, ac in erigenda nova, *nervorum* scilicet, tyrannide, sudarunt: quo regno vix non subverso, *chemia*, priore longe cultior, sceptro potita est; hujus interim dominio insidiatur jam *metaphysica*, et mysticum, sive prorsum aethereum sibi solium aedificat. Quod si nobis, hac sub confusione opinionum vere babylonica, cum historiae naturalis parente exclamare liceret: « scrutare tu causas, potes enim, quae tanta miracula efficiunt; mihi abunde erit, si satis expressero quid efficitur », sed in morbis hominum curandis, sanandis, quid sola aegritudinum, — cognitione earumdem scaturiginis destituta descriptio? Sub velo quidem nimis denso, quam ut humani acies oculi hoc penetret, natura operatur; sed approximari ea hunc sinit, et casus fortuitus atque repetita, absque praeconcepta opinione, observatio, nisi ipsum hoc velum intuentibus elevet; sonora tamen satis voce intelligentibus loquitur atque, si fontem minime ipsum,—ejusdem tamen confinia, ex quibus ad istius indolem et directionem concludi queat, perlustrari concedit. Hanc igitur viam, de *causis retentionum in genere* loquentes (§. DCXCVIII.), sumus ingressi, atque non modo tres, quas hucusque descripsimus, retentionum, id est, *aërearum*, *serosarum*, *mucoso-lymphaticarum* species (§§. DCCXXVIII. DCCXLVIII. DCCXCIII. DCCCVIII. DCCCXXII. DCCCXXVIII. DCCCXXXV. DCCCXLV.), sed et illas, de quibus nunc sermo est, *retentiones*, scilicet *cruentas*, — quidquod ipsa *sanguinis profluvia*, his, primo aspectu, e diametro opposita (§. CDLXVI), causas plerumque haud diversas, quod ex descriptione earundem speciali magis patebit, agnoscere, tam ex-

perientia, quam ratione mansimus convicti. Non paucae sane retentiones cruentae, *cordis vasorumque nimio a stimulo* nascuntur; numerus interim illarum facile maximus, *atoniam*, ac systematis nervosi sub ista motus abnormes, pro causa agnoscit. Ex *vitio* demum *locali* hinc inde cruoris secretio, — saepius vero excretio, arcetur.

§. DCCCLX. *Prognosis ac therapia*

Quo loco retentionum in genere *prognosin* exposuimus (§. DCIC.), eo quoque fata, quae cruoris, lege sexus, habitudinis, morborum, secernendi, excernendi, suspensionem, stagnationem sequuntur, simul indicavimus. Etsi vero causas hujus status abnormis, cum illis *profluviorum* saepe convenire monuerimus (§§. CDLXVI. DCCCLXIX.); utriusque tamen affectionis vasorum *prognosin* differt in eo: quod, ubi *sanguinis profluvia*, quidquam conspicua, nec a plethora, nec a nimia cruoris, suos in canales actione exorta, *virium jacturam* inducunt; *retentio cruenta*, nisi prorsus jam exhaustis in subjectis, vitium contrarium, atque tam partium, cruoris secretioni, excretioni dicatarum, quam aliarum incendia, abscessus, et secretiones, consolidationes morbosas variae indolis, excitet. Sic etiam, quando *profluvia cruoris* copiosi aut ex viis insolitis, nobilioribus, praecipitati, mentem aegrorum vehementer concutiunt, ac motus nervorum, morbi characterem principalis obfuscantes, longeque a vero alienum mentientes, producunt; *retentiones cruentae*, inprimis ubi nec secretionis molimina consuetae praecesserint, nec febris, nec dolores acuti sequantur, insidiose magis incedunt, — atque si graviter ferantur; non tamen animum dejiciunt, nec saltem tam prompte nervos perturbant. Quemadmodum autem profluvia cruenta, retentiones hujus indolis saepe post se trahunt: ita quoque hae ipsae. haemorrhagias, tam ad retentionis sedem, quam aliam quamcunque ad partem, facile provocant. Propriam cuivis ex retentionibus cruentis prognosin, sub speciali earum consideratione exponemus.

Nec minus, quae *curandarum retentionum* praecepta generatim tradidimus (§. DCC.), ea cum iis,

quae *epischeses cruentas* universe concernunt, conveniunt, nosque in illa, quae *speciebus* praecipuis istarum sunt propria, nunc magis attentos, ne sub lectorum fastidio, tempus in repetendis principiis eisdem teramus, dispensant.

ORDO IV. GENUS I.

AMENORRHOEA.

§. DCCCLXI. *Instituti ratio.*

Quo hujus operis loco, tributi cruenti, soli feminae humanae a natura impositi, redundantiam consideravimus: eo simul miri hujus phaenomeni, tam sani, quam abnormis, rationes, pro physiologiae, hypothesibus exemptae, paupertate, sat aequa bilance ponderavimus (§§. DCXLI. — DCXLIV.); nunc autem de vitio, *metrorrhagiae* opposito, quod nosologi *amenorrhoeam*, *menischesim*, *menostasiam*, *ischomeniam*, *dysmeniam*, vocarunt, nobis agendum est. Primum ex his nominibus, jure civitatis jam diu donatum, absque injuria in reliqua, et nos retinebimus.

§. DCCCLXII. *Definitio amenorrhoeae.*

Est vero *amenorrhoea*, sanguinis, a genitalibus, ad leges aetatis, sanitatis, constitutionis, periodice secernendi, excernendi, aut morbosa retardatio, difficultas, paucitas, decoloratio, aut perfecta suppressio.

§. DCCCLXIII. *Pubertas.*

Sexui utrique *aetas modo una*, et quidem inaequalis, a natura concessa fuit: quo vitae stadio tandem percurso, nec *virum*, nec *feminam* vocari hominem, satis congruit. Orditur vero haec aetas *pubertatis* ab epocha; et facultate generandi, nullius morbi ratione,

deposita, deletur. Pro coeli, temperamenti, educationis, tam physicae, quam moralis, alimentorum, potulentorum, ac vitae generis conditione diversa, ocyus vel tardius pubertas evolvitur (§. DCXLI.); sed nullum, praeter genitalia, est organon, quod provida natura tot per annos, atque tam sollicite, *futuros modo, nec tamen seros vitae in annos*, incubet. Quod si fervidioris coeli apud incolas, vel apud illos, quos praecocis exempla libidinis trahunt, genitalium magis festinet maturitas; non igitur his diuturnius, sed saepe brevius, quam septentrionis filiis, aut bene moratae utriusque sexus juventuti, functionis istorum proliferae conceditur beneficium. Aliam vero longe pubertatem, quam solam *coëundi concipiendique* capacitatem, *reipublicae* integritas sibi exigit; nec illa cum ista, sed modo cum ea vitae periodo, qua suam corpus proceritatem ac firmitatem attigit, atque tam procreandae, quam excludendae proli vegetae civicisque officiis quondam subeundis idoneae, par est, convenit. Neque cruoris per uterum secretio, excretio, licet aliquamdiu periodica, — neque istius, aliquot saltem a conjugio per annos, defectus, dum et teneras unius, trium quatuorve annorum puellulas has absolvisse; — dum et virgines, prima necdum menstrua expertas, nihilominus concepisse, exemplis, tam alienis, quam nobis propriis, constet (§. DCXLI.), *pubertatem* absolute ac ubique constituunt. Mulierem adeo trium jam prolium matrem felicem, quin unquam aut *menstrua*, aut *lochia* passa fuisset, in clinico *Ticinensi* Instituto curavimus; tresve alias tractavimus uxores, quae lochia quidem, ut aliae, e partu repetito, — catamenia tamen ipsa, nunquam excreverant. Similia, quamplurima exempla referuntur ab aliis. Has igitur feminas, fibra plerumque firmiore, mammis minoribus, et graciliore corpore instructas, quibus nunquam, citra salutis incommodum, menstrua fluxerunt, quasi virilem naturam induissent, *viragines* vocarunt. Fuit adeo, quae nisi utero ferret, menstrua nunquam experta est, mulier.

Concludimus ex istis; catameniorum apparitionem, unum quidem esse ex signis potioribus, quae de uteri evolutione, incremento, vasorumque ejus ad *irrigan-*

dum hunc agrum, dispositione testentur; esse tamen uteros, qui, licet cruore necdum redundent eumque periodice effundant, germini tamen humano et concipiendo, et nutriendo, non minus aptos sese ostenderint; ac tandem, aliud longe, quamvis incognitum, *vitalitatis uterinae* principium, illi, quod caeterorum animalium in feminis viget, non absimile, subsistere: quod, posita normali genitalium fabrica, tributum quidem his cruoris menstruum generatim imposuit; nec tamen idcirco ab utero quovis, eodem rigore atque *sterilitatis* perpetuae sub poena, sibi exigit.

§. DCCCLXIV. *Amenorrhoeae divisio.*

De catameniorum sub *graviditate*, ac *lactatione* suspensione *normali* hîc silemus. Quamvis autem et *provectae aetatis* tristi privilegio, uterus tributo cruento eximatur; cum tamen feminas haud paucas, vestigia istius longe magis, quam prima ejusdem impositio, afficiant; hujus quoque retentionis, sub *amenorrhoeae senescentium* epitheto, mentionem injiciemus. *Abnormes* autem inter retentiones hîc praecedat prima cruoris ex utero virgineo laboriosa nimis, ac in longum ducta secretio, cui *amenorrhoeae tirunculurum* nomen imponimus. Sensu iterum largiore, non minus ad retentiones revocabimus, ubicunque cruor fluit quidem; sed ratione aetatis, constitutionis, moliminum, modo paucus, isque parum sincerus, pallidus aut prorsus mucosus, serosus, aut vero difficulter, excernitur: *amenorrhoeam stillatitiam*, *laboriosam*, nominabimus. Saepe menstruus fluxus non adeo suspenditur, aut justo parcior est, quam praescripta modo periodo tardius subintrat: *amenorrhoeam circumscriptam* appellamus. Ubi vero in aetate, menstruorum secretioni destinata, haec ipsa mulieri, caeterum sanae, sine excretionis eorundem obstaculo, vel nunquam fluxerunt, vel absque graviditatis aut lactationis rationibus, quin alia secretio vicaria suppleverit, pluresque per menses, aut annos, in totum disparuerint: *amenorrhoeam completam* nuncupamus. Aliquando ab *uteri vitio organico*, non tam congenito, quam ex morbis, laesione praegressis, inducto, cohibetur ulterior cruoris in eodem secretio: atque haec nobis dicitur *amenor-*

rhoea organica. Ubi menstrua, jam secreta, mechanici ratione obstaculi, ex utero defluere nequeunt: *amenorrhoeam ex interceptione* vocabimus. Per *amenorrhoeam senescentium*, intelligimus, uterini sanguinis, secretionem, inter annum aetatis quadragesimum circiter et quinquagesimum, haud amplius *menstruam*, sed hinc inde modo ac longe tardius, donec omnis cessaverit, sub salute mulierum frequenter ambigua, reverti solitam. Ubi ex cruoris inopia viriumque jactura sanguinem periodice secernere recusat uterus: *retentio adynamica*, — *hypersthenica* vero, ubi vires praedominant stimulusque cordis et vasorum aequo major secretionem eodem in organo suffocat, nascetur. Nunc *subito*, nunc *lente* supprimuntur menstrua: atque primo in casu, plerumque morbi *febrilis*, *acuti*, aut pathematis animi fortioris, haec suppressio effectus, — aliquando et causa est; in altero vero, *chronica* facile affectio retentionem aut inducit, aut ab eadem ipsa inducitur.

§. DCCCLXV. *Amenorrhoea tiruncularum.* — *Chlorosis.*

Quae de *amenorrhoea tiruncularum* jam diximus (§. DCXLI.), juvabit ea, ut suo potissime loco, hîc repeti; » Sub *genitalium*, futurum generationis ad opus, *evolutione*, in teneris puellis, dolores lumborum, ad pelvim continuati, crurumque lassitudo, phlogoses, rubores, capitis dolores, pustulae passim, et inprimis in facie, efflorescentes, oculorum splendor, pulsus celeres, robustiores, etiam dicroti, mammillarum tensiones ac celerius incrementum, summa animi sensibilitas, morositas, lassitudinis sensus, colici interdum dolores, humoris serosi, albicantis, per vaginam effluxus, adnotanda occurrunt ». Hisce symptomatis et alia in aliis sese adsociant, utpote: cereus totius corporis color, turgidula faciei constitutio, cum quadam inflatione, quae in palpebris, praesertim mane post somnum, conspectui se offert; respirationis, sub corporis motu, quamvis moderato, difficultas, cum pulsu arteriarum colli ac temporum valde conspicuo; ventriculi inertia, ructus, appetitus ciborum depravatus, nausea, pica, malacia, soda, epigastrii ardores,

vomituritio, vomitus, oscitatio, pandieulatio frequens, solitudinis amor, tristitia, faeilitas in lacrymas, irascibilitas, somnolentia eontinua, insomnia terrifica, ineubus, urinae mox aquosae, mox turbidae, extremitatum frigus, pedum ad vesperas tumor aquosus, lipothymiae, syneope, inprimis dum in locis publieis ac templis paulo diutius ac genubus inflexae, morantur; vertigo, aurium tinnitus, tensio nuehae, epistaxis, vel sanguinis alia ad loca congestio. « In nonnullis, a menstruorum suppressione tumores suseitantur periodice in brachio, vel alia in parte, rubieundi et dolentes, qui, sponte rupti, sanguinem stillatim, spatio aliquot dierum, egerunt; aut sine ruptura et profusione sanguinis, post aliquot dierum decursum, iterum sensim subsident et evaneseunt ». Puellae maturae ac vegetae, longe prius, ae menstrua proruperint, venam saphenam, singulis mensibus, et quidem in uno tantum pede prope malleolum, per totidem dies, ac in aliis menstrua solent, insigniter intumuisse, rubuisse, doluisse, postea vero placide subsedisse, palluisse, conspeximus; atque tam hoeee in casu, quam in illo, quo vix prima eruoris unda uterum deseruit, hic vero, vel sine causa cognita, seeretorio hoe ab opere destitit: tam tenera, quam adulta in aetate, haud raro sanguis aliam ad partem conversus, ex ista, e naribus, canthis oeulorum, auribus, pulmonibus, ventrieulo, intestinis, digitorum ex apieibus, ex uberum papillis, aliisque e loeis, vel sine vasorum laesione, non minus in quibusdam, haud interim in omnibus, *periodice* destillat; vel alia seeretio, serosa, mueosa, vel ad eutem impetigo, excitantur.

Quod si nune majorem ad gradum hae turbae aseendant; morbus subnaseitur, quem, *cachexiis* antheac adseriptum, non prius, ac saeeulo deeimo sexto, *chlorosin*, *febrem albam*, *amatoriam*, inepto partim nomine, voearunt, ae non minus injuste (quod jam sex ante lustra publiee docuimus) ad *specificae aegritudinis* dignitatem evexerunt nosologi. Primus hujus tituli auetor, diversarum regionum *vulgus* fuit; ut qui prineipalem hujus affectionis characterem a *colore faciei* aegrotantium *pallido* et ex *flavo-viridescente*, *prasino*, quin tamen albuginea oculi flaveseeret, pe-

tierat, ac *icteri* adeo *albi* nomine illam donaverat. Cum vero idem hic vulgus, quarumdam sanitatem virginum, hoc modo affectarum, a contracto connubio reverti vidisset; ardenti istius desiderio has pridem laborasse, de multis praepostere conclusit. Quin autem in sic dicta chlorosi, nisi jam non parum provecta, *febrim* artis professores veram animadverterint; hanc tamen, ex pulsu aegrarum hinc inde abnormi, atque sub leviore licet vel corporis exercitio, vel animi pathemate, mox celeriore, nec minus ex frequente cephalea artuumque constante lassitudine, huic morbo hic idem pseudomedicus attribuit. Ad foedum vultus colorem quod attinet, ille sane et aliis, utriusque sexus convalescentibus haud paucis communis est. Nec modo virgo jam nubilis, et floridae aetatis vidua, sed et, quae veneri nullum hucusque stimulum persensit, innocens puella, et hinc inde marito juncta mulier, et viri literati, et ipsi infantes, phaenomena, chloroticarum illis similia haud raro patiuntur. Non paucae omnino virgines, *chlorosi* detentae, *amenorrhoea* simul laborant; sed, quamvis id gravis de nosologia scriptor *Anglus* negaverit, non tam raro tamen et aliis, et nobis, non modo puellarum, sed adultae quoque aetatis feminarum, sub singulis chloroticae affectionis phaenomenis, menstruo tamen fluxu nequaquam destitutarum, exempla occurrerunt.

Concludimus igitur ex istis: non ex retentis novellarum menstruis *chlorosin* descendere, sed eamdem non minus, quam ipsam *amenorrhoeam*, alterius causae, et quidem non unius (§. DCCCLXXIII.), *effectum* constituere. Ac revera, ut praevie de istis hîc loquamur, cum primi scriptores de *chlorosi* vix non omnes, ejusdem originem in sola asthenia quaerendam esse decreverint; non tam pauca, tum nos ipsi, jam novem ante lustra, in provinciis *Rhenanis* tum postea quoque celebris scholae *Viennensis* clinicae, qui nos in ista praecessit, antistes, exempla chlorosis, ex causis, sub morbi principio, *adynamiae* prorsus oppositis exortae, habuimus. Quamvis nimirum pars chloroticarum longe plurima, causarum non minus, quam effectuum ratione, de *asthenici* morbi origine ac indole testetur, et quamvis « febrem albam *pul-*

chrioribus (delicatis magis) feminis plerumque accidere » gravis quondam scriptor edixerit; est tamen (quod et ipse *Hippocrates*, aliique veteres medici potiores haud ignorasse videntur), ubi et in virginibus antehac succiplenis, floridis atque fibra robusta instructis, hinc certe alio, ac in urbibus solent, modo educatis, ex nimia cordis et vasorum in stimulos admotos reactione, vel ultra aetatem remoram patiantur, vel parce ac difficulter nimis secernantur menstrua; ubi prima *chlorosis* phaenomena, ex virium vitalium *oppressione* magis, quam *suppressione*, scaturiverint; ac, demum, ubi, sicut de *anasarca* et *hydrope hypersthenico* diximus (§§. DCCXXXIV. DCCXLVIII.) sub methodo medendi stimulante, de die in diem augeantur morbi discrimina. Quaecunque vero *chlorosis* origo fuerit; *debilitas*, quae vel eamdem produxit, vel stimuli morbosi effectus est, continuô augetur: febrem sibi lentam adsociat, ac tandem in obstructiones viscerum, in tabem, ac lethalem in hydropem et convulsiones atroces terminatur.

§. DCCCLXVI. *Amenorrhoea stillatitia. — Menstruorum quantitas, — Qualitas.*

Non parum certo menstrua, diversas, quidquod easdem apud feminas, ac in diversis regionibus, respectu *quantitatis*, *qualitatis*, ac *temporis*, quavis sub periodo sibi assumpti, variant (§§. DCXLIV. DCXLVIII.).

Ad *primam* ex istis quod spectat, quamvis menstrui cruoris copiam physiologi, infedeli nimis linteaminum, verendis suppositorum, testimonio innixi, calculo subjecerint; nulla tamen hujus secretionis cruentae mensura, quae vel meridiei, et septentrionis uteris, vel illi unius ejusdemque modo feminae, semper et ubique sit propria, habetur. Quae, subtiliore calculo haud indigens, experientia docuit, ea in paucis, quae archiater quondam caesareus exposuit, consistunt: « Laponibus, inquiens, mulieribus parca, in calidis regionibus copiosiora prodeunt menstrua. In laxa temperie copia major, in stricto et robusto corpore minor. Quae lautis epulis et inerti otio fruuntur, diffluunt copioso sanguine menstruo, dum rustica mulier, quotidianis firma laboribus, pauculum tantum stillat sanguinis,

sana tamen ». Sed ipsa, quae menstrua jam pluries experta est, mulier, ubi haec solito parcius vel aegrius fluxerint, — inprimis vero, ubi iniqua retentionis symptomata successerint: fideliorem secretionis, sibi plus aequo substractae, vel nimis laboriosae, mensuram habebit, ac inquirenti medico sedulo patefaciet.

Haec vero symptomata, pro gradu imminutionis menstruorum, pro modo illius, aut impetuoso ac subitaneo, aut lento, pro causarum indole, ac pro constitutione feminae hac vel illa, varia variaque erunt. Haud paucis omnino feminis, menstrua, posteaquam viginti quatuor per horas fluxerunt, sine quavis functionum laesione, minuuntur, ac vix non disparent; sed altera jam die revertuntur suumque cursum rite absolvunt; sunt adeo, quae, se utero ferre, incertae, ignarae, superaccedente nova menstruorum periodo prima vel altera, sanguinem quidem e vagina excernant; sed isto mox imminuto, suppresso, haud interrupta nihilominus valetudine gaudeant. Aliis quidem ut sine causa cognita, sic absque damno, una periodo parcius fluxerunt; sed altera uberius reversa sunt; ast vero, exceptis istis, pars major mulierum, quibus cruor menstruus more consueto aut parcior, aut magis aquosus, viscidus, ater, aut majore difficultate excernitur: a congestione sanguinis in vasis uterinis ac medullae lumbalis, vel symptomata retentioni uterinae *tirunculorum* propria (§. DCCCLXV.), dolores inprimis lumborum, inguinum, quasi colicos, uteri tensionem, dyspepsiam, nauseas, praecordiorum angustias, cordis palpitationes, insomnia, fluorem album, affectiones hystericas, patitur; vel, ubi subitanea cruoris imminutio, sensibiliores aut succiplenas apud feminas, locum habuerit: inflammationis uteri, ovariorum, pericula incurrit.

Respectu *qualitatis* menstruorum, cum vel sanissimarum feminarum illa, non modo *suspectae*, sed *venenosae* adeo indolis esse, declaraverit antiquitas, ac nostro adhuc aevo, *Germanorum*, hoc sub effluvio, *purgari* dicantur mulieres; non mirabimur sane, quod hujus ac longe posterioris temporis pathologi, etsi *Hippocrates*, « *sanguinem ab uteris sicut a victima* fluere » adverterit; neglecta prorsus *causarum* dignitate

longe majore, vel ex solo hoc infenso, ut supponebant, humore retento, insignem morborum muliebrium exercitum eloquenter derivaverint. Quamvis autem feminae, sub fluxu menstruo, *odorem* aliquando, *aestivo* maxime tempore, spargant, tam sibi, quam aliis, sibi vicinis, ingratum; ac licet ob singularem hunc odorem celeremque sanguinis menstrui corruptionem, nostro adhuc aevo vir clarus « *halitus* quosdam (ex illo) simul emitti, qui in distans agere et fermentationem vini aut cerevisiae producere possint », docuerit; ob rationes tamen, quod exigua etiam sanguinis, licet purissimi, portio, vel internae superficiei uterinae adhaerens, vel deviante ab utero, suo in descensu impedita, vel inter rugas vaginae parumper restagnans, calore loci, alienum mox odorem assumat; — quod *halitus* ille vel intra vasa uterina, vel extra generari dicatur, nec nostris, nec millenis aliorum cellis vinosis, quas bene mundas et a calore atmosphaerico sollicite satis custoditas, vel medio sub fluxu menstruo quotidie intrarunt feminae, damnum unquam intulerit; — quod effectus menstrui retenti morbosos, vel absque suppositione halitus infensi gratuita, explicare valeamus; ac demum, quod feminas, menstruorum sub fluxu *olentes*, ubi hic fluxus stagnaverat, hac a retentione haud gravius illis, quae hoc sub statu nares minus feriebant, laborasse, experti simus; obsoletae jam diu nulliusque in artis exercitio usus, hypothesi nunquam adhaesimus. Esto autem *vitiosus*, qui, e massa humorum *sana*, secretionem *morbosam* in utero subivit, cruor! non tamen ideo, qui vasa, quorum actione perversa *secretus* fuit, jamjam deseruit; sed, qui ex uterino torrente ultro *secernendus* fuisset, sanguis *purus* in isto retinetur. Praeterea sanguis menstruus, dum recte se habet, neque nimis tenuis, neque crassus nimis esse debet. Virginem *Mediolanensem* quondam curavimus, cui menstrua boni coloris ab anno et ultra, debito sub ordine jam fluxerant, cum ea tandem, loco istorum, *serum* tantummodo *pellucidum* atque copiosissimum, per quinque, sex menses, utero periodice funderet. Quod vero potissime notari meretur, est: quod, toties, ac hujus virginis tunica interior, sericea atque *coloris coerulei*,

hocee a sero abundatiore penetrabatur: color hic; quin fasciae ex linteis, genitalibus suppositae, ullo modo rubescerent, illico in *roseum* transiverit. Feminae, in *Ephemeridibus naturae curiosorum* exemplum habetur, « quae singulis mensibus, ordinario haud sanguinem, sed materiam serosam, crocci coloris ex utero excrevit. Haec vero materia ubi linteamina tinxerat, nulla lotura delebilis erat, cum caeterum bene valuerit, sed *sterilis* manserit haec femina. Junioribus, plerumque sanguis tenuior effluit, et loturae carnium recens mactatarum similis est. Senescentibus, crassior et magis nigrescens; in aetate florente, medio modo se habet.

Caeterum, ad *amenorrhoeam stillatitiam* et ea revocari meretur: ubi sanguis, non quidem ipso ex utero per vaginam, sed, ejusdem periodi ad leges, ex parte corporis alia, modo *vicario*, secernitur (§. DCCCLXV.). Est etiam, ubi non tam sanguinis ipsius, quam alterius materiae, serosae, mucosae, secretio, v. c. per alvum, pro menstruis, ut et nos observavimus, suppleat.

In genere vero difficultatis plena esse solet parca nimis, vel saepe interrupta, vel haud sinceri, sed aquosi, mucosi cruoris per uterum secretio: ut quam haud raro dolores capitis, ventris, regionis hypogastricae, lumborum crurumque immanes, ac turbae ventriculi atque nervorum conspicuae, tres quatuorve per dies, praecedunt; quibusdam vero et medio hoc abnormi sub fluxu continuant, vel adeo per dies aliquot eumdem sequuntur. Non tam rarum est, sub tantis uteri spasmis atque doloribus *pseudomembranas*, *deciduae* apud puerperas similes, ex lympha morbose secreta oriundas, cum sanguine menstruo excerni. Caeterum facilis hoc incompleto menstruationis ab opere, in *medorrhoeam insontem* transitus est.

Spatium, quo menstrua fluunt, non in omnibus idem esse, satis constat; quibusdam nempe, iisque apud nos haud multis, per duos, — aliis, tres, quatuor, quinque per dies —; non paucis, maxime autem urbium incolis, abunde nutritis, potulentis spirituosis, otio, vigiliis nocturnis, amatoriorum lectioni librorum, vel et veneri, choreis, magis deditis, per

octiduum et ultra hic fluxus continuat. Et quidem fluunt menses nunc continenter atque confertim: ut fluxus paucis diebus absolvatur; interdum paulatim: ita ut iste quandoque remittat, et pluribus hoc modo diebus protrahatur. Quoties igitur solitum feminae, neque *gravidae*, neque *lactanti*, neque *convalescenti*, menstruorum hoc spatium immodice contrahitur, quin aut copia sanguinis uberius excreti, aut proximae periodi largitas suppleverit: toties aut *morbus* a retentione, aut saltem ejusdem *opportunitas* subintrat.

§. DCCCLXVII. *Amenorrhoea circumscripta:*

Non magni ponderis aut ignotae rationes, menstruorum consuetum reditum, una alterave die, quin feminae aegrotent, saepe retardant. Si tamen absque conceptionis suspicione, vel absque morbi alterius, praegressi, praesentis, ratione, feminae necdum senescenti, menstrua una alterave hebdomada tardius redire incoeperint, nec alia, vicaria secretio, ista suppleverit: *circumscriptam* hanc amenorrhoeae speciem appellamus. Plures hinc inde per menses vix damnum ex ista percipit mulier et, sub ejusdem aetate jam quidquam provecta, inprimis si praematura quondam illi menstrua fluxerant, *retardatio* istorum, appropinquantem eorumdem *cessationem* adnuntiat. Aliter vero res in aetate feminae bene nutritae atque florentis constituta est: ut cui, repetita et diuturnior menstruae periodi violatio, *amenorrhoeae completae* discrimina minatur.

§. DCCCLXVIII. *Amenorrhoea completa.*

Mulierum, *sine menstruis* non modo *sanarum*, sed quoque *fertilium*, exempla nobis propria retulimus (§. DCCCLXIII.); atque similia, certe non tam pauca, medicorum fasti loquuntur. Hoc interim non impedit, quin virgo aut mulier, viginti jam annis valetudinis intactae transactis, hunc uteri fluxum necdum experta, de *sterilitate* suspecta sit; atque istius *amenorrhoeam*, maxime si nequidem menstruorum *molimina* (§. DCCCLVI. DCCCLXV.) unquam comparuerint, ad *retentiones* referri, rationi repugnat. Alia vero ratio erit, ubi bene constituta et satis adhuc juvenis femi-

na, menstruorum molimina periodica, vel ipsa adeo menstrua, jam semel, aut pluries, licet exigua modo copia, experta, his ipsis, quin alia secretio vicaria suppleverit, et quin morbus alius, chronicus, ea suspenderit, in integrum caruerit: quo quidem in casu non omnes sensibili modo aegrotant mulieres; pars plurima interim earum, symptomata jam descripta (§§. DCCCLXV. — DCCCLXVI.), vel et magis ominosa, inprimis infarctus, obstructiones viscerum, potissime uteri, ovariorum, fluorem album, haemorrhagias, maxime haemorrhoides (§. DCXIV.), pneumonorrhagiam (§. DCVIII.), dyspnoeam, asthmata phthises, hydropes, hystcrismum graviorem, febremque denique lentam experitur.

§. DCCCLXIX. *Amenorrhoea organica.*

Feminis hinc inde ex *vitio genitalium internorum congenito*, menstruorum secretio deficit: atque huc, u sectiones pathologicae non tam paucae docuerunt, uteri aut solius, aut tubae, ovariorum defectus, aut illiu monstrositas, parvitas, tenuitas, abnormes pertinent Nos ipsi mulierem adultam, menstruis semper destitutam, ac sterilem, in clinico *Ticinensi* Instituto tractavimus, cujus uterus molem, nuce avellana nequaquam majorem, explorantium digitis obtulit; atque hunc menstruorum defectum organicum, classi *retentionum* subjugari, non convenit (§. DCCCLXV.). Quandocunque autem organicum uteri vitium, non tam congenitum, quam casu *acquisitum* est, et ante violentiae externae, aut morbi influxum secretio menstrua locum invenerat; toties, ubi praecox istius functionis abolitio successerit, *amenorrhoeam organicam* subintrasse dicemus. Frequentiorem hanc longe, quam *congenitum* menstruorum defectum, esse, nullus dubitabit, qui ad *amenorrhoeae* fontem uberrimum, ad morbos scilicet uteri cx lapsu, contusione, partu difficili, artificiali, incauto instrumentorum ex usu, ex violenta placentae extractione, ex abortivis remediis, vel, demum, ex metritide, ex ulccribus syphiliticis, aut aliis, ex medorrhoeis chronicis, ex injectionum adstringentium, vel cx spirituosorum, sub istis, aut sub metrorrhagiis, abusu, ex concretionibus steatomatosis, poly-

posis, osseis, ex induratione, etc., oculos converterit: ut quibus e causis praecipue interna uteri, secernendis menstruis dicata, superficies vim patitur, infarcitur, obliteratur, cicatrices, callositates, contrahit, comprimitur, extenditur suaque vitalitate destituitur.

§. DCCCLXX. *Amenorrhoea ex interceptione, — Amenorrhoea ex labiorum vulvae symphysi. — Amenorrhoea ex compressione. — Amenorrhoea ex viis in uteri cavum clausis; — Ex hymene imperforato. — Amenorrhoea ex vagina impervia. — Amenorrhoea ex ore uteri clauso. — Amenorrhoea a cervice uteri clausa. — Amenorrhoea ex uteri culpa.*

Sub normali genitalium constitutione, cruor menstruus, ex utero, per ejusdem *cervicem* ac *orificium*, in *vaginam* defluit, istius per *ostium*, *pudenda* praeterlabitur; atque sic, brevem quidem, sed, aut fabricae *a nativitate vitiosae*, aut *morbi localis* effectu, scopulosum in pluribus alveum percurrit, et quibusdam in feminis, ex parte, — in aliis vero in totum arcetur.

Nunc etenim neglecta saepe, in tenera inprimis puellarum infantia, laesionum, ambustionis, inflammationum, suppurationum, excoriationum, maxime a variolis, sicut, adultas apud feminas, a partu laborioso, ab ulceribus venereis, actione, *labia vulvae symphysin* ineunt, inter se concrescunt, atque vaginam obducunt. Tali vero in casu, *pseudomembrana*, labia pudendi, inter se coalita, aliquando investiens, vix non omnem sinum femineum, ad ipsum urethrae ostium usque, obtegit, atque lotii, retro illam membranam defluentis, portionem intercipit, per vaginam ascendere cogit istamque, cum irritatione, tumore, dolore, et intestini recti compressione, distendit, excoriat.

Nunc autem, ut observatio docuit, *tumor* genitalium externorum, canalem hunc comprimit, coarctat, obturat. Nos ipsi, quinquaginta ante annos, *Rastadii*, in femina juvene, *hydropem nymphae* dextrae sat insignem curavimus: qui tumor, nisi mature satis, scarificando, eumdem deplevissemus; similem certe effectum habuisset.

Frequentius ipse *vaginae introitus*, labiorum sine culpa, nunc ex parte, nunc omnis, — atque iterum ex *vitio* aut *congenito*, aut *accidentali*, angustatur, obvelatur, clauditur. Quadruplicis vero indolis viarum, ad uteri cavum clausarum, genus est: vel in *orificio*, nempe, *vaginae*, vel *intermedio* hujus canalis in *loco* (*atresiam* graeci duas hascc species vocarunt), vel ipso in *uteri orificio*, vel, demum, in ejusdem *cervice*, positum.

Ac primô quidem, *vaginae ostium* quibusdam in virginibus ab *hymene* perfecte clauditur. Sic, ut *Acta* physico-medica referunt, « ex hymene imperforato, tumor ventris, quasi in gravida sex mensium, in virgine quindecim annorum nascebatur, cum sanguis retro hymenem collectus, genitalia distendisset. Atroces aderant saepe lumborum, et imi ventris pudendorumque dolores; peregrinum quasi corpus aegra in istis persentiebat; anxietas miserc puellam afflixcrat. Secto hymenc, sine animi deliquio, quinque librae sanguinis, *non* foetidi, nigri, crassiusculi, profluxerunt, singulaque symptomata disparuerunt ». Similc unus ex nostris auditoribus, antc quadraginta et tres fere annos, *Spirae*, in virgine, quam omnes impraegnationis accusaverant, observavit nobisque retulit. Secto hymene, sanguinis, *nec minime corrupti*, ad plures mensuras, sub lipothymia tandcm insecuta, effluxit, ac innocentis puellae honorem salvavit. Non in omnibus interim sanguis utcrinus, ab hymene intcrceptus, diuque in utero atque vagina detentus, ut exempla docuerunt, corruptionis et foetoris insignis immunis fuit. Apud plures, *foramen* in hymcne supcrest: quo subsistente, vel a membro virili, minus crasso, atque hymenem magis reclinante, quam lacerante, — vel a sola seminis virilis aspersione, hymene caeterum licet integerrimo, impraegnatio tamen locum frequenter habuit. A duplici quasi hymcne, vaginae ostium in quibusdam defcnsum fuisse, detexit anatome; sed vel unus ex istis, pcnitus illud occludens, infcstum cruoris ex utcro descensui obicem ponit. Eodcm effectu, in aliis haud adeo membrana, quam excrescentia, carni similis, vaginac orificium occlusit; atque eamdem, in longum extensam, imaginem *caudae* obtulisse, scri-

ptores antiqui, ab uteri *polypo*, aut *vaginae prolapsu* forsitan delusi, testati sunt. Caeterum et sauciatum, a partu laborioso, vel erosum ab ulcere varioloso, syphilitico, nec a mutuo contactu satis defensum, vaginae orificium concrevisse visum est.

Ipse, ad quem hoc orificium conducit, canalis, a recto tramite subinde aberrasse, atque in his omnino defuisse, — in illis, modo *incompletum*, — in aliis *duplicem* exstitisse —, hic, *in rectum intestinum hiasse*, — illinc, a *sepimento*, quasi carneo, mox in longum, mox in latum, divisum, aut a *polypo* repletum fuisse ac, demum, in aliis, ex causis iisdem, quas ostium ejusdem obturasse diximus, *coaluisse*, concrevisse, conspectus est. Viginti annorum virgo, ob insignem ventris tumorem, ac dolores atroces cum convulsionibus, anno 1799 ad nosocomium *Vindobonense* delata fuit. Os uteri, in sinistra parte pelvis, cum vagina concretum detexit, atque ope sectionis adaperuit chirurgus egregius, et mox cruoris, haud putridi, octo circiter librae profluxerunt. Cessarunt nunc enarrata symptomata, ac ipsa adeo menstrua, debita periodo, bis insecuta sunt. Vulnere interim oris uterini, aliquot post menses, denuo coalito, retenta iterum fuerunt menstrua: quam ob rem operationis chirurgicae repetendae subintravit necessitas, cujus tamen exitus, ad nos non pervenit ulterior notitia. Eodem in anno, atque hoc ipso in nosodochio, feminae juvenis *vagina concreta*, posteaquam menstrua exinde plures per menses retenta, et uterus cum vagina, sub magnis ventris ac lumborum doloribus, valde expansus fuisset, ab eodem chirurgo feliciter aperta, et sanguinis, *minime olentis*, quantitas magna evacuata fuit. Alio in exemplo, ablato, quod vaginam obturaverat, obstaculo, *duodecim* sanguinis *libras* per istum canalem effluxisse, legimus. Ubi igitur « loci muliebres circa ipsorum os clauduntur, vel ex praecedente exulceratione, vel indurata ibi inflammatione » *φίμωσιν*, seu *phimum*, Graeci vocabant. Plura *vaginae* tam *angustae*, ut ea nequidem calamum scriptorium admitteret, exempla habentur. Quamvis interim mulierem ita constitutam non modo concepisse, sed partum quoque maturum,

praeter spem, exclusisse, referatur; rara tamen in aliis haec felicitas erit, ac ubi arctiorem per vaginam in statu sanitatis menses excerni adhuc licet; vel minore illius a phlogosi, intumescentia, hic effluxus omnino arcebitur. Angustam et regnantem quondam, *Germaniae* familiam, eo quod penultimus ejusdem haeres, ab uxore, hanc vaginae ob summam angustiam sterili, separari recusaverit, exstinctam fuisse, doluimus. *Vaginalis* quidem *hernia* sat raro hunce canalem adeo, ut menstrua per illum defluere impediat, comprimit; cum interim illa, ad capitis infantilis molem adaucta, ut exemplum docuit, vel ipsum partum cohibuerit: cruoris etiam menstrui ex utero descensui ea obstaculo erit. Similes effectus aliquando et saccati inter intestinum rectum et vaginam tumores habebunt.

Haud multo felicior *oris uterini*, vel a nativitate, vel a morbis, laesione, conditio est. Nunc etenim illud a *membrana*, a diversae indolis *tumore*, tuberculo *vicino*, *verrucis*, clauditur; nunc *labia ejusdem*, ne a se invicem separari ac cedere queant, crassitie duritie, peccant; nunc ab inflammatione, ulceribus praegressis, plus minus *coaluerunt*; nunc ex *obliquitate* conspicua *uteri*, orificium simul ejusdem *parieti vaginae* laterali vel huic, vel illi strictius apprimitur, ac sub inflammatione istius, vel propria, cum eodem *connascitur*, deletur. Unde jam *Hippocrates*, « si uteri *obliqui* fiunt, inquit, etiam *os* ipsorum *obliquum* fit, et menses ipsi nunc occultantur, nunc prius apparentes evanescunt: et non similes fiunt, sed deteriores et pauciores quam antea, et genitura non fit hoc tempore, et dolor habet imum ventrem, et lumbos et coxam ». — « Si *obtorti* fuerint *uteri*, et menses non fiunt, et genitura non manet intus, et dolor habet imum ventrem, et laterum mollitudines, et si digito contigeris, os uterorum attingere non poteris, nam fortiter secessit — ». « Quibus os uteri durum est, iis arctetur necesse est ». His addidit posterior *Graecorum* medicus: « Quantum ad ipsum uterum, conclusiones, cervicis ejusdem distorsiones, durities, inflammationes, macies, resolutiones, perfrigerationes, distentiones, atque aliae hujusmodi

affectiones considerandae sunt. Et insuper attendendum, an aliquid, uteri os obturans, sanguinis exitum impediat. Callositates enim istic exortae, aut carnis excrescentiae, aut pinguedinis copia, saepe purgationem prohibent. Aliquibus etiam statim a principio pellicula quaedam circa collum aut osculum uteri adnascitur, quemadmodum his accidit, quae *imperforatae* appellantur. Et tales curari non possunt, nisi pellicula illa, locum obturans, perforetur, aut resecetur. Aliquibus etiam ulcerum cicatrices, oscula vasorum in utero excoecarunt, quae penitus incurabiles sunt. Quibusdam post abortum uteri os exulceratur, ac deinceps ad cicatricem perducitur, atque sic obturatio supervenit, quae tum alias vulvae transpirationes impedit, tum sanguinis excretionem prohibet ».

Cervicis uterinae morbos, ex retentione mucoso-lymphatica pendentes, et nos descripsimus (§. DCCCXLV.), atque hi ipsi, sanguini menstruo viam ex matrice in vaginam praecludere queunt. In virginis cadavere, summus de sedibus et causis morborum scriptor, ad intimam *cervicis* membranam, *valvulam* morbosam, oris uterini aditui adversam, detexit. Mulieris, in *Actis Suecicis* exemplum refertur, quae, post decem a foetu excluso menses, vehementes, quasi a partu instante, dolores experta, obstetricantis digito *vesicam* in vagina obtulit, illi, quam aquae, infantili capiti nascituro praeviae, constituunt, in omnibus, nisi quod crassior fuerit, persimilem. Atqui *os uteri*, utpote *concretum*, distingui haud potuit; sed sola *uteri cervix*, a collectis in utero menstruis, valde extensa, hanc tensae speciem vesicae in vagina efformaverat. Haud infrequenter *cervix* cum ore *uteri scirrhosa*, menstrui sanguinis excretioni resistit.

De vitiis genitalium organicis locuti jam sumus (§. DCCCLXIX.); juvabit nihilominus, quo loco de *utero* speciatim sermo est, his quaedam, notatu digna, superaddi. Ac primo quidem, etsi sanguis uterinus, embryonis nutritioni inserviat, atque praegnantibus, in genere, menstrua haud fluant; non tamen ideo uterus, solius foetus admissi gratia, secretionem menstruam suspendit; sed, *hospitalitatis* jure longe

magis extenso, rem ille quamcumque, suo sinu susceptam, eadem liberalitate incubat ac, prout illa indiget, vel nutrit, vel auget. Sic, modo cervix uterina haud cedat, sed fidelem eorum, quae uterus continet, custodiam gerat: vel taenias hydatigenas, vel aquas, vel cruorem, vel aërem, vel calculos, concretiones osseas, vel steatomata, sarcoma, polypos, ille concoeperit; haec singula, absque differentia, amplectitur ac, mole contentorum indies aucta, quo amplo satis domicilio ista retineat, quasi alas gallina suas super ova, etiam non sua, se ipsum expandit non modo; sed menstruam quoque secretionem, eadem, ac in propriam prolem, caritate suspendit. Est quidem, ubi cervix, extensis vel maxime uteris, suo *janitricis* officio renunciet, ac non modo liquidis, illinc coërcitis, fugam, sed et polypis exitum concedat; sed antequam haec locum habeant, amenorrhoea, sicut in praegnantibus, continuat; et quamvis polypus ad vaginam descenderit: simul ac hunce canalem ille omnem repleverit; non minus, quam in cervice, largiore sui parte, haerens, menstruorum excretionem impediet. Simili prorsus ratione, ab *uteri* quoque, in virgine, *prolapsu*, excretionem secreti jam menstrui cohibitam fuisse legimus. Vel solis a *fasciis*, genitalibus, sub fluxu mensium abundantium, quidquam arctius adstrictis, hunc fluxum, apud virginem, semper vix non suppressum fuisse, observavimus; ac revera, *cruoris*, in uteris retenti, *coagulum*, quin pars illius adhuc fluida, ore uteri sat prompte effluat, haud raro impedit. Nec minus *ulcera uteri* magis expansa, et reliquae ex istis, forsitan sanatis, *cicatrices*, ejusdem visceris *induratio*, et cartilaginea quandoque *callositas*, secretiones menstruas facile praepedient. Revocanda huc est *uteri retroversio in feminis haud gravidis*, qualis, ante triginta jam annos, *Ticini* a nobis primum observata, et posthinc ab aliis aliquoties conspecta fuit. *Compressio* quoque *uteri externa* per quemcumque tumorem, huic visceri adnatum, vicinum, vel per adipem quamplurimum, secretionis uterinae suppressioni occasionem dedit, atque huc etiam *extensio uteri magna* in longum et ad latus hoc vel illud pelvis, per-

tinet, qualem nos, *Ticini*, sub enormi ovarii tumore, observavimus.

§. DCCCLXXI. *Amenorrhoea senescentium.*

Et vix *pubescentis*, et *senescentis* feminae uterina metamorphosis, lenta plerumque ac ardua, — ista interim, illa, in plurimis, et lentior, et difficilior, et simul magis inordinata est: quam ob rem, hac femineae aetatis sub epocha, *mortalitatis*, hunc apud sexum, non parum augetur proportio. Qui tam flebilis rationem phaenomeni reddere conati sunt: illi, quemadmodum menstrui fluxus in femina *humana* originem in concessa eidem, pro foetu nutriendo, *cruoris superabundantia* (qua tamen, idem generationis ad opus, haud indigent brutorum feminae) quaesiverant: ita et *senescentis*, sanguinisque uterini secretione orbatae mulieris incommoda, ex *plethora* derivarunt. Quamvis autem in laute nutritis ac succiplenis feminis haec locum haud raro habeant; longe tamen abest, quin *functionis* in visceribus (in thymo, in renibus succenturiatis, in uberibus ac in uteris, per annos bene multos adhuc *victuris*), *mortem* praematuram explicare valeamus; atque plerumque, *effectum* in his pro *causa* declarando, docte deliramus. Pars quidem mulierum conspicua, aetatem, qua evanescere menstrua solent, adepta, his, post inordinatum eorum per aliquod tempus decursum, uno alterove mense, suspensis, eorumdem denuo a fluxu, plerumque tunc magis copioso, prehenditur. Sequitur, hanc inter atque futuram menstruationem, intervallum nunc longius: ita, ut non paucae, sub isto, feminae, praegnantes se esse, persuasae, novae prolis ad partum sese sollicite praeparent, ac medici, hoc de eventu forsitan prolata dubia vel gravissime ferant. Nec erroris in judicio, huic ignominiosi, semper, quod moneri hîc juvat, deest occasio. Sic, ante novem circiter lustra, principis regnantis, *Germani*, uxor, vix non quinquagenaria, menstruis jam per tres anni partes destituta, quod et pedes eidem non parum ab aquis intumuerint, et quod non pauca de praesente simul ascite symptomata adfuerint, suis ab archiatris, pro hydropica declarata, robustum tandem, attonitis adstantibus, filium peperit. Post annum, similia succedunt:

gravidam esse, medici enuntiant, et, en! — montis parturientis mox scena ab eadem, sanguine exhausta, tristissimo fato repetitur. Nec *ubera* semper praeconceptam senescentis mulieris de novo fertilitatis propriae argumento, opinionem confundunt; sed, ad relatum uteri, saepe nimis creduli, exemplum, et ipsa saepe tument, sororiantur ac inutile molae, aut sanguini coacto, colostrum praeparant. Atque sic a prima menstruorum apud senescentes emansione quidquam protracta, fere singula praegnationis, plus minus molestae, symptomata, — apud illas, quibus antehac cruor ex uteris copiosus, aut cum difficultate majore fluebat, fortiora: oppressio scilicet ventriculi, dyspepsia, nausea, vomituritio, vomitus ipse, languor, gravitas corporis, calor, tensio, dolor lumborum, regionis uterinae, coxarum, lassitudo crurum, venarum haemorrhoidalium inflatio, tenesmus, et sanguinis non minus ad eaput congestio, vertigo, tinnitus aurium, surditas, melancholia, hysterismus[1], suceedunt. Quod si nunc tandem sanguis, orificium uteri, sub spasmis atque doloribus, penetret: *metrorrhagiam* (§. DCXLIV.) ille in multis aemulatur, saepius grumosus et pseudomembranis intermistus, expellitur, atque de facta jam pridem ejusdem, in cavo uterino collectione, ac de praegressa ibidem leviore phlogosi, testimonium largitur. His interim, post octo vel plures post dies, absolutis, praeter debilitatem, a qua lentius resurgitur, caetera sat prompte sedantur salutis incommoda; donee tres, quatuor, aut sex adeo post menses, semel aut iterum similia recurrant, ac optatus tandem seeretioni uterinae, saltem cruentae, finis imponatur.

Atque sic mirum illud phaenomenon, quo femina humana, ab animalium brutorum illa, generandae prolis in finem, distinguitur, descripsimus. Qua vero ratione menstruae secretionis opus, multis a feminis, quae nec laute nimis vivunt, nee urbanarum sororum otio ac vitae tumultuosae aut voluptuosae sunt deditae, tam laboriose, aut cum tanto cruoris dispendio neutiquam absolvitur: ea quoque mulieres non paucae, aut eonstitutionis propriae, aut morborum praegressorum injuria, aut vitae generis eulpa, sub instante menstruorum cessatione, majora longe discrimina

incurrunt. Quae vero sub tam ominosa mulierum positione, easdem exspectent miseriae, has *metrorrhagiae vetularum* sub nomine, jam satis exposuimus (§. DCXLVIII.).

§. DCCCLXXII. *Amenorrhoea adynamica. — Amenorrhoea sthenica.*

Amenorrhoeis illis, quas e *vitio organico*, et ex *interceptione* oriri, — ac partim illa *senescentium*, exceptis, caeteras vix non omnes *adynamicae* indolis esse, communis fere medicorum hucusque fuit opinio; ac revera, tam symptomata (§§. DCCCLXV. DCCCLXVI. DCCCLXXI.), quam causae, quarum effectu hi morbi nascuntur (§. DCCCLXXIII.), ac ipsa medendi ratio, pluribus ex illis proficua (§. DCCCLXXV.), id saltem, quod pars longe major retentionum illarum, *debilitatis* e fonte propullulet, confirmare videntur.

Quae interim jam occasione *chlorosis* diximus (§. DCCCLXV.), ea certe medicos, in artis exercitio (non modo urbanas, sed et rusticas inter mulieres) satis amplo versatos, latere non possunt: esse nempe, potissime inter has ultimas, virgines, et mulieres juvenculas, fibra robusta instructas atque succiplenas, quae, menstruorum secretione, aliâs abundante, ex nimia cordis ac vasorum excitatione aliquamdiu privatae, vel ipsam demum in chlorosin graviorem inciderint, morbumque, methodo medendi cuivis stimulanti longos per menses non solum recalcitrantem, sed, nisi ab hac demum destiterint, in viscerum obstructiones, vel et, sub febre acuta, in diras uteri, ovariorum inflammationes conversum, sibi obtulerint. Qua nempe ratione vel ipse interdum *hydrops* (potissime acutus, sed aliquando et chronicus), *hypersthenicam* indolem agnoscit, ut cujus exempla non aequivoca retulimus (§. DCCXLVIII.): ea certe et ipsa amenorrhoea, et quae hanc sequuntur, mala, eodem e fonte scaturiunt.

§. DCCCLXXIII. *Amenorrhoeae causae. — Amenorrhoea gravidarum. — Amenorrhoea nutricum. — Amenorrhoea a morbis. — Amenorrhoea a vestitu iniquo.*

Sed ipsa *causarum*, quae amenorrhoeas producunt,

consideratio, quam facile hujus morbi (sine dubio ex virium inopia saepissime oriundi) falsa *adynamiae* sub imagine medicis imponat, docebit. Quo loco de *metrorrhagia* et praevie de *menstrui fluxus* in sola femina *humana*, origine disseruimus (§. DCXLI.), fassi quidem sumus: nec abundantiam sanguinis, foetus nutritioni dicati, nec tortuosum arteriarum in utero incessum, ac majus illinc venarum robur, nec denique plethoram in utero localem, quod illa alterius principii *effectum* potius, quam *causam* sistat, hunc nodum solvere; atque haec nostra tanti argumenti physiologici inscitia, pathologicarum cognitionum pauperiem, qua circa ultimas amenorrhoeae causas laboramus, omni sine fuco prodit. Nec tamen haec nostra et aliorum, qui scientiae confines medicae contrahere satagimus, confessio, ejusdem scientiae detrectatoribus quid conferet: cum vel ipsi *astronomi*, causarum licet, quae *gravitatem* et *attractionem* regant, ignari, ex ignoto quidem, sed factis innixo, tali principio, non minus fructiferas generi humano conclusiones deduxerint. Velo scilicet nimis denso, naturae oeconomia involvitur, atque tam parum, *cur*, lege illius, *vix pubescenti virgini menstrua fluant*; quam *cur senescenti mulieri fluere desinant?* perspicimus. Hujus ultimi quidem phaenomeni rationem, stricto nimis et quasi subcalloso feminae, provectae quidquam aetatis, in utero quaerunt; sed *effectum* hîc iterum cum *causa* confundunt, ac mechanicae medicinae principia nimis haec explicatio olet. Ut vero haec naturae arcana, quam prope his nos appropinquari licet, contemplemur: *normalium*, prae aliis, ac demum *morbosarum* amenorrhoearum, quae his proximae sunt, causas rimabimur. Ad primas, menstruorum apud *praegnantes* atque *nutrices* emansio, — ad istas, amenorrhoea *ex morbo praegresso*, aut per *evacuationes alias* inducta, pertinent.

Quae rationes uterum, aut foetu, aut corpore quovis alio, gravidum, ne cruorem a mense in mensem secernat, inducunt, sunt: superficiei ejusdem internae, secretioni praefixae, occupatio, compressio; parietum uteri successiva, extensio, ac vasorum illius major explicatio, expansio, libertas. Quod cruoris, quasi hu-

manae modo mulieri, *superflui*, a foetu consumendi ratio hîc vel minime subintret: brutorum nos feminae animalium, quae hocce subsidio, suos ut foetus sustentent, haud indigent, evincunt.

Uteros nutricum non tam ob cruorem, ab illis ad ubera directum, quam ob *secretionis vicariae* officium, ab his sibi assumptum, arescere: similis illorum, in apices digitorum, vel alias in partes, ubi suam his functionem periodicam cedunt ac injungunt, indulgentia testatur.

Menstrua, graviore *sub morbo, sub convalescentia* ab isto, vel *a sudoribus*, aut *ventris fluxu* copiosis, plerumque *suspendi*, nec antiquos latuit, ac a simplici *ptyalismo*, a *venaesectione* administrata, similia haud raro succedunt. Ex eo, quod morbi vix exantlati, aut facta humorum, alia per colatoria, fuga, *cruorem superfluum* consumpserint, haec fieri, et quod alias quoque secretiones vel sola debilitas frequenter suspendat, cum specie veritatis praetendunt. Sic conspicuus *Graecorum* medicus, «ex thorace, inquit, sanguinem rejectantibus, et quibus ex venae sectione multus sanguis evacuatus est, menses supprimuntur. Sed et reliqua excretionum genera saepe faciunt ut menses intercipiantur: velut est multus sudor, assidui vomitus, alvi profluvia, saniei copia alicubi prodiens, pustularum omne genus per cutem erumpens. Sistunt item menses morbi acuti et magni, et alimentorum vel infra, vel supra modum ingesta». Ast vero, dum eidem *debilitati*, profluvia quoque cruenta partim adscribant; hac minime exclusa, dubitari saltem licebit, num sola haec *debilitas*, num vero simul *mutata*, per secretiones abnormes, corporis feminei organique uterini, ad officia sibi periodice imposita *conditio*, minus mechanice hos effectus producat.

Inter suppressionis menstruae, potissime *subitaneae*, causas, violenta animi, sub *ira*, *terrore*, *metu*, *tristitia*, commotio, ex communioribus una est. Vel sola juvencularum innocentium, menstruationis circa legem, a matribus haud satis mature informatarum, *erubescentia* et *pudor*, quod, ob sanguinem inopinantibus sibi per crura defluentem, altos in clamores prorumperent, risusque modo adstantium indiscretos ex

istis colligerent, valide incussus, mox primam, ut pluries experti sumus, cruoris uterini secretionem, cum summo salutis virgineae damno, suspendit. Virginis nobilissimae, sub fluxu menstruo constitutae, cum, ex choreis redux, per scalas improvide sola descendisset, suscepta, a viro tam audaci, quam impudico, aggressio, eamdem, terrore non minus, quam pudore concussam, suppressis illico menstruis, lethalem, post paucos dies, in *metritidem* conjecit. Saepe vero longe minor animi sensibilioris exagitatio, menstruorum fluxum cum summo vitae discrimine suppressit. Major autem *post* menstruae periodi stadium absolutum, quam alio quovis tempore, feminarum ad concipiendum promptitudo est. Artificialis illa et immodica animi sensibilitas, atque infantilis prorsus musculorum omnium imbecillitas, quam educationis perversae et otii effectu, omnes nunc urbium sortiuntur filiae, morale illis venenum, menstruorum praecipue sub fluxu haud paucis infestum, praeparant.

Altera menstruorum aberrantium, suppressorum origo nostro sub coelo, in tenui nimis et vix non aethereo feminarum amictu, in imprudente vel ipsa illorum sub periodo, genitalium refrigerio atque perflatu quaerenda est. Non ita vel calidioris *Asiae* meridionalis mulieres, utpote femoralibus decentius munitae, incedunt. Caeterum, quamvis veterum, de *indole* menstruorum *vix non venenata* assertionem, cum aliis, nos ipsi impugnaverimus; est tamen, cur hanc virorum, de historia naturali vel maxime meritorum, assertionem, principium *medico-politicum* magis, quam *persuasionem propriam*, pro fundamento habuisse, suspicari quis posset; nec certe legislatorum, res populis adversas alio sub titulo vetantium, unicum hoc exemplum foret. Gentes aevi veteris non paucae, feminas, menstruo sub fluxu constitutas, consueto consortio, scilicet ut *impuras*, privabant; ac *puerperarum purificatio*, sacris ac nec hodiedum abolitis legibus sancita fuit. *Genitalium tegumenta*, sub fluxu menstruorum adhiberi nunc solita, vix prius in usum venisse videntur, quam ubi Europeae, his aviarum suarum vinculis tandem rejectis, quocumque sibi placuisset, tempore, etiam sanctiore, societatibus ipsis-

que choreis intervenire, atque hoc modo et curae salutis propriae, et sexus decori renunciare sunt ausae. Quibus nimirum, tempore menstruo, copiosior ex uteris cruoris effluxus est: his, primis saltem hujus periodi diebus, quies ac supina magis, quam erecta corporis positio, atque incessus, conveniunt. Ne vero (naturalis istius eventus haud ignaris) vivendi rationi liberiori impedimento is esset: fascias illae genitalibus, casque, ne sanguinem praeterfluere sinant, arcte sibi applicant, nec istas, ludorum, chorearum, spectaculorumque amore per horas detentae, cum purioribus, pro necessitate, permutant. Interceptum hac ratione menstruorum fluxum, in vagina primum, ac ipso demum in uteri cavo, remorari diutius, has partes implere, infarcire, extendere ac, aestivo praecipue sub ardore, non parum irritare, oportet. Feminas dari, quae media menstruationis sub epocha, stimulos in rem veneream potentiores experiantur, observatum fuit; atque ex coitu, menstruorum sub cursu, admisso, atque ex isto confestim suppresso, *metritidem* violentam successisse novimus. Potiores autem ex retardato, per adstrictas nimis fascias, sanguinis, calore loci facile corrumpendi, defluxu, quam ex normali, nec interrupta cruoris, minus accumulati, evacuatione, stimulos excitari, certum est. Vel ipsam menstruorum secretionem a fascia arcte magis constricta, posse cohiberi, ab allato jam virginis exemplo docemur. Nec minores hujus consuetudinis, ex frequente fasciarum, ob urgentem urinarum ac alvi depositionem, remotione, noxae, hiemali praeprimis tempore, ac ubi ad loca secreta, genitalibus, antehac magis excalefactis, auram frigidiorem incaute admittunt, extimescendae sunt. In genere, ex frigoris, in menstruantis feminae genitalia influxu, secretionis uterinae, tam cruentae, quam forsitan pituitosae, habitualis, suppressio frequentissime inducitur. Amasium, puella, quo sibi tempore menstrua copiosius fluebant, exspectans, ne haec illi obstaculo essent, in frigidam nates aliquoties profundius immersit: ac tertia jam die, ex uteri inflammatione, mox a cohibito sanguinis fluxu, moribunda, *Vindobonensi* nosodochio, a. 1797, commissa fuit. Insignis quondam *Helmstadii* chirurgus, feminae no-

bis exemplum reliquit, quae, postquam, menstruorum sub periodo, pedes aquae frigidae imposuisset, hoc fluxu suppresso, in unius oculi *amaurosin* conjecta fuit; restituto tamen per artem hoc fluxu, visus ea facultatem hoc ex oculo felix recuperavit. Non minora aliis, hausta sub ipso mensium fluxu et aestuante corpore, frigida, vel glacies, mala induxit.

Ingurgitationis ciborum aut nimiorum aut difficulter subigendorum, in supprimendis mensibus observatos effectus, ex *spissitudine, tenacitate sanguinis* derivarunt non ita pridem pathologi; qui vero sinistros turbarum ventriculi effectus in singulas, tum corporis, tum animi functiones, praeprimis vero in *uteri* illas, intellexerit: illi, hunc ad influxum explicandum, gratuita et rationi opposita sanguinis, ultra quam par est, *inspissati* hypothesi opus non erit. Sunt, quae roseos genarum colores, ut nimis communes atque *plebejos* despiciant, urbium virgines, vel et mulieres: quam ob rationem *aceto*, ad libram et ultra, quotidie indulgeant ac, ut saepe observavimus, non modo *pallorem faciei*, ut credunt, longe *nobiliorem*, — sed et chloroticarum habitum atque symptomata in multis ferocia tandem contrahant. « Menses etiam, monente celebri *Graecorum* medico, aliquando vel *ob nimiam pinguedinem*, uti ob gracilitatem, supprimi solent. Pingues enim, inquit, magis exsangues reliquis sunt, minimasque venulas habent, et sanguis, qui in ipsis est paucissimus, fere in pinguedinem transit, atque hujus rei ex eo indicium est, quod tales minime omnium concipiunt ».

Non faustiores in uteri secretiones periodicas effectus *inedia*, et nimia *virium* sub laboribus *jactura* habent; ac non sine ratione, « *annos penuriae frequenter chlorosin* producere, « antiquus de mulierum affectibus scriptor adnotavit. Senioris et *Graeci*, de mulierum passionibus, auctoris assertionem: « illas, quae frequenter et valide *vocem* exercent, quod vocis exercitio menstruum sanguinem consumant, naturaliter non purgari », confirmatam fuisse haud novimus. « Et steriles, et praegnantes, et *cantatrices* item ac *saltatrices* naturaliter non purgari, quia quidquid in eis superfluum est, nimia exercitii vehementia consumatur », alter jam *Graecus* edixerat.

Quae jam octo ante lustra, de *vitae coelibis* apud utrumque sexum effectibus, in primo de *politia medica* volumine, scripsimus, ea hîc repetendi, nulla necessitas est. Quae autem de chlorosi, ejusque effectu, amenorrhoea, aliquando *hypersthenica* vel, ut alii vocarunt, febre chloroticarum *calida, alba ac densa, sanguinea, plethorica*, diximus (§. DCCCLXV.): ea frequentius laute nutritas, succiplenas, magisque antehac vivaces, sensibiles virgines, jam satis viripotentes, viduasque juniores hujus indolis, omni cum altero sexu commercio privatas, prae aliis, concernunt.

Ex omnibus quae hucusque de *amenorrhoeae caussis* dicta fuerunt, easdem, sicut ipsa uteri *profluvia cruenta*, ex culpa vel totius systematis, vel genitalium ipsorum, vel denique utrorumque, proficisci, resultat. Ob vivendi rationem feminarum, quae vitam urbium *distinctam*, i. e. otiosam, luxuriosam, vivunt, et ob strenuos nimis labores, qui, sub victu parum nutriente ac malesano, plebejas exhauriunt, major, sine dubio, amenorrhoearum numerus, ad morbos *asthenicos* pertinet. Vix interim amenorrhoea, qualiscunque ea sit indolis, ubi nimis in longum, neglecta, vel male curata, protrahitur, tam *simplex* persistit; sed a variis causae principalis effectibus secundariis *complicata* tandem efficitur.

§. DCCCLXXIV *Prognosis.*

Jam sola symptomatum causarumque amenorrhoeae expositio (§§. DCCCLXV. DCCCLXXIII.), ejusdem retentionis *prognosin* in se continet; atque huic pauca modo hîc loci superaddimus. Cum amenorrhoea alterius saepe morbi *effectus* magis, quam aegritudo *idiopathica* sit (DCCCLXV.); praedictionis momenta, illius potius, quam istius, ex indole eruantur oportet. Quousque consueta feminae *molimina*, periodi menstruae defectum antecedunt (§§. DCCCLVI. DCCCLXV.), hos naturae conatus, adhucdum superstites, medicorum illis subsidio fore sperare licebit; si vero jam omne molimen cum ipsa secretione menstrua emanserit: ambigua magis sors aegrarum dicenda, et quo diutius menstrua redire cunctantur, maxime si vel ex mensium suppressione, vel ex morbo, qui hanc in-

duxerat, *complicatio* gravior secuta est; eo major amenorrhoeae sanandae difficultas erit. Quare jam *Hippocrates*, « Mulier, inquit, cui in *sextis* mensibus (menstrua) non descenderint, incurabilis est ». Excipienda tamen amenorrhoea erit, quam *vitia*, quibus tollendis chirurgia par erit, *organica* produxerint. Quae vero istius manum recusant: ea nec internorum auctoritatem remediorum agnoscent. Quae serius seriusque accedunt menstrua: ea, ne supprimantur in totum, — sicut illa, quae frequenter anticipant, ne in profluvia chronica atque cruenta terminentur, metum incutiunt. Qui regionis hypogastricae in multis, quibus menstrua instant, difficilius fluunt, aut vero supprimuntur, tensionem, ventris, lumborum, coxarum crurumque dolores considerat: is, vasa non modo *uteri*, sed et illa *tubarum* ac *ovariorum*, utpote unius ejusdemque prosapiae, a sanguine turgere ac extendi, dubitare non potest. Menstruatae mulieris uterum conservavit, ac in observationibus anatomico-chirurgicis descripsit egregius quondam *Batavorum* anatomicus: in cujus uteri cavitate cruorem coagulatum, eidem leviter adhaerentem ostendit. Ejusdem autem indolis cuor, non modo hujus lateris *tubam* consperserat; verum et *ovarii* superficiei copiosus ac firmiter adhaeserat: unde humores heterogeneos, in utero contentos, per tubas Faloppianas ad pelvim et abdominis cavitatem posse deduci, conclusit; atque hanc viri eximii opinionem, et *Acta* Eruditorum Lipsiensium a. 1693 confirmarunt.

Si *chlorosis*, ut solet, cum amenorrhoea incedit, successu vero temporis menstrua comparent, ac justa periodo, et copia redeunt: recuperandae salutis spes magna affulget. Ubi menstruorum vices agit alia secretio: hanc, prius, ac illa rediverint, supprimere, periculosae res aleae foret. *Chlorosis adynamicae* ac *simplicis* cura, sub morbi principio, debitoque tum animi, tum corporis regimine, plerumque haud ardua; — quae vero, diu neglecta, cum obstructione viscerum, ac febre lenta *complicata* est: ea in leucophlegmatiam atque hydropem, maxime ovariorum, haud raro terminatur. Ubi clandestinum, nec tamen adimplendum, Veneris desiderium, hujus morbi aut

causa, aut effectus est: ibi *nymphomania*, seu *furor uterinus*, cui facile phlogosis hujus visceris occulta pro fundamento est, aegras hinc inde invadit. Inveterata chlorosis, mulieres vel steriles reddit, vel, si forsitan concoeperint, ad abortum disponit. Ob celatam, dissimulatam saepe, vel ob ignotam virginis, mulieris graviditatem, menstruorum provocationi absque profundiore indagine indulgere, periculosum simul ac impium est. Quibus mulieribus, fibra firmiore, aut nervis justo sensibilioribus instructis, menstrua cum dolore solvi solent: illae haud raro dirioribus quoque post partum doloribus subjectae sunt. Menstruorum suppressionem, congruam medendi per methodum, facilius, quam alterius speciem profluvii cruenti, revocari, quod vir quondam clarus praetendit, experti non sumus.

§. DCCCLXXV. *Cura amenorrhoeae. — C. prophylactica. — Cura amenorrhoeae tirunculurum; — Hypersthenicae; — Adynamicae. — Cura amenorrhoeae stillatitiae, circumscriptae, completae. — Cura amenorrhoeae organicae. — Cura amenorrhoeae interceptae. — Cura amenorrhoeae senescentium.*

Quibus menstrua, sub valetudine caeterum perfecta, nunquam fluxerunt: illis, antequam symptomata exinde morbosa se prodant, nulla prorsus medicina facienda est; nec ideo, quod virgo, aut mulier, cruento hoc a tributo dispensata, *fertilitatis* simul beneficio destitui dicatur (vel si experientia magis fundatum esset hocce judicium), cum haud modo una, sed multiplex, *sterilitatis* sit ratio, *emmenagoga* indicata sunt. Hypothesis absurda, quod menstruationis in femina humana, causa, in ejusdem *plethoram*, foetus nutritioni destinatam, collocanda sit, innumeros in medicae artis exercitium errores, — vix interim minores et altera aliorum opinio, quod omnis *amenorrhoea* pro sua origine *astheniam* agnoscat, induxit. Quod vix monuimus (§.DCCCLXXIV.), exempla puellarum atque viduarum, ex illegitimo concubitu gravidarum, ac procurandi sibi abortus desiderio impie flagrantium, numerosa, nec fere pauciora uxorum, se utero ferre, sibi haud consciarum, omnemque lae-

sae valetudinis culpam in solam menstruorum, qua laborent, suspensionem *imperiose* conjicientium, habentur: quae medicos, in dissimulatae graviditatis astutias, aut in signorum, quae primis impraegnationis sub mensibus, hanc ipsam a morbosa affectione distinguant, incertitudinem haud satis attentos, quô, gratuito *amenorrhoeae* sub titulo, embryonum non minus, quam gravidarum in perniciem, atque in conscientiae ac famae propriae laesionem agerent, induxerint.

Sicut in cura morborum omnium, ita et in illa *amenorrhoeae*, primae dignitatis argumentum, in sollicito *causarum examine*, earumque moderatione aut abolitione consistit. Magni quoque interest, retentionem menstruorum, quae *modo subitaneo*, aut magis *lento* inducta fuit, distingui. Prima scilicet ex istis, haud raro more *acutarum* affectionum incedit, ac celeriore, quam altera, auxilio indiget. Frequenter nempe haec ultima, sub clandestino et oculos minus feriente incessu insidiatur genitalibus. Nec minus sub menstruorum in aetate matura emansione, num *secretionis* magis, quam *excretionis* a defectu ea pendeat, perscrutari oportet; et quaecunque verae amenorrhoeae sit indoles; eamdem aliis simul morbosis affectionibus, non suis, posse *complicari*, quô et hujus rei cura habeatur, retinendum est.

Praemissis his generalibus therapiae circa morbum, de quo hîc agitur, praeceptis; qua ratione menstruationis opus dirigendum, atque sic funesti, ex eodem neglecto exspectandi, effectus praecavendi sint, exponendum est.

Quae *educationem physicam* utriusque sexus ad majorem reipublicae, ex prolis sanae ac vegetae generatione, prosperitatem concernunt: ea in primis *de politia medica* libris sollecite exposuimus, nec opus est hîc repeti; mirari interim licebit, quod, interea ac nullius artis, aut scientiae in civitate bene ordinata exercitium, nisi easdem probe edoctis, conceditur; non modo *generandae*, sed, quod magis arduum est, *educandae prolis cura*, cuivis, in *officiis*, quae salutem publicam non minus quam propriam respiciunt, *parentum*, vel minime versato committatur. Atqui ta-

men, a quo silvatici primum homines ad vitam *socialem* conducti, more ferarum promiscue coire cessarunt, *leges* tam sacrae, quam civiles, certas conjugiis civium conditiones, tam his ipsis, quam reipublicae salutares, imposuerunt. Sollicitudine interim majore circa educationem *adolescentum*, quam *virginum* occupatae hae leges, quamvis ab illarum conditione morali ac physica, futurorum illa civium vel maxime penderet, qua ratione patriae filiabus, ut destinatis posterorum genitricibus, mens sana in corpore sano conciliaretur, haud satis determinarunt. Hoc e fonte delicatula simul ac perversa virginum, in urbibus ad vitam otiosam, ineptiis saeculi addictam, ac rerum omnium, quae ad sexus sequioris sanitatem ac futura magni momenti officia spectant, ignaram, directio procedit. Quam igitur ipsae, *adhuc nubiles*, edoctae haud fuerunt, doctrinam scilicet, ad cujus normam pubescentes filiae, futuram sibi secretionem menstruorum absque infantili terrore praevideant, praesentem sub debito regimine foveant, et quae ejusdem periodos pessumdare possent, sollicite fugiant: — eam, *jam nuptae*, prolibus suggerere haud queunt.

Donec igitur vel cura magistratus, pro femineae educationis, saluti publicae magis analogae institutione excitetur; vel opus, matrum hac super re instructioni opportunum suppleat; medicorum ordinis erit, fiduciam, qua bonos apud cives is fruitur, ad matres, prole feminea instructas, in singulis, quae physicam istius educationem concernunt, solerter informandas, omnem impendere.

Hujus instructionis maternae sub praesidio, prima *tiruncularum* menstruatio (§. DCCCLXV.), bene consciae sese virgini absque animi perturbatione adnuntiabit; neque pudor male collocatus eamdem prudentis a medici, quo indigeret, consilio, mature invocando, absterrebit. Non paucis puellis cruentus ex utero fluxus vel inopinantibus ac sine ulla functionum laesione orditur; qui aliis, symptomata suo loco descripta excitare ac, ubi saepius haec redeunt, certumque vehementiae gradum attingunt, easdem tandem in *chlorosin* atque *hysterismum* gravem conjicere solet. Quô hi effectus evitentur, quamprimum pube-

scentem virginem, instantis, aut jam praesentis secretionis uterinae symptomata prehendunt: utroque in casu, quies animi et corporis, atque hinc, primos saltem per dies, supinus decubitus, facilioris alimenta subactionis, aqua haud gelida pro potu, spirituosorum, aromatum, ac atmosphaerae frigidae, aut calidae nimis fuga, quousque menstruantis conditio talia concedit, commendanda sunt. Atqui tali sub regimine, *fasciarum* circa genitalia stringendarum applicationi, utpote habitudini, naturae intentioni prorsus oppositae, ac immoderato tantum *Europaearum*, hac etiam vitae periodica sub epocha, societatis frequentandae desiderio adscribendae, eo magis renuntiandum est: quod, ut cum antiquo *Cappadociae* medico loquamur, « neque plurimi sanguinis sit plerumque prima purgatio »; et quod si, ut quibusdam tirunculis contingit, cruor uberius fluat; substrata genitalibus saepiusque renovata per linteamina, suscipi hic facile queat. Fatebimur quidem, tam rigorosum regimen, sexui femineo non parum esse incommodum atque ingratum; sed natura hocce tributum, his ipsis sub formis, sibi expetens; ita jussit; et quas ea poenas hujus legis transgressioni imponat, funesta nimis exempla loquuntur. Ob ista, nullus fere antiquitatis populus fuit, quin feminam menstruantem, per sacras etiam leges, societate excluderet, ac vitam separatam, donec ea esset *purificata*, agere coëgerit. Si plebejas rusticasve mulieres, vitae magis laboriosae adstrictas, has sequi praescriptiones difficile esse fateamur; has simul feminas, nisi nimis viribus fractas et miseras, menstruis plerumque parcioribus subjectas esse, non reticendum est.

Haud raro prima menstruationis, modo tardius consolidandae, symptomata apud *novellas*, in *solis moliminibus* consistunt, atque istorum influxu, non tam sanguis, quam humor subalbidus, serosus aut mucosus, genitalia humectat (§. DCCCLXV.); ne tamen haec excretio pro *fluore albo*, ut vocant, habeatur atque, ut talis, adstringente remedio tractetur, cavendum est. Hoc primum, ad menstruum tributum, quasi tentamen, sequuntur, vel citius, vel tardius, alia, saepe quidem adhuc *minus* stricte *periodica*, sed

tamen magis minusque cruenta. Pro varia autem, nec semper satis clara, puellarum dispositione, in his, fere quavis sine turba, — in illis, summo labore et sub singulis, quae jam indicavimus, abnormibus phaenomenis, aegre trahitur, interrumpitur, aut praepostere suspenditur, uterina secretio. Tali vero sub rerum conditione, quoad licet, *causarum* (§. DCCCLXXIII.), illis, quas *profluviis cruentis* adsignavimus, haud multum dissimilium, habenda est ratio: ut quas vel in universi systematis constitutione, nunc justo magis *energica*, nunc *adynamica* nimis, vel in genitalium ipsorum affectione *locali*, quaerendas esse monuimus.

In casu igitur virginis bene nutritae, robustae, cum pulsu constanter pleno atque vibrante, si urgeant symptomata, praeter victum tenuiorem, potum grate acidiusculum, evitato simul irritante caloris atmosphaerici majoris gradu animique pathemate, ad *Graecorum* medicorum axioma, « quae ob plenitudinem non purgantur, venae sectione curantur », sanguinem mittimus. Cavendum interim est ne, sub incremento symptomatum, *plethorae* magis *universali*, utpote minus frequenti, quam vasorum uteri solorum repletioni, distensioni speciali, hunc morbum adscribendo, eumdem, quasi *hypersthenicum* quemcumque alterum, sanguinis missione non illa, quam uteri inundatio *specificam* sibi exigit, subjugare contendamus. Femina, ut vir celebris retulit, a subitanea mensium suppressione, in coecitatem inciderat: nec visus a frequente cruoris missione restitui potuit; redeuntibus vero post tres menses catameniis, vel sponte oculorum simul rediit acies. Turbas totius vasorum systematis vel maximas, et quibus componendis, sanguis, ad plures libras detractus, haud par est; paucae modo unciae cruoris quondam retenti, suppressi, ex utero stillantis, promptissime dissipant. Hinc medici, natura monstrante viam, *quo tempore antehac vel sola molimina, vel menstrua ipsa redire solebant*, *ut magis opportuno*, *hirudines*, — non adeo, ut massam sanguinis imminuerent, quam ut naturalem periodum imitarent, vulvae applicari jusserunt. Est, qui hocce subsidium, *cruribus* admotum, non minus laudaverit; potiore interim jure, eodem, quo natura, — quam prope

licet, ex fonte hauriri juvabit. Quod si vero manifesta vasorum omnium repletio habitusque sthenicus, medelam sibi ipsi praeviam expetierit; locali hirudinum depletioni, sub tali rerum conditione haud sufficienti aut satis tutae, generalis ad brachium venae sectio praemittenda est. Cum vel in primo hujus operis libro, jam anno 1792 edito, ipsius adeo *typhi* sub principio, venae sectionis necessitatem aliquando subintrare monuerimus (§. XCV.); nemo sane, eamdem a nobis et in *chlorosi*, sub eadem positione, admitti, mirabitur; et jam sola *epistaxis* spontaneae, sub istorum morborum invasione cum enormi cephalaea, multoties observanda utilitas, haec ultro confirmat. Facta sic vasorum depletione, si necessitas urgeat, *generali*, et porrecto simul, in frigida, elixirio acido *Halleri*, — si modo uteri plethora localis dominetur, *speciali* —, continuante vero hypogastricae regionis molesta tensione, facile simul spasmedica, fomentatio istius emolliens, clyster hujus indolis, balneum tepidum, ex sedili adhibitum, vapor calidus, aquosus, genitalibus admissus, sub debito regimine, rem omnem saepe absolvent.

Sicut vero haud frequentem, apud virgines pubescentes et mensium emansione aut difficultate laborantes, statum *hypersthenicum* occurrere monuimus: ita certe longe major illarum, quae constitutione, illi prorsus opposita incedunt, numerus est. Praecesserunt scilicet apud istas, aut haereditaria, aut congenita in morbos adynamicos dispositio, fibra corporis tenera, laxa, color pallidus, major aequo sensibilitas, et quae hanc, praesentem, longe augent, absentem creant, vita sedentaria, otiosa, atmosphaerae liberioris beneficio privata, vigiliae nocturnae, somnus ad meridiem usque protractus, ciborum, subactu difficilium, aut parum nutrientium, potulentorum vapidorum, maxime infusi *Theae*, abusus, fabularum romanensium vix interrupta lectio, curae diuturnae, amor infaustus, pathemata animi alia, deprimentia, morbi praegressi, evacuationes nimiae, refrigerium frequens, etc. Sub tali rerum statu, et hac inprimis amenorrhoeae in specie, ante omnia, num primis in viis, saepe diu neglectis, saburrae lateant, videndum

et, qua via tendunt, blanda istarum evacuatio, horis urgente symptomate liberis, instituenda est. Sub ipsis scilicet ad menstrua moliminibus, qua periodo spasmi multiplices, ex utero maxime oriundi, ac summa totius systematis cum istis participatio, remediorum fixorum, tonicorum, non minus, quam volatilium, valide stimulantium, usum omnem excludunt; modo ea, quae tantos tumultus componant, lenia diapnoica, antispasmodica, infusum tepidum chamomillae, melissae, aqua destillata castorei, valerianae sylvestris, cum paucis liquoris cornu cervi ac tincturae anodynae guttis, exiguae camphorae, aut moschi, nisi hujus odorem aversentur, doses, — pediluvia satis profunda, vapores genitalibus admissi, haud nimis calidi, regionis hypogastricae, cum spongia, lacti tepido immissa et expressa, fomentatio, indicata sunt. Ipsi clysteres, quibus opii dosis moderata superadditur, uteri, recto intestino vicini, spasmis haud raro egregie medetur; quamvis a manu incauta adjectum idem hoc remedium, et apoplexiam, et crurum paralysin excitasse sit visum. Quod si ex cruore, sub spasmis, in vasis uterinis coërcito, major symptomatum ferocia id exigat, *hirudines* (non quidem tollendae, quae haud subest, *generalis plethorae* gratia, sed, ut eidem systemati vasorum, ex quo, nunc nimis oppresso, sanguis, nutu naturae secerni arcetur, experientia duce subveniamus) labiis vulvae et hoc in casu adponimus. Ipsae interdum cucurbitulae siccae, cruribus admotae, huic scopo inserviunt.

Etsi vero *febris amatoriae* nomen, a vulgo chlorosi tributum, ut majori virginum, hoc a morbo correptarum numero injuriosum, rejecerimus (§. DCCCLXV.); sunt tamen aliae, quae, vel innocentissimae, ad uterum sensu acutiore instructae, vel ex influxu in illum haud satis intellecto, stimulum, a nulla, nisi *conjugii*, ope compescendum, persentiant, atque hocce subsidio, ab ipsa natura violenter dictato, carentes, aliae in melancholiam, aliae in taedium vitae, aliae in maniam aliaeque in ipsum furorem uterinum incidant. Non sine ratione hinc divus *Hippocrates*, « Virginibus, inquit, suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris conjungantur. Si enim conceperint, sanae evadunt. Quod

nisi fiat, una cum pubertate, aut non ita multo post, his tentabuntur, nisi viro jungantur ». Hanc medicorum principis sententiam aevorum posteriorum observatio ultro confirmavit: ita ut desiderata diu in vanum catamenia, vel prima conjugii nocte aliquando proruperint, et ut pallidissimae ac vix non cereae virgines, posteaquam concepissent, amoenum roseumque genarum, quo pridem floruerant colorem, atque optatam salutem, absque alio auxilio, denuo lucratae sint.

Atque haec medendi ratio, non solum *molimina* menstrua apud *tirunculas* difficiliora, sed et graves a *difficultate*, *retardatione*, *suppressione* menstruorum insultus apud feminas, huic secretioni jam diu adsuetas, pro indole eorum aut energica, aut adynamica, concernit. Alia vero sub his accessionibus, facile periodicis, — alia, quo tempore istarum symptomata quidquam sedantur, ac locum subsidiis plusquam *palliativis*, concedunt, aegras curandi est ratio. Primum scilicet curae momentum hîc, in justo vitae regimine, ac in sollicita causarum, quae morbo occasionem porrexerunt, fuga est positum. Quibus puellis, aut feminis abunde nutritis atque hucusque robustis, absque *graviditatis*, saepe haud injusta, suspicione, menstrua, aetate, qua fluere deberent, vel emanent, vel cum difficultate fluunt, aut suppressa sunt: illis victus parcior, potus aquosus, acidulus, atmosphaera frigidiuscula, alvus libera, commendanda, — ea vero, quae systema vasorum excitarent, viresque augerent, prohibenda sunt. Atque hae vel maxime aegrae, sub larva symptomatum, *chlorosi* adfinium, illis, qui istam soli modo *adynamiae* adscribunt, fucum haud raro fecerunt. Vix etenim his feminis, debilitatis mentitae sub auctoritate, remedia, in *chlorosi* plerumque proficua, ex classe roborantium, ex cortice chinae, ex martialibus, dosi licet discreta, propinantur: cum illico anxietas, inquietudo, pectoris, stomachi oppressio, cordis palpitatio, tremores, lumborum, hypogastricae regionis tensio, dolores, longe quam antehac majores, easdem prehendunt, atque, morbo non parum magis, quam communis et haud neglectae in curatione solet, in longum protra-

cto, infaustae huic medendi methodo renuntiandi necessitatem imponunt. Quandocunque interim prima vel amenorrhoeae, vel chlorosis symptomata, ab irritabilitatis excessu et energica nimis a cordis et vasorum intolerantia provocata, sub exposita medendi ratione evanuerint; aut ubi mox a prima morborum dictorum invasione, verae principia adynamiae comparuerint; tunc, ad istius quoque curam, cibis aliquanto magis nutrientibus, atque remediis, excitabilitati aegrarum analogis, illa vero imminuta, sensim augendis, suscipiendam, tempus est.

Ac primô quidem, ut omne abdomen, genitalia, et crura sexus feminei, perflationibus aurae frigidae, pro amictus Europaearum, saltem plurimarum, nec satis decentis, nec salubris, ratione, nimis exposita, *femoralium* ope muniantur, exhortari tam sanas, quam potissime aegras, haud satis valemus. Ut vero, redeunte forsitan sub menstrua periodo, ab omni *refrigerio*, ut frequentiore amenorrhoeae causa, sibi caveant, summi momenti est. Sic adfinis nobis sanguine, sanissima et formosa virgo, cum bacchanali et frigido admodum tempore, etsi menstruans, choreis tamen intervenisset, primo diluculo easdem, sudoribus madens, deseruit et, quin currus adventum exspectasset: via sat brevi, domum, — ut in hac, post quatuor jam dies, ex *metritide cadaver* esset, redivit. Majoris adhuc audaciae, ac tertia jam die lethale, exemplum supra (§. DCCCLXXIII.) adduximus, et plura, nisi haec jam sufficerent, maxime a potu gelido, vel glacie, medio menstruorum sub fluxu affatim ingestis, adducenda nobis superessent. Sub tanta vero sexus sequioris, sub menstrua periodo versantis, *irritabilitate*, atque sub tanta in animi pathemata graviora dispositione, ex *iracundia* maxime et ex *terrore*, effectus non minus infausti, medentibus vix non quotidie se offerunt: unde, quam parum solis pharmaceuticae indolis, auxiliis menstruantes, a cruoris suppressione, vel aberratione possint defendi, satis elucet.

Ad haec vero artis subsidia quod spectat, ventriculi functio, a cujus integritate, universi systematis illa pendet, prima ex illis adminicula sibi exigit.

Infusum aquosum ex amaris, potissime ex rasura ligni quassiae, vel ex trifolio fibrino paratum, cui simul aqua naphae superadditur, prae aliis hîc convenit. Hisce, per octiduum circiter, porrectis, infusum corticis peruviani frigidum porrigimus, cui aquae cinnamomi simplicis portionem substituimus. Sunt tamen feminae, quae, prae cortice chinae, vix dicta amara, aut alia, facilius perferant, atque haec, tali sub casu, pro illo supplebunt. Donec major ventriculi sensibilitas superata fuerit: forma medicaminum liquida, eumdem longe minus adgravat. Ubi corticis infusum frigidum contulerit; ad ejusdem decoctum aquosum, cui, sub fine, cortex cinnamomi infusus fuit, pervenimus. Sunt, quarum ventriculo infusum istorum, cum vino rhenano paratum, magis arrideat. Ab his autem potissime ad varias ex marte tincturas, quas inter, illa *Bestucheffii* nobis frequentius in usu est, — ubi vero auctas sensim istarum doses ventriculus facile subegerit; ad limaturam martis alkoholisatam, cum elaeosaccharo cinnamomi, ascendimus. Haud raro, cum aliis, chalybem a paucis, sub initio, granis, ad scrupulum unum et ultra, bis terque nycthemeri spatio, cum effectu vix non specifico, *chloroticis* praescripsimus.

Alia vero atque diversa inter se remedia, partim *mitiora*, partim valide *stimulantia*, quae modo quasi *specifico* ad menses provocandos contribuere credebantur, *emmenagogorum, aristologicorum* sub titulo, celebrata, et longa nimis serie in libris de *materia medica* exposita fuerunt. Eviluerunt interim ex primis quamplurima, et aliorum vestigia, vel ab inhumanis puellarum, viduarum praegnantium, *abortum* sibi provocandi, — vel ab incautis nimis medicorum, menstrua suppressa cum emmenagogis violentis revocandi, tentaminibus relicta, nos terrent.

Quae ad *mitiora*, invitandis menstruis, destinata remedia spectant: ea, licet nullo modo specifica, indicationi, ad *adynamiam*, ut morbi causam frequentiorem, debellandam, saepe respondent. Primum inter ista locum sibi vindicant *gummi ferulacea* atque *mercurius*. Ob suppositum nempe *humorum lentorem*, qui, uteri vasa obstruendo, menstruorum secretionem

impediret, specificam vix non ab illis remediis, hoc in fluxu normali promovendo, restituendo, virtutem, vi sua *resolvente* exseri credebant. Quamvis autem hanc istorum actionem ex falsa temporis elapsi hypothesi repetierint; non tamen in casu astheniae, praecipue inertis et semiparalytici vix non uteri sub statu, medicamina, in excitanda vasorum nervorumque actione vitali tam potentia, minus aestimabimus. Huc spectat quoque *borax*, cujus interim salis in amenorrhoea effectus, nos ipsi satis experti haud sumus. Populare quarundam *Germaniae* provinciarum remedium contra amenorrhoeam, *crocus* est; ac si quid isti hunc in morbum virtutis conceditur: hoc sane in excitante ejusdem principio volatili, cujus ope languentem nimis cordis et vasorum actionem id erigit, atque spasmodicis ex *adynamia* effectibus medetur, quaerendum est. Quanta vero, sub rerum conditione contraria, vel sub administratione hujus stimuli nimis incauta, in aegras damna scaturiant; tum haemorrhagiae, non uteri modo, sed et pulmonum, et aliae, tum viscerum incendia, hos abusus insecuta, satis commonstrant. Aequali fere ratione in amenorrhoea laudata remedia ex radicibus *aristolochiae*, rubiae tinctorum, dictamni albi, ex herbis *matricariae*, *melissae*, *marrubii albi*, *pulegii*, petita, stimulo, quo pollent, tam volatili, quam alio, pro diversa amenorrhoeae origine, effectus in istis salutares, in illis, nocivos producunt. Ad *aloën*, quod spectat, laudatam aeque ac vituperatam hujus remedii in fluxu haemorrhoidali atque uterino promovendo, efficaciam, non tam *specificam* esse, quam ab ejusdem et *generali* in omne systema, et *speciali* in canalem cibarium ac intestinum inprimis rectum, cujus vasa, cum illis uteri coëunt, stimulo, in amenorrhoea *hypersthenica* certe contrario, in *adynamica* vero, ubi prudenter is dirigitur, saepe proficuo, pendere arbitramur. Hoc igitur remedii genus ubicunque mensium emansio, suppressio, a cordis et vasorum actione jam nimis energica pependerint; ubi nervorum sensibilitas mites modo et adaequatos sibi stimulos exegerit, et acuti admotionem calcaris recalcitraverit; ubi major in diarrhoeas propensio praecesserit; ac,

demum, ubi vasa haemorrhoidalia jam nimis cruore oppleta, varicose turgentia, similem in illis uteri, ex adynamia congestionem, infarctus, supponi jusserint: majore cura evitabimus quidem; sed potiorum in artis exercitio virorum exemplis, ac propriae, diversos inter populos captae, experientiae innixi, sub conditione amenorrhoeae, illi, de qua vix locuti sumus, oppositae, extractum *aloës* aquosum, justae, ne diarrhoeam excitet, dosi praescriptum, atque gummiferulaceis, ammoniaco, galbano, asae foetidae, vel et ipsis tandem martialibus commistum, nequaquam reformidabimus. *Tincturas aloëticas*, quas, ut acriores, feminae, spirituosis apud nos haud assuetae, difficilius perferunt, raro praescribimus.

Potentiora ex sic dictis *emmenagogis* remedia, *sabinam, colocynthidem, radices hellebori nigri*, quamvis a viris praeclaris, laudata, si extractum ultimarum excipias, tentare ausi non sumus; atque hinc debita, quô de istis plura dicamus, destituimur experientia.

Praeter haec *interna* subsidia, emolumenti quoque plurimum adferunt *externa*: pediluvia, vapores ad genitalia, semicupia aromatica, frictiones crurum cum pannis, fumo aromatico imbutis, equitatio; singula periodo menstruae aliquandiu praemissa. Fuit, qui admisso aliquoties genitalibus aquae calidae vapore, et moderate simul compressis, per horae intervallum, machinae tornatilis ope, femoralibus arteriis, menstrua revocata fuisse testatus sit, in Actis medico — *Edinburgicis*; a nemine interim alio emmenagogum hoc audax et principiis mechanices innixum, ne majus ipsa amenorrhoea malum, haemorrhagiae uteri, pulmonum et aliae succederent, tentatum fuisse novimus. Ipsa etiam electricitas, feminis, haud nimis sensibilibus, profuit.

Sub majore menstruorum difficultate, vel sub eorumdem plena suppressione, haec ipsa, ab utero aversa, frequenter alia mox loca inundare, atque plus aut minus periodice, *secretionis vicariae* sub nomine, nunc vomitum cruentum, nunc fluxum haemorrhoidum, nunc epistaxin, nunc pneumonorrhagiam, nunc vero stillicidia ex partibus aliis cruenta generare, jam diximus. Sub tali menstruorum aberratione, scriptor de *emmenologia* conspicuus, paucis ante periodum men-

struam diebus, venam pedis secandam esse docuit. Quemadmodum autem non omnis *vicaria* menstruorum, vel ex ipsis visceribus contingens, secretio tam periculosa est, quam illa, quae proprio istorum ex vitio descendit, aut omni sine damno supprimi potest: ita nec sine examine causae, quae secretionis uterinae aberrationem induxit, sed modo ubi morbosa virium exaltatio satis constans, nec modo ficta, id exigit, generalis venae sectio adprobanda, aut si major symptomatum vehementia id exigat; *hirudinum*, instante periodo menstrua, genitalibus applicatio, huic ipsi longe praeferenda est.

De amenorrhoea organica loquentes (§§. DCCCLXIV. DCCCLXIX.), modo illi, *retentionis menstruorum* nomen convenire diximus: quae, postquam menses jam locum habuissent, ex *acquisito* magis, quam *congenito* pudendorum internorum e vitio *organico* processerit. Qua vero ratione morbi praegressi aut illatae laesiones, normalem antehac uteri fabricam vitiaverint atque secretionem ejus cruentam suppresserint: hoc, sicut determinari perarduum, ita et effectibus tantae dignitatis mederi, nemini saepe concessum est. Qui interim morbi praegressi causas, naturam, decursum ac finem, mente attenta revolverit; qui laesionis externae modum, directionem, extensionem atque symptomata rite perpenderit; ac tandem, qui *explorationis obstetriciae* in arte satis versatus fuerit: is amenorrhoeae organicae indolem, et quid in ea sperandum, quid forsitan tentandum sit, aliquando perspiciet. Ad medendi rationem quod pertinet, ea partim *chirurgica*, partim autem *medica* est. Sic, ubi cruor plures forsitan per menses in utero periodice secretus, magnamque ad molem hoc in viscere, plurimum extenso, collectus, per istius orificium, vel ab excrescentia nunc propria, nunc sibi vicina, vel a contagio varioloso, syphilitico, a partu laborioso, artificiali, a laesione quacunque externa, inflammatum, abinde pseudomembrana obtectum, exulceratum, inter se, vel cum vagina, simul inflammata, concretum, obliteratum (§. DCCCLXX.), effluere nequit: nunc ligatura, nunc escharoticis, nunc vero sectione, ad loca tam angusta tamque sensibilia, cautae manus ope administran-

dis, opus est. In abscessus, ulcera, indurationes, cicatrices, quae internam uteri superficiem infestant, ac secretioni menstruae non minus, quam conceptioni ineptam reddunt, vix ulla chirurgiae, ob negatum accessum, — aut arti medicae, nisi per fomenta et balnea, conceditur auctoritas. Quae syphilidem pro causa agnoscere creduntur, uteri ulcera interna: ea specificam medendi methodum sibi expetunt.

Vitia organica, quae sanguinem menstruum jam secretum, vel ad labia vulvae coalita, vel in vaginae canali, vel ejusdem ad ostium, culpa hymenis, *intercipiunt* et excerni impediunt (§. DCCCLXX.), chirurgica solum, nec alia sibi auxilia, quorum tamen expositio haud nostri est officii, requirunt. Ubi ex *congenita* uteri vel absentia, vel abnormi habitu, vel ex constitutione feminae peculiari, in aetate matura, menstrua numquam secreta fuerunt, ut quorum vitiorum vix dictum effectum *retentionibus* cruentis adnumerari haud posse, jam diximus, vel ipsa chirurgiae subsidia, excepto, quod labiorum vulvae sub symphysi, vel sub vaginae obstaculis, et ad urinae liberiorem defluxum, et ad coitum viam inutilem pandant, ad minimum superflua sunt.

Qui tributi cruenti, soli feminae humanae impositi, rationes a nobis ignorari, fassi jam sumus (§. DCCCLXXIII.): hoc ipso simul *plethoram*, causa *generali* malorum, quae multis *senescentibus*, hoc tandem jugo dejecto, insidiantur, absolvimus, atque sic frequentem venae sectionis, hac sub vitae muliebris periodo, abusum damnavimus. Sunt omnino mulieres laute nutritae ac vegetae, inprimis urbanae atque otiosae, quae, ad morbos inflammatorios dispositae, interrupto per aliquot menses, aut plane cessante fluxu menstruo, pristina vivendi ratione vel minime deposita, graves in morbos hypersthenicos incidant, ac iisdem, vel eorum effectibus haud raro succumbant: atque hac sub rerum positione, medendi methodus debilitans, habito virium respectu, indicabitur. Quotiescumque vero complexionis infirmae, delicatulae ac flaccidae femina, aetate, qua aliae solent, menstruo fluxu destituta, descripta (§. DCCCLXXIII.) hujus revolutionis symptomata experitur: venae sectio, quidquid aut durior quidquam, aut vi-

brans sub istis, nec igitur unquam satis constans, arteriarum pulsatio de plenitudine testetur, evitanda et, istius in locum tam animi, quam corporis quies, adaequata huic statui vivendi ratio, colatoriorum libertas, potus tepidiusculus, semicupia, elixir acidum *Halleri*, vel, ubi spasmi hysterici urgent, leviora, eisdem sopiendis apta remedia imperanda sunt. Absolutis demum menstruae periodi turbis, maxime dum inimica viribus *metrorrhagia* cum plurium amenorrhoea mensium alternaverit: habita irritabilitatis, sensibilitatis morbosae, saepe hoc sub statu diutius reliquae, ratione, restaurantia, gradatim adaucta, infusum aquosum ligni quassiae, cum aquae naphae portione, infusum frigidum corticis chinae, ejusdem decoctum, ac lenia tandem martialia, rusticano in aëre adhibenda, indicabuntur.

ORDO IV. GENUS II.

RETENTIO LOCHIORUM.

§. DCCCLXXVI. *Transitio.*

De lochiorum decursu et indole jam plura retulimus (§§. DCXLI. DCXLII.); ac de *metrorrhagia* agentes (§. DCXLVII.), varia, quae simul oppositum huic morbum concernunt, necessario tetigimus. Tanta vero quotannis ab isto, optimarum patriae civium funera cadunt: ut infami lethalitatis suae macula, distinctum is, prae multis humani generis flagellis, hoc in opere locum sibi vindicet.

§. DCCCLXXVII. *Varia lochiorum natura.*

Si lochia, *coloris*, *consistentiae*, et *continuationis* ratione dividamus: *prima* illorum varietas, laeto magis et coccineo aspectu, cruoris e vulnere stillantis fluiditate, ac fluxu breviore, duas tresve plerumque ad horas limitato, dotata est; — *altera*, obscuriore partimque atro colore, densitate sanguinis coacti, atque duratione fere tripla insignitur; — *tertia*, sero plus minus sanguineo, liquidiore, cursuque tres, quatuor ad dies (apud quasdam, ad totidem hebdomadas) extenso, distinguitur; — *quarta*, puriformi, albescente, magis turbido atque densiore aspectu et, a quo sanguis in illa disparuit, per tres fere septimanas du-

rante, instructa; — *quinta*, mucoso-lymphatico magisque opaco habitu, apud nutrices, triginta circiter dierum, apud alias puerperas, sex adeo et ultra hebdomadum spatio, conspicua est. Nihil interim in istis constans semperque sibi simile est; atque vel eadem mulier, quin igitur aegrotet, et quin causa semper pateat, diversos post partus, lochia nunc pauciora, nunc plura, nunc diutius sanguinea, nunc citius serosa, mucoso-lymphatica, experitur. Utplurimum feminae, quibus copiose fluere solebant menstrua, copiosum quoque lochiorum fluxum patiuntur, et contra, parcum, quibus menstrua pauca fuerunt. Sic etiam, si illis, quae, ipso partus sub opere, sanguinem sat multum amiserunt, vasis scilicet uteri haud parum jam depletis, contractis, parciora lochia fluant (etsi contrarium quoque successisse viderimus); non est, ut miremur. Haud parum ratio vivendi puerperarum, exercitii corporis ratio, et ipsa *ciborum*, quibus eae nutriuntur, qualitas et quantitas huc influunt. Lochia, ex paucioris modo sanguinis, sero et lympha commistione, *flavescere*, haud rarum est; sed et *croci* sub cibis, solito in quibusdam *Germaniae* provinciis, ab usu, lochia hujus condimenti colorem semper contraxisse, *Ephemerides N. C.* docuerunt. Sub *ictero*, non modo *lac* nutricis, sed et *medorrhoeae*, qua laborabat, materiam, colorem flavum, biliosum, induisse, observavimus; nec si tale quid puerperae ictericae cum lochiis contingeret, hoc mirum esse diceremus. Exemplum puerperae, et ante et post partum sanissimae, iisdem in *Ephemeridibus* exstat, « quae, post foetum non minus sanum et facile exclusum, nec guttulam sanguinis, sed loco istius, aquam *viridem*, limpidam, dulcem, omnis acrimoniae expertem, facile ad *libras viginti* excrevit. Duravit hic fluxus per integrum mensem, satis copiosus, absque ullo sanguinis vestigio. Neque puerpera male habebat, sed uti feliciter enixa erat, ita reliquo puerperii tempore, absque multis torminibus aliisque incommodis, optima fruebatur sanitate ». Nec alia, quae hîc omittimus, lochiorum, modo aquosorum, exempla desunt. Casum feminae juvenis, plurium jam prolium matris, quae nec menstrua, nec lochia unquam experta erat, ita

ut singulos post partus, cruoris uterini vix unciam dimidiam excernere solebat, ex Actis Instituti clinici *Ticinensis* jam adduximus, et plura, nisi jam hoc sufficeret, puerperarum, absque fluxu lochiorum perfecta salute fruentium, exempla referre possemus. Lochia mox a partu absoluto excreta, plerumque satis copiosa, sicut cruoris sani in femina sana *colorem*, — ita quoque *odorem* haud diversum atque nec minime foetidum agnoscunt; serius autem exstillans liquidum, specificum utique ac subacidum foetorem exhalat. Haud raro lochia, medio sub cursu et sine morboso symptomate, per horam unam alteramve fluere cessant, postea vero vel eodem, vel mutato sub aspectu, redeunt: ac talis suspensio vel ex corporis puerperae positione, vel ex ipsius uteri inflexione obliqua, vel ex grumo sanguinis, in hujus orificio stagnante, vel ex faecum, in recto intestino accumulatarum, in vaginam compressione venire videtur.

Si *menstrui fluxus* causae nos lateant (§§. DCXLI. DCXCVIII.); haud multo magis *lochiorum* illas perspicimus, atque tum in his, tum in aliis bene multis oeconomiae corporis humani explicandis functionibus, physiologia nos deserit. Fons quidem, qui uteri cavum a partu inundat, maxime ad sedem illius, a qua placenta vix secessit, scaturit; sed cum vasorum placentae, cum vasis uteri, per injectiones anatomicas in illa, haud confirmetur communicatio; et cum nec *arteriarum* uteri, qua cruorem in placentae parenchymata deponant, *prolongatio*, nec *venarum*, quae cruorem reliquum ex his caveis ad uterum reducant, *officia* satis illustrata sint; eo magis de hac lochiorum scaturigine dubia movere licebit: quod et in feminis animalium brutorum, placentae, uteris non minus adhaereant; nec tamen ideo illarum ab istis separatio, lochiorum fluxum, ut in femina humana, inducat; quod et ista, ubi, menstruis licet semper destituta, nihilominus conceperit; placentam utero, absque lochiorum majore, quam animalium domesticorum feminae solent, successione, ut in nostro exemplo, expellat; ac demum, quod haud pauca puerperarum, sine lochiis ullo modo cruentis, specimina existant. Quod si tamen, sub tanta rerum obscuritate, hypo-

thesi, donec lux nobis major affulgeat, uti liceret, quamvis nec plausibilioribus ex istis multum faveamus; sequentem, prae aliis, adoptaremus. Quae nempe tunica hirsuta, *deciduae* sub nomine, ovum humanum exterius investit et cum superficie uteri interna conglutinat: ea *pseudomembranam* potius, ex lympha coacta formatam, atque vasculis ab utero et ab amnio dotatam, quam membranam originalem, seu ovulo coaetaneam, sistit. Vel ovulum ipsum, vel sola germinis feminei materia, vix fecundata, ex ovario ad tubam cum impetu in uterum feratur; cum vel ipsa *conceptionis* functio, ex observatione magni quondam *Bataviae* anatomici, *phlogosis* speciem in genitalibus feminae excitet; et cum hoc ovulum, aut germen, parietibus uteri, ante conceptionem sibi semper contiguis, commissum, eosdem, ut corpus peregrinum, exstimulet: ex hac superficiei uteri internae irritatione, ut ex quavis alia, secretio lymphae mutata, et ex ista mox pseudomembrana, seu *decidua*, nascetur. Haec igitur exterior ac tertia ovi humani membrana, ab utero, sub partus laboribus, tam praeviis, quam subsequis, vehementer ac saepius convulso, suis cum vasculis avellitur, ac sanguis ex sauciis undique istorum ostiolis, potissime vero ex vasis majoris diametri, quae placentam ipsam utero intimius conjunxerant, diruptis, donec iste in se ipsum contractus, impervia haec reddiderit, prorumpit. Quae vero mox a conceptione locum habuerat, levior *phlogosis*: ea, *depurationis* sub opere, incenditur magis, ac *febrem ephemeram uterinam*, *quasi vulnerariam*, quam scholae, sororiantes sympathetice ob mammas, *lacteam* dixerunt, constituit (§. DXXIII.). Quo citior et quo perfectior uteri, a foetu et secundinis expulsis, contractio, — eo minor quoque lochiorum et quantitas et duratio erunt. Quod si hîc et promptior et perfectior esset uterorum apud feminas animalium brutorum, quam humanas apud mulieres, post partum contractio; problema, cur illi, mox ab exclusione foetuum, modo parum cruoris, — hi vero sat multum profunderent, solutum foret.

§. DCCCLXXVIII. *Divisio retentionis lochiorum.*

Varia *retentionis lochiorum* indoles est: nunc enim ea *incompleta*, nunc *perfecta*, atque tunc aliquando a similis naturae profluvio *vicario* compensata, — nunc hîc modo *localis*; illinc, nunc *hypersthenica*, nunc *adynamica* est.

Nulla quidem lochiorum mensura satis certa habetur, ac una eademque mulier, hoc a partu sat copiosa, ab altero, pauca, quin igitur aegrotet, experitur. Hinc, nisi causa huic profluvio adversa praecesserit, ac morbosa simul affectio lochiorum parcitatem comitetur insolitam; haec sola certe morbum haud constituet. Sic neque perfectum lochiorum defectum, alibi tam ominosum, si forsitan mulier, prima vice puerpera, nulla hucusque menstrua, — vel, ubi partus praecedentes, nec lochia ulla, nec tamen morbosa symptomata fuerint secuta, facile timebimus. Etsi autem *vicariae*, lochiorum in locum, secretionis cruentae, vel alterius exempla haud desint, atque eamdem nunc per nares, nunc ex ulcere mammae, nunc per alvum secutam fuisse legamus; rarius tamen longe hoc phaenomenon, quam a menstruis suppressis, occurrere, dicendum est: cum nobis ipsis, in quinquaginta et quatuor annorum artis medicae exercitio constitutis, hujus naturae nihil obvenerit. Nulli hinc fundamento nobis assertio, « fluxum lochiorum solo tempore et quantitate a mensibus differre », innixa videtur, et quam parum, ratione scaturiginis, *lochia* cum *menstruis* conspirent, vel. ex eo jam, quod ista, *secretionis uterinae opus* sint; ubi lochia modo *separationis cruentae secundinarum ab utero effectum* sistunt, elucet. Et quantum non secretio menstruorum *vicaria*, frequenter observata, et saepe non minus, quam ipsi menses, *periodica*, ab *unico* profluvio, quod, sicut aliis a causis, ita et a morbis, qui lochia suppresserunt, vel rarissime exoritur, distat! Ex oris uterini potissime, aut nimis sensibilis, aut partus difficilis, artificialis, sub opere laesi, inflammati, et mox a foetus et secundinarum expulsione clausi, *vitio locali*, cruor in utero colligitur ac, in grumos coactus, sibi ipsi viam praecludit. Vel ipsis

a cingulis mox a partu puerperae applicitis, iisque nimis adstrictis, ab enemate vinoso, intestinis injecto, subitanea primorum lochiorum retentio exorta est. Frequentius interim hujus fluxus apud puerperas suppressio, alterius mali, et quidem nunc *hypersthenici*, nunc *asthenici*, prout jam sub *peritonitidis puerperalis*, ac sub *metritidis* consideratione docuimus (§§. CCXVI. CCXXV.), *symptoma* est.

§. DCCCLXXIX. *Symptomata.*

Qui feminis non tam paucis, quamvis fluxu menstruorum, extra menstruationis tempus, rite instructis, *lochia* tamen, citra sanitatis laesionem, *nulla* fuisse, mente tenuerit (§. DCCCLVI.); qui puerperis, quae multum cruoris ipso sub partu perdiderunt, lochia plerumque pauciora fluere, secum reputaverit (§. DCCCLVI); qui ipsum hunc fluxum frequenter solo morborum aliorum *effectu* supprimi intellexerit (§. DCCCLVII.): ille symptomata, huic retentioni, nisi illi, quam *vitio locali* adscribimus, propria, vel specifica hîc loci a nobis describi vix exspectabit. Hoc ultimo certe in casu, hypogastrii intumescentia, tensio, dolor, ad lumbos, inguina extensus, faciei rubor, spirandi difficultas, oculorum perturbatio, rigores, febres, animi deliquia, interdum convulsiones, suppressionem lochiorum comitantur. Ubi morborum aliorum effectus est haec suppressio: praeter istam, morbi principalis potissime urgent symptomata. Atque hoc sensu *Hippocratis* descriptio, digna, quae hîc adducatur, sumenda videtur: « Si non processerit purgatio, continget ipsam (puerperam) febrire, et horrorem habere, et ventrem magnum esse: et si ipsam attigeris, totum corpus dolere, maxime si quis ventrem attingat: et alias atque alias stomachi dolore vexatur, et lumbos dolet; et cibi fastidium, et vigiliae, et punctura adest. Postea quinto aut septimo die quandoque venter turbatur, et secedunt nigra, et valde graveolentia alias atque alias, et urina velut asinina. Et si secesserint, videtur sibi melius habere, et curata, brevi sana fit; sin minus, periclitabitur profluvio ventris forti ipsi illapso. Et puerperii purgamenta ipsi occultabuntur. Si vero venter ipsi non turbatur, neque purgatio pro-

deat sua sponte, neque ea quae commoda sunt brevi exhibeantur, tempus autem progrediatur, multo magis ex praedictis affligetur. Et insuper periclitabitur, ne livida fiat velut plumbum, et aquam intercutem incidat, et umbilicus extabit ipsi ab uteris, et circumcirca nigrior erit. Et ubi haec facta fuerint, fieri non potest ut mulier superstes maneat. Pereunt autem aliae alio tempore, pro corporis et affectionis ratione. Verum unam et vigesimam diem non excedunt, id quod plerumque sic contingit. Si vero purgatio ipsi eruperit, sive a pharmacis, sive sua sponte (fit enim et hoc si uteri os laxarint, a sanguine acervatim derepente delato coacti: et si eruperit, graveolentia purulenta depurgantur: quandoque etiam nigra) et melius habebit, et curata sanescit ». — « Si vero purgatio puerperii primis tribus aut quatuor diebus processerit, verum postea derepente evanescit, easdem affectiones consimiles priori patitur, sed minus: et si transmutetur morbus, in idem transmutabitur: diuturnus autem et debilior priore erit. Si vero curetur mulier, superstes erit, si cito curetur: et de hoc morbo sic se habet ». — « Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumescit et splen, et crura: et febris habet, et rigor corripit, et dolores prosiliunt ad lumbos, aliquando etiam ad viscera. Et perfrigeratur, et febris habet: pulsus debiles sunt, et aliquando acuti, et alias extolluntur, alias deficiunt. Haec patitur incipiente morbo, et sic se habet. Temporis autem progressu, cavae faciei partes rubescunt ». — « Si vero paulo pauciora, quam oportet prodierint mulieri puerperii purgamenta, velut uteris angusto ore praeditis ac distortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit conclusa ab inflammatione, mulier acute febrit, stomachi dolore vexatur, et dolet totum corpus, et moleste fert: ac ad articulos manuum et crurum et lumborum dolor procedit; et locum circa collum, et spinam et inguina dolebit: et quaedam corporis partes impotentes fient. Postea calor quietus erit, et horror valde manifestus. Vomunt autem et pituitosa, amara, aeria. Et de hac sic habet, et continget, ut si curetur, sana fiat: sin minus, clauda et quarundam partium corporis impotens erit. Non autem valde sterilis est hic

morbus ». — « Si vero uteri angusti oris ipsi fuerint et puerperii purgationem non emiserint, inflammantur: et si non curetur brevi, omnia magis ipsam affligent. Et odor malus erit, et exitus intumescit. Et si non inflammati fuerint uteri, sua sponte exit malum, grave olens, et lividum, aut nigrum grumosum, et mulieri puerperii purgamenta purgantur. Quandoque vero non exit, sed mulieri mortem portendit, nisi quis brevi venam secet, aut ventrem emolliat ».

Hippocratem, hac in symptomatum, a lochiorum suppressione in genere observandorum, enarratione, nullam exanthematum, inprimis *miliarium*, si haec, ejusdem, ut nostro, aevo, exstitissent, mentionem injecisse, mirabimur. Post lochiorum suppressionem, totius corporis efflorescentiam tuberculosam supervenisse, in *Actis Hafniensibus* legimus. Etsi vero doctrina, *lochia suppressa*, pilae adinstar, *alia in loca conjici*, atque in istis diversas, pro ratione structurae, noxas, peritonitidem puerperalem, peripneumoniam, apoplexias, paralyses, ac haemorrhagias excitare, (cum illa plerumque causarum, quae morbos inducunt, *effectu* disparcant) ad obsoletas veterum hypotheses pertineat; est tamen, cur magni quondam apud *Batavos* anatomici, lochia, per vaginam excerni impedita, per *tubas Faloppii* in cavum abdominis destillasse, non injusta videatur fuisse suspicio.

§. DCCCLXXX. *Retentionis lochiorum causae.*

Retentionis lochiorum *causas* plures jam indicavimus. Ad potissimas pertinent: violenta animi puerperae, medio sub fluxu, ab ira, terrore, zelotypia, metu, tristitia, vel et subitaneo ac immoderato a gaudio, commotio, concussio; spasmi hysterici aut alii, per odores ingratos rosarum, liliorum, cubiculi calce viva recenter obducti, etc. medicamenta dulcia, adversa, irritantia, excitati; oris uterini, sub istis, contractio, haemorrhagiae uteri *internae*, ex fundi et corporis ejusdem inertia, paresi inductae, vel *externae*, per injectiones adstringentes cohibitae, conjuncta; aura frigida, mox ab exclusione foetus, ad sinum uteri admissa; potus gelidus, mammarum ac pedum, vel et corporis totius, per indusia, linteamina, refrigeratio.

Sic, dum ex timore corruptionis atmosphaericae sub lectis nosocomii universalis, a. 1784 *Vindobonae* erecti, *ventilatores* aliquot in cubiculis aegrorum atque parturientium sat amplis, et ipsis sub lectulis exstruxissent: puerperae, a suppressis, mox a perflatione aurae frigidae, lochiis, ex morbis inflammatoriis plures perierunt; occlusis autem, et aliis cubiculorum in locis apertis, his ostiis: mortalitatis haec inter puerperas ratio illico cessavit. Huc porro spectant: portio placentae, aut grumus sanguinis, ori uterino inhaerens, cingula nimis adstricta; uteri, vaginae, a vicino tumore, ab hernia, compressio, prolapsus; usus ciborum nimiorum, subactu difficilium, potus spirituosus; oris uterini, maxime sub corporis puerperae positione hac vel illa, inprimis horizontali, aversio; morbus quivis gravior, feminam, vel adhuc gravidam, vel puerperam, a partu difficili, artificiali exhaustam, aut ore uteri laesam, inflammatam, vel alia, saepe incognita, ratione, corripiens, ac purgamenta uteri vario modo intercipiens: ut quibus a causis, lochiorum defectus, paucitas, suppressio descendunt; quae, ut diximus, nunc morbum *primarium* sistunt, nunc modo *secundarium*, varia variaque medendi ratione pertractandum, exhibent.

§. DCCCLXXXI. *Prognosis.*

Sequitur ex dictis, (§§. DCCCLVI. DCCCLIX.), *prognosin* retentionis lochiorum *non unam* esse, atque eamdem nunc atro, nunc laeto nimis colore notatam fuisse. Ac *primò* quidem, ut insignis quondam *Bataviae* medicus jam docuit, « non dicendus lochiorum fluxus suppressus, vel nullus, quando durante partu copiosus effluxit sanguis, ac ideo post partum paucissimus, vel nullus: quoniam qui secundum naturam effluere debuerat *post partum* tantum, praeter naturam effluxit *durante partu* sanguis ». Quod si igitur sub partu, vasa uteri jam satis depleta fuerint, atque, placenta in integrum expulsa, proliferum hoc viscus, super osse pubis attactu exploratum, pro hoc tempore, jam satis se ipsum contraxisse observetur; potissime autem, si nec paucitatis, nec suppressionis causa manifesta alia praecesserit, nec ullum morbi

symptoma in conspectum venerit: non est, cur alia, quam fausta formetur prognosis. Similis praedictio erit, ubi, sub duabus his conditionibus, puerpera nulla unquam experta catamenia, vel ubi jam aliis in puerperiis, illaesa salute, parciora, aut nulla lochia excreverit, vel demum, ubi vicaria secretio aut per nares, per vasa haemorrhoidalia, aut per alvi fluxum moderatum et absque mulieris incommodo suppleverit.

Quamvis autem, *secundô*, summi quondam physiologi assertio «, *millenas* feminas ex lochiis suppressis perire, si *una* ex haemorrhagia nimia ex partu legitimo perit», nec tunc quidem a nobis confirmari queat, si et illa puerperarum funera, quae ex suppressione lochiorum *symptomatica* ceciderunt, numeremus; tam ambigua tamen esse solet puerperarum, maxime delicatularum, conditio: ut, ubicunque solitam natura viam apud illas deseruerit; vel sub morbosorum silentio symptomatum, cautam nihilominus institui oporteat prognosin; ac ut, cum antiquo *de muliebrium morborum medicina* scriptore, dicamus: « quod licet gravis *menstruorum* suppressio oppido offendat; non tamen perinde, ac si partu naturali, vel difficili, vel etiam abortu supprimantur *lochia* ».

§. DCCCLXXXII. *Therapia.*

Paucitas igitur, aut suppressio lochiorum, quae morbum *idiopathicum* constituunt, modo paucis, — retentio vero hujus uterini profluvii, quae aliorum morborum *symptoma* est, pluribus atque diversis, nec hîc exponendis, artis praeceptis innititur. Celebris ille *Bataviae* scriptor, cujus perspicacem de lochiorum suppressione sententiam citavimus (§. DCCCLX.), *generalem* ac non indignam, quae hîc conservetur, regulam posuit. « Inquirendum est, inquit, a medico an molestiam aliquam patiatur puerpera? quae, si nulla sit; non est, quod temere conetur mutare qualemcunque lochiorum fluxum: sin aliqua occurrat, dispiciendum est, an copiosiori parciorique lochiorum fluxui adscribi possit, debeatque. Frustra enim fatigabitur puerpera mutando lochiorum effluxu in qualicunque, a quo nil patitur detrimenti ».

Quod si ergo puerperam, sub fluxu lochiorum aut aequo pauciore, aut promptius suspenso, aut nullo, morbosa symptomata prehenderint; mox omnis medicorum attentio in quaestionem, num fluxus illius aberratio, suspensio, alterius morbi *effectum*, num vero ea ipsa istius *causam* constituat, convertenda; ac primo in casu, non alia, quam morbi *principalis*, cujus sub imperio genitalia arescunt, ratio habenda et cura gerenda est. Hanc ad quaestionem rite solvendam, sollicitum, tam *causarum*, quae morbum provocare potuerunt, quam verae istius *naturae* examen conducet. Sic, ubi a partu difficili, aut artificiali, vel a placentae solutione violenta, *metritis* exorta est, atque istius sub dominio, lochiorum fluxus suspenditur: non haecce suspensio, metritidis *causa*, sed *effectus* est; nec igitur iste, sed illa, medendi rationem nunc hanc, nunc illam sibi expetit. Sic, ubi puerpera, jam ante partum a gravi morbo (a febre acuta, ab haemorrhagia, diarrhoea, diuturna inedia) exhausta, post illum, fluxu lochiorum destituitur: non sane uterini profluvii defectus, sed morbus, a quo hic inductus fuit, curandus est etc. Quod si vero placenta, grumus sanguinis, orificium uteri obturaverint: istius, per secundinarum extractionem, per injectiones tepidas ac emollientes, liberatio, retentionis lochiorum remedium constituet. Sic, ubi obliqua uteri positio, vel compressio istius et vaginae, ab hernia, prolapsu, tumore vicino, a faecibus duris, excluso foetu, ad intestinum rectum delapsis, per cingulum aut fascias nimis adstrictas, effluxum lochiorum impediant: his modo *localibus* vitiis (solam per explorationem pudendorum determinandis) secundum artis praecepta correctis, lochiorum descensui panditur via. *Venae sectiones* proinde ab aliis ad lochia suppressa laudatas, ab aliis autem atro carbone notatas fuisse, nequaquam mirabimur, ac sortem haud magis faustam medendi ratio quaevis alia, hac sub retentione indistinctim adhibita, experietur. Sic certe *opium*, sub uteri incendio, vel alio sub morbo quovis puerperarum hypersthenico, veneni adinstar fugiendum; quotiescunque vero terror, moestitia, vel affectionum

hystericarum causae quaevis aliae, lochiorum effluxum, sub oris uterini contractione spasmodica, cohibuerint: si quid sit subsidii; vel solo, vel aetheri et alcali volatili commisto ab opio, illud exspectandum est. Sic ubi virium languor vitalium uterique inertia, lochiorum excretionem retardant, vel supprimunt: *frictiones crurum*, *vesicantis* emplastri ad partem istorum internam usus, si modo, facilis hoc sub opere, refrigerii evitetur occasio, utilitatem habebunt; contrarios vero ex istis conaminibus effectus, sub nimia jam vasorum uteri repletione, aut visceris istius incendio, verebimur. Sub cruoris ad uterum, cum calore, tensione regionis hypogastricae, lumborum, congestione apud puerperas bene nutritas, vegetas, nec tamen utero purgatas atque, sub tali positione, in metritidem pronas, *hirudinum* ad internam labiorum vulvae majorum faciem applicatio, vel crurum *scarificatio*, conducent; sub casu vero, quo femina, a partu satis exhausta, nulla ex repletione vasorum uteri signa manifestat: artificiale hoc lochiorum, quibus debilior femina vix indiget, supplementum, beneficii loco, nocebit. Ubi frigus atmosphaericum, sinui muliebri admissum, aut, ob metum haemorrhagiae, vel gelida, vel glacies imposita, vel adstringentia utero injecta, lochiorum effluxum cohibuerunt: fomenta emollientia genitalibus ac ventri, unguentis similibus prius illinitis, admota, ac vapor tepidus ad vulvam directus, nec minus enema ax seminibus lini paratum, sopito vasorum erethismo, haec ipsa, quo, relaxata, cruorem coërcitum dimittant, invitabunt; quotiescunque vero regionis hypogastricae, lumborum tensio, genitalium internorum ardor, repletionis ingratae sensus, ac dolor, de vasorum uterinorum turgore jam nimio testantur; toties vaporum et injectionum, haec ad loca, jam nimis irritata, usus, instantis jam pericula metritidis augebit. Caeterum, qualis sub diversa retentionum, de quibus hîc agimus, indole curanda indicatio est: talem quoque *diaetae* rationem requiri, vel sponte cuique patebit.

ORDO IV. GENUS III.

ISCHAEMIA NASALIS.

§. DCCCLXXXIII. *Transitio.*

Praeter tributum cruentum, tam *menstruum*, quam *puerperale*, feminae humanae a natura impositum (§§. DCCCLXI. DCCCLXXXII.), nullum sanguinis profluvium homini *normale*, — hinc et nulla ejusdem *retentio*, stricte loquendo, *morbosa* est. Cum interim tot inter profluvia cruenta, homini haud raro insidiosa (Epitom. Lib. V. P. II.), nullum sit, quod, licet jure possessionis certos ad vitae annos instructum, hac tamen a sede praedilecta, non tam aetatis provectioris, quam artis aut aliis ab armis, ejectum, tot strages humanis visceribus, quam *epistaxis*, ac *haemorrhois*, inferat (§§. DXCIII. DCXXIX.); earumdem, jamjam *habitualium*, praematura suspensio, ut fertilis morborum origo, *retentionum cruentarum* ordini, *ischaemiae nasalis*, mutuato a claro nosologo sub nomine, non immerito subjugabitur.

§. DCCCLXXXIV. *Definitio.*

Est vero *ischaemia nasalis*, cruoris e naribus, aut lege crisis, aut habitudinis imperio, excernendi, retentio.

§. DCCCLXXXV. *Ischaemiae natura.*

Quae de indole, symptomatis, causis, et prognosi

Epistaxis docuimus (§§. DLXXXVIII. DXC. — DXCIII.), ea, in mentem lectoris revocata, quod praecipua retentionis hujus profluvii argumenta contineant, praesentis brevitatem tractatus explicabunt. Pauca tamen ex illis hîc illustrare, quô clarior profluvii et ischaemiae nasalis connexio reddatur, necessitas nos inducit.

Quo propior suae origini homo, — eo major capitis ad caeteras corporis partes proportio est; nec tamen ideo *epistaxis*, primae infantiae, sed aetati puerili frequentius accidit (§. DXC.): ut cujus phaenomeni, nulli caeterorum animalium pullo communis, ratio, non minus, quam illa alterius, nempe quod *sexus sequior*, ad profluvia cruenta damnatus, in puerili tamen aetate rarius longe, quam virilis, *epistaxi* subjaceat, ad problemata necdum soluta pertinet. *Adolescentiam*, loco epistaxis, *pneumonorrhagia*, — *aetatem virilem*, *haemorrhois*, *haematemesis*, — sed *senectutem*, quasi secundam pueritiam, iterum *epistaxis*, et quidem apoplexiae saepe praenuntia, infestat. Atqui nec huic sanguinis fluxui atque refluxui explicando, humana ratio hucusque satisfecit. Sub hac vero physiologiae lacuna, necessariô quoque tam pathologicam, quam therapeuticam de haemorrhagiis, ac de ischaemia doctrinam simul titubare oportet. Est frequens ab *erubescentia*, sub *hysterismo*, cruoris et caloris urentis ad caput, praecipue ad faciem, suffusio, et quasi *raptus*, sub quibus sanguis haud raro de naribus se praecipitat. Est quoque, sub improviso et vehemente terrore, timore, istius liquidi et caloris animalis citissima a genis desertio; atque haec quidem fugacis naturae phaenomena, imperium nervorum in vasa et in cruoris circulum, haud male explicat; alterius autem et obscurae magis legis auctoritate epistaxis aut *critica*, in febre hypersthenica, aut *vicaria* pro menstruis, lochiis, suppressis, aut *periodica* in scenam prodit; nec semper et ubique symptomata, quae epistaxin praecedere, comitari docuimus (§. DXCI.), vel ex solo cruoris ad caput impulsu majore, sed, variis in casibus, *secretionis pathologicae*, haud satis perspectae, ab opere, pendent (§§. DLXXXIV. DXCII.). Haud minor vero, apud multos, *ischaemiae nasalis* theoriam premit

difficultas: ut cujus morbi discrimina, non adeo ex *copia cruoris retenti*, quam ex *temporis et modi*, ad istius evacuationem *praescripti observatione neglecta*, proficiscuntur. Quod jam de *epistaxi* animadvertimus (§. CCCXCIII.), hoc et in *amenorrhoea* locum invenit: ut vel una alterave uncia cruoris, sub ipsa periodo menstrua ab utero secreta, hoc viscus, licet abundantiori illius excretioni jam adsuetum, longe magis, quam octo unciarum sanguis, tempore non periodico e vena emissus, tranquillet, et haud multae hirudines, labiis vulvae, menstruorum emanentium sub epocha applicitae, nisi hae ipsa alliciant; saltem prae detractione cruoris, aliis e locis triplo uberiore turbas uteri componant (§. DCCCLXXIII.). Plerasque virgines chloroticas menstruoque fluxu privatas, *conjugium*, potentius, quam emmenagogum quodvis aliud hocce profluvio ac amisso genarum colore roseo instruit (§§. DCCCLXXV. DCCCLXXXII.); genitalia vaccarum, verno tempore ex stimulo venereo turgentia et sanguine madida, post solum cum tauro commercium, mox subsident atque cruorem plorare desinunt; quae singula, retentiones cruentas, non tam communibus, quam specificis dominii periodici legibus, modo parum hucusque intellectis, obedire ostendunt.

§. DCCCLXXXVI. *Ischaemiae symptomata.*

Symptomata, quae ischaemiam nasalem *comitantur*, cum illis, quae epistaxin praecedunt (§. DXCI.), conveniunt; quae vero illam tandem *sequuntur*, ea saepe longe magis funesta sunt, et in capitis inprimis morbis, in vertigine, etiam caduca, in cephalaea, susurru, tinnitu aurium, in amaurosi, sopore, apoplexia, pneumonorrhagia, vel sanguinis profluvio interno, in convulsionibus, etiam epilepticis, maxime consistunt. Historia *dysphagiae*, quam (§. DXCIII.) levi modo calamo tetigimus, hîc plenius exponi meretur. Viro scilicet optime nutrito atque robusto, triginta et aliquot annorum, urbis vicinae medicus, ob ventriculi oppressionem ac nauseas, emeticum praescripsit. Ab isto, vomitus frequens, ac tandem *dysphagia* successerunt. Cum haec ultima per tres jam dies conti-

nnasset: perterritus medicus, aegrum, ut *Ticinum* peteret nosque ibidem consuleret, hortatus est. Ob nostram vero absentiam, experti medici alterius auxilium imploratum fuit: a quo demum nos ipsi, post octiduum ad urbem reduces, ad aegrum accersiti, intelleximus: eumdem, ob deletum penitus oesophagi officium, quamvis et sitis et fames valdopere urgerent, nec potum nec cibos unquam potuisse ingerere; sed eosdem, vix huic ad ventriculum viae commissos, constanter et cum impetu ore mox rejectos fuisse; quam ob rem, solorum enematum nutrientium, quovis bihorio injcetorum, subsidio, vitam aegri hucusque sustentari licuerit. Sub tanta vero tamque diuturna inedia, mirabamur non parum, et faciem aegri adhuc floridam, et vires minime fractas, et pulsus neque collapsos ac debiles, sed satis adhuc plenos, nec ullo modo febriles. Nullus, ab ingestis, faucium vel oesophagi dolor; nec vomitus, sed modo prompta et satis violenta eorumdem ex suprema hujus canalis parte rejectio; nec ulla ad caput symptomata, quae, post assumptum emeticum, oesophagi *paralysin* subintrasse declararent, praecesserant. Ob laevitatem tam olei recentis, quam vitelli ovorum, ut aeger et ista, coram nobis, oesophago detrudenda committeret, consuluimus; sed non minus unum, quam alterum ex istis cum impetu citissime rejectum fuit. Quare, ut, ob urentem atmosphaerae aestum, glacies condita irritato nimis oesophago offerreretur, proposuimus. Sequente interim die, neque glaciem ab oesophago admissam, sed illico eodem expulsam fuisse, percepimus. Interrogatus nunc aeger: num alio unquam, et quali, morbo laboraverit? num sanguinem aliquando aut naribus, aut ano reddiderit? respondet: se, quibusdam ab annis *epilepsiae* insultibus hinc inde, frequentius autem uberiori *epistaxi* subjectum, caeterum vero semper robustum ac herculeum fuisse; sed a sex fere mensibus, contra consuetudinem contractam, nullum e naribus sanguinem sibi manasse. Etsi autem per *undecim* jam *dies* aeger, nec quidquam ore hausisset, ac solis enematibus, ex jure carnium et ovorum vitellis paratis, vitam sustentare coactus fuisset; eidem nihilominus mox unam utri-

que narium ostio hirudinem adponi et, cauda istius, si opus foret, resecta, sanguinis portionem, illi, quam epistaxis, quondam habitualis, fundere solebat, circiter aequalem, detrahi jussimus. Hoc modo, cruoris fere libra naribus effluxit; ac tantus artificialis epistaxis effectus fuit: ut paucis ab illa horis elapsis, plena oesophago libertas restituta videretur, nobisque adstantibus, tam potulenta, quam esculenta liquida, sub cautione, post inediam tam longam, debita, concessa, ventriculo sine mora transmiserit. Laetitiae vero, tam prosperum rerum ob eventum, non injustae, jam die sequente non parum detractum esse doluimus. Dysphagia scilicet, prima haud mitior, a somno rediverat. Cum vero nulla in aegro aut virium jactura, aut pulsuum debilitas nos absterruerit; ad pristinum ex duabus hirudinibus, iisdem narium ostiis applicitis, subsidium recurrimus, ac octo circiter uncias sanguinis iterum detraximus; atque hujus effectu auxilii, constantem dysphagiae tam ominosae tamque rebellis, medelam obtinuimus.

Post affectiones *encephalicas* ex ischaemia oriundas, nulla communior, quam illa *pulmonum*, pneumonorrhagia scilicet, esse consuevit. Frequentius hoc morbi genus, ex suppressa epistaxi, in *sexus virilis* juvenibus, quam in *virginibus* ad menstruam periodum jam satis maturis, ut quas haec ipsa subintrans sibi vindicat, occurrit; quamvis et ex istius profluvii normalis obstaculis saepe nimis pulmonum parenchyma cruentetur (§. DCVIII.).

§. DCCCLXXXVII. *Causae.*

Cum pars magna *causarum epistaxis*, maxime *criticae* atque *periodicae* nos lateat (§. DLXXXIV.); non sane perfectior nostra, *originum ischaemiae* singularum scientia esse potest. Huic interim, quousque per humanae mentis confinia licet, appropinquabit ille, qui *ischaemiam* iisdem fere causis, unde profluvia et retentiones in genere repetenda esse diximus (§§. CDLXVI. DLXXXIV. DXCII. DCXCVIII.), adscribet. Sic pars causarum epistaxis *externarum*, ut sunt polypus, tunicae Schneiderianae excoriatio, cicatrix, herbae nicotianae tabaci pulvis, rebus suspectis

commistus, fumi, vapores acriores, sicut narium profluvium cruentum (§. DXCII.), — ita et ischaemiam nasalem inducendi facultate instructa est. De causis *internis* loquendo, prout virium vitalium energia, aequo nunc major, nunc minor, — vel prout sanguinis, per causas locales, externas, internas distributio, hac in parte, quam in alia, aut justo impetuosior, dissolutior, aut nimis languida, restricta, inaequalis, secretiones vasorum morbosas et cruentas inducit: ita quoque easdem, jam forsitan *habituales* ac, vel ob longam consuetudinem, vel in alterius secretionis normalis, cohibitae supplementum necessarias, haud raro in aegri detrimentum *supprimit*. Quam faciei *puerilis*, ope *calidae* instituta lavatio, epistaxin, tandem habitualem, induxisset: hanc in *adolescentia*, faciem eamdem *frigida* lavandi, mutata consuetudo, facile restingueret. Quo tempore, ab hodierno parum remoto, Europae juventus utriusque sexus potior, crispandis, ope ferri, vix non candentis, capillis, per horas matutinas occupata, cruorem sibi ad caput, hoc modo excalefactum, adlexit; si, frequenter tunc sanguis per vasa narium aufugerit, haud sane mirabimur; quo vero tempore eadem juventus, obsoleto hoc more, ad alium, priori oppositum, subito transivit, crines sibi vix non omnes, monachali forfice, abscidit, et caput fere nudum atmosphaerae vicissitudinibus exponere ausa est: eo, non minus, habitualem epistaxin apud multos, in propriam perniciem cohibitam fuisse, mirabimur. Adolescentem succiplenum, cursu, equitatione ac armorum tractatione per annos academicos strenue occupatum, vel ob acceleratum sanguinis torrentem, vel ob illatam repetito naribus violentiam, cruorem ex istis frequenter, ac tandem periodice amittere, — eundem vero juvenem, aetate nunc magis provectum ac vitae socialis negotiis et curis intentum, sic, ut consueto corporis exercitio derepente destitutum, habituali illo sanguinis ex naribus profluvio privari, — ex isto vero aliquoties suppresso, in plenam discrimine pneumonorrhagiam incidere, haud sane obstupescemus.

§. DCCCLXXXVIII. *Prognosis.*

Haud paucos dari morbos, qui, corporis humani, aut partis ejusdem, dominio aliquandiu potiti, quô functiones ex illis reliquas utcunque absolvi concedant, donec vel suo ipsi imperio renunciaverint, vel aliam isti provinciam submiserint, absque vitae discrimine majore, *nec a longe quidem tangi* queant, tristis ac nimis confirmata, nec tamen in artis exercitio cuivis satis perspecta, veritas est. Huc vero *Ischaemia, habitualis* jam reddita, vel maxime pertinet (§. DCCCLXXXVI.). Haec scilicet, non modo vasorum *nasalium*, sed simul, ex quibus ista oriuntur, *cerebralium, facialium,* a retento cruore repletionem pedissequam habet; ac *primô* quidem, ratione hujus prosapiae, phaenomena, ab illis, quae amaurosin, encephalitidem, vertiginem caducam ipsamque apoplexiam praecedunt, haud multum aliena producit (§§. DXCIII. DCCCLXXXV. — DCCCLXXXVI.): unde non pauca ischaemiae, in hos ipsos cerebri, a seroso, cruento humore inundati, compressi, irritati, affectus, vel et in morbum herculeum atque in paralysin conversae, exempla prostant. Sed quae, *secundô*, ipsorum *pulmonum* profluvia cruenta ex ischaemia haud infrequenter oriri jam diximus: ea nec vasorum affinitas, nec plethora semper explicat; sed ex incognita haemorrhagiarum, quae vel puerili, vel juvenili, vel virili, vel demum senili aetati magis insidiantur, lege (§. DLXXXII.), vel ex acquisita, aut haereditaria ad phthises praedispositione, maxime vero ex strumoso pulmonum habitu, descendunt. *Tertiô*, vel ipsa, quae *habitualis* necdum, — sed potius *critica*, aut et *vicaria* dicenda est, epistaxis, praepostere ac inconsulto coërcita, vel inchoatam morbi acuti solutionem praescindit, ejusque violentiam simul ac pericula adauget; vel non tam secretionem, cujus vices, innocua, assumpserat, quam haemorrhagias internas, ac ominosa viscerum incendia provocat.

§. DCCCLXXXIX. *Cura.*

Ischaemiae nasali medendi rationes potissimas, sub

fine (§. DXCIV.), ubi de *cura epistaxis* egimus, jam ita, ne multa hîc iisdem addenda supersint, exposuimus. Haec vero, praeter illa, in eo vel maxime consistunt: ut ischaemiae effectus iniquos, respectu causarum et constitutionis aegrorum non parum inter se diversos, ad principia ex his ipsis repetenda, vel perfecte tollamus; vel, nisi praestari haec liceat; pro viribus saltem moderemur. Hoc igitur narium profluvio, jam habituali, quousque aetas eidem opportuna faveret, ob neglecta corporis exercitia pridem consueta, praepostere suppresso, ad ista, nisi morbus, qui talia vetaret, jam subintraverit, gradatim et caute, donec, juvenili ardore ac mobilitate sedatis, aetas virilis et strictiora vitae socialis vincula superabundantem sanguinis aestum temperaverint, redeundum est. Cum vero, sicut secretiones morbosae aliae, vel ex totius systematis, vel ex organi secernentis vitio, ac vi vitali aut in illo, aut in isto, aut in utroque, nunc justo intensiore, nunc vero nimis dejecta oriuntur (§. CDLXVI.): ita quoque profluvia cruenta non minus, quam eorum, jam *habitualium*, retentio, ex fonte non alio scaturiant (§§. DLXVI. DCCCLXXXVII.); sequitur, et ipsam *ischaemiam*, ut ejusdem familiae iniquae sobolem, similibus, ac mala affinia, armis, ex consideratione causarum petitis, esse impugnandam. Quod si igitur nares, ob morbum praegressum, ob humorum alias per vias jacturam, ob nimios labores, aut ob sublatam diu inediam, ob venti frigidioris in faciem, vel atmosphaerae gelidae in calvariam, suis praepostere crinibus forte spoliatam, actionem, ob animi pathemata deprimentia, cruorem consuetis periodis plorare destiterint, atque ischaemiae symptomata (§. DCCCLXXXVII.) subintraverint; restaurandarum virium, prae omnibus, ratio habenda est, hisque gradatim restitutis, secretionis habitualis jura interceptae vel sponte praevalebunt. His autem, e contrario, a nimia vasorum oppletione, tensione, irritatione suppressis, medendi methodus opposita locum inveniet ac, exemplo proprio, supra (§. DCCCLXXXVI.) allato, cruoris e naribus detractio instituenda est. Ubi vitia ad nares internas localia, corpora peregrina iisdem introducta,

polypus, vel exerescentiae aliae, eieatrices, concretiones per uleera variolosa, syphilitica, per ipsam polyporum exstirpationem, membranae pituitosae inductae, coryza chronica, aut herbae nicotianae tabaci pulvis, rebus adstringentibus remistus, similis naturae vapores, secretioni habituali cruentae obicem posuerint; hoc ipso, pro viribus arti eoncessis, remoto, habituali cruoris profluvio via consueta pandenda, vel morboso torrenti, ab ista in canales nobiliores aberraturo, hirudinum ope aperienda est.

ORDO IV. GENUS IV.

ISCHAEMIA HAEMORRHOIDALIS.

§. DCCCXC. *Instituti ratio.*

Praemisso de *haemorrhoide* tractatu (Epit. Lib. V. Part. II. Ord. III. Gen. V. §§. DCXVII-DCXXV.), ejusdem nunc profluvii, jam habitualis, retenti, seu *ischaemiae haemorrhoidalis*, mentio brevis facienda est. Hoc vero sub labore, quorundam, hoc de morbo jam illinc expositorum, repetitio, sicut evitari haud potest: ita nec sua, pro illis, quibus potissime hoc opus dedicavimus, utilitate carebit.

§. DCCCXCI. *Haemorrhoidum frequentia.*

Morbosum quidem, ut ipsa *epistaxis*, hoc sanguinis, aut et muci, e recti intestini vasis profluvium; ac sub vita sociali, inprimis sub coelo gelidiore, ac sub vivendi ratione, huic ipsi, vel militiae equestri, vel certis artificibus propria, quovis alio profluvio cruento, utrumque apud sexum, longe frequentius est: ut qui hostis, hac *trunci*, apud hominem erecti, declivi provincia potitus, absque incendio ac devastatione istius, nisi generali, ex eadem vix unquam ejicitur. Jam alio in loco, physiologorum quorundam opinionem, *incessum corporis erectum*, non parum ad feminae humanae solius periodos cruentas contribuere, nec nos quidem rejecimus (§. DCXLI.). Quod si nunc et ipsos adeo *viros*, haemorrhoidibus

subjectos; ab iisdem saepe haud minus, quam feminas a menstruis, *periodice* vexari, nec ullum aliud cruoris profluvium, sicut haec duo ex pelvi profluvia, periodicum dari, consideremus; suspicari saltem licebit, menstrua, etsi *lege sanitatis*, — haemorrhoides autem, *morbi imperio*, fluant; *incessui* tamen feminae humanae *erecto*, vel ipsum tributum cruentum, quousque uteri, satis maturi, vitalitas eidem solvendo par est, esse impositum.

§. DCCCXCII. *Ischaemiae haemorrhoidalis symptomata.*

Columnae vertebralis dignitatem in morbis, quousque in brevi oratione academica, anno 1791, Ticini a nobis recitata, id fieri licuit, exposuimus, atque doctrina, quae tam nobilem ipsius cerebri sobolem, aut (quod alii praetenderunt) matrem, concernit, respectu tam physiologico, quam pathologico, hucusque haud parum exculta fuit. Atqui haec ipsa, de medulla spinali, de ejusdem vasis, involucris membranaceis non minus, quam cartilagineis, osseis, doctrina, sicut ab illa morborum, qui thoracem, abdomen ac extremitates, detinent: ita potissime malorum, quae retentionem menstruorum, lochiorum atque haemorrhoidum comitantur, sequuntur, separari nullatenus potest. Jam sola hos fluxus *molimina* — multo magis autem eorum *retentionem* pertinaciorem, oppressio, tensio, calor, dolores lumborum, abdominis, coxarum, comitantur, ac vasorum intestini recti, sub haemorrhoide, turgor, splendor, aestus ac dolor atrox, quid in vasis specus vertebralis, maxime lumbalis, consanguineis, contingat, et quantum haec ipsa, quamvis oculis subtracta, turgeant, stimulentur, ad phlogosin, secretiones morbosas, abscessus, vel ad varices ac earum rupturas invitentur, satis ostendunt. Non paucae abhinc vertebrarum, inprimis lumbalium, crosiones; ex nervorum, receptaculo lotii dicatorum, irritatione, compressione, dysuriae, ischuriae, vesicae crurumque paralyses; vel, si vertebrale systema vasorum huic impulsui resistat; encephali, pulmonum, aut ventriculi illud subigitur, atque vertigines, aurium susurrus, tinnitus, amauroses, cerebri phlogoses, hydrops acutus, apoplexia, faucium inflammationes, dys-

pnoea, pneumonorrhagia, peripneumoniae, haematemesis, morbus niger *Hippocratis*, et alia (§§ DCXXI. DCXXIV.) sequuntur. Alia vero, dum magis abdominis ac pelvis in viscera haemorrhois furit, ad hepar, lienem, intestina, maxime ad rectum, ad vesicam, uterum, vaginam, ipsos ad testes, symptomata, jam satis (§. DCXXI.) enarrata, nascuntur.

§. DCCCXCIII. *Causae.*

Ischaemiae quidem haemorrhoidalis *causae*, cum illis retentionum in genere (§§. DCXLVIII. DCXCVIII.), et in specie, ut mucosarum (§§. DXXX. DCCCXXXIX.), cruentarum (§§ DCCCLIX. DCCCLXXIII. DCCCLXXX.), vel maxime conspirant; sicut interim *habitudinis* in secretiones tam sanas, quam morbosas, agendi ratio nos latet: ita quoque causarum plurimarum, quae *habitualem* haemorrhoidem, nunc in aliud profluvium, facile *vicarium*, permutent, nunc eamdem imminuant, suspendant, nunc penitus supprimant, cognitio haud raro nos fugit. Sat evidens interim saepe *frigidorum*, *adstringentium*, in cohibendo hocce profluvio effectus est, et quamvis haemorrhagiae, his e locis, maxime amplioribus eorum e saccis diruptis, saepe reluctentur pertinaciter (§. DCXXIII.); haud raro tamen haec ipsa artis conamina, *intestini recti incendium*, vel procreant, vel, jam praesens, adaugent, membranae hujus canalis mucosae interstitia cellulosa humore puriformi infarciunt, callosam vix non in illa duritiem, imminuta longe recti intestini diametro, inducunt, ac ipsa demum ejusdem vasa obliterant. Quemadmodum vero ad uterum, vaginam, urethram, — ita etiam ad ipsum intestinum rectum, ex causis diversis, erosiones, ulcera, et, ab istis exsiccatis, haud ad sanationem perductis, cicatrices nascuntur, quarum effectu, vasorum ostia haemorrhoidalium concrescunt, ac habituali sanguinis effluxui resistunt. Sed ipsa *saccorum haemorrhoidalium* sollicita nimis et absque omni exceptione instituta destructio, *excisio*, habituali huic profluvio (quidquid in contrarium dixerint aliqui) obicem ponit.

§. DCCCXCIV. *Prognosis.*

Quae ischaemiae haemorrhoidalis *prognosin* respi-

ciunt, ea partim ex ipsa expositione symptomatum (§. DCCCXCII.), partim vero ex illis, quae de habitualis suppressione haemorrhoidis, jam (§. DCXXIV.) praediximus, satis elucent.

§. DCCCXCV. *Cura.*

Sic etiam quae ad *curam* inveteratae jam haemorrhoidis suppressae spectant, ea, sub istius profluvii therapia (§. DCXXV.), jam satis exposuimus. Omnis autem attentio tam in *causas* suppressi profluvii, quam in *effectus* illarum convertenda, et proinde, si stimulus aequo major, vel minor, habitualem hanc secretionem turbaverit, et effectus illius in morbo vel sthenico, vel adynamico constiterit: evitata hac ischaemiae origine, medendi ratio vel debilitans, vel excitans et organo, quod ab ista magis afficitur, conveniens, secundum artis praecepta jam alibi exposita, administranda est. Hinc, e. gr., ubi, suppressa haemorrhoide, sub signis plenitudinis et congestionis ad caput, illius vices *epistaxis* subiverit: haec ipsa, nisi superabundans, nullo modo coërcenda est. Ubi, sub eadem rerum conditione, sanguis intestini recti a vasis, ad illa pulmonum iniquo cum impetu conversus, *pneumonorrhagiam* provocaverit; ob majora hujus profluvii, inprimis repetiti, discrimina, venae sectio, hirudines ad anum, clysteres emollientes, indicabuntur. Ubi, sub virium languore vitalium, habitualis cruoris per anum secretio, ultra periodum consuetam cessaverit, atque illius a retentione, salutis laesae symptomata subintraverint; ratio medendi potius erigens, atque remedia tam interna, quam externa (haud neglecto interim sensibilitatis morbosae respectu) hunc in finem eligenda sunt. Hinc illa, quae intestina, inprimis rectum, leniter irritent, alvumque moderate exonerent, aloës soccotrina, rheum, amaris, sub forma pilularum. conjuncta, sal Glauberi, borax veneta, paucas ad doses, ore porrigenda; exterius vero, clyster cum saponis moderata portione, vapores ad anum, semicupia, frictiones crurum, cucurbitulae siccae, tam istis, quam ossi sacro impositae, equitatio, inprimis commendari merentur, etc.

ORDO V.

RETENTIONES ADIPOSAE.

§. DCCCXCVI. *Agendorum ratio.*

Quasi vel *carnosum*, vel *pinguem* dici, unum idemque exprimeret, jam *Graeci*, humani corporis habitum, non modo *torosum*, sed et *obesum*, carnem superfluam, seu *polysarciam*, inepte sane, vocarunt. Nec etenim fibras carnosas numerosiores homini toroso, quam macilento, sed modo magis succulentas, sana ratio concedit. Alimentorum, ex regno animali, vegetabili quotidie haustorum, principia non pauca, *oleosa*, tam oris, quam ventriculi intestinorumque in cavis varios in sensus commista, plus minus subacta, sub specie *chyli*, seu emulsionis animalis, in alveum cruoris delata, a vesiculis rotundis ac membranaceis, in tela partium certarum cellulosa contentis, ac reti vasculoso subtili instructis, *secerni*, ac istis in marsupiis, vel *adipis*, vel *sebi* sub consistentia commorari, non modo haud morbosum, sed naturae humanae, exceptis foetus uterini primordiis, conforme est. Quae interim de pinguedinis in animalibus generatione, differentia et officiis, *physiologi*, — et quae de hujus principii compositione ac indole, *chemici* adnotarunt: ea, ut ab aliis jam satis exposita, quousque ad morborum ex adipe retento cognitionem et curam pertinent, levi modo calamo hîc tangimus.

§. DCCCXCVII. *De pinguedine nonnulla. — Aetatis influxus. — Partes ab adipe immunes. — Partes adipi subjectae. — Pinguedinis incessus.*

Inter ista, potissimam attentionem merentur *aetas* humana, collectioni adipis, prae aliis, favens, ac retentionis adiposae, tam sanae, quam morbosae, natura fere *periodica*. Ante quintum scilicet a foetus origine mensem, pinguedinis, ejusdem in corpusculo, nullum vestigium detegitur. Post partum, ac primis infantiae annis, hoc ipsum, apud plurimos, adiposo in panniculo, cui substrato, pinguedine turgere, et plicas cutaneas efformare, commune est. Ab aetate puerili, mediam vitae ad epocham, adeps, exceptis haud multis, ad istum vel maxime dispositis, imminui suevit; tunc vero, apud praedispositos, per quatuor fere lustra, saginationis incommoda quotidie crescunt. « Pinguia (interim) corpora citius senescere », historiae naturalis apud *Romanos* princeps jam edixit; et qui pingues, senectutem provectam attingunt: ii, molesto hoc onere sensim liberati, aut in hydropem, aut in tabem lethalem incidunt. Nec minoris momenti observatio, certas corporis partes (magno contra adipis, per arteriarum parietes percolationem argumento), ab omni depositione adipis immunes vivere, docet. Ita nec in calvaria, aut in cerebro, nec oculorum in bulbis, nec in larynge, trachea, nec in tela cellulosa palpebrarum, aurium, scroti, praeputii, nec in pulmonibus, hepate, liene, nec in renibus, utero, adipi locus conceditur. Nullam interim corporis partem dari, quae, sub certo causarum, hucusque ignotarum, imperio, in *materiam adipoceream* converti, aut *steatoma* concipere haud queat, ex observationibus, nobis quoque propriis, conjicimus. Frequentior superabundantis pinguedinis sedes est ad orbitas, ad genas, ad mentum, ad mammas, potissime muliebres, ad ilia, feminarum plurimarum (*Africae* interioris prae aliis), ad nates et crura, ad ventrem, omentum, veluti adipis emporium et centrum, ad mesenterium, ad renum ambitum. Ossium longiorum in cavis adeps majore copia ac densior, quam eorumdem in cellulis, colligitur. Nunc autem partes, recipiendae pinguedini faventes, *singu-*

lae, — nunc modo *una* ex istis, e. gr., cor summum, mediastinum, — dum caeterae nonnisi modice turgeant, clandestine inundantur ac suffocantur ab adipe. *Pinguedinis*, in hominibus, caeterum sanis, collectio plerumque *lenta*, — post morbos autem varios, sub dispositione ac vivendi ratione quorundam diversis, *celerior* est. Qui *saginandis* in animalibus domesticis satis versati sunt, oeconomi: ii, praeter tractationis belluarum, et pabuli, iisdem hunc ad finem magis opportuni rationem, et illa in *temporis*, quo vel mediam, vel summam animalis, hujus, illius, pinguedinem lucrentur, accurate definiunt. « Pinguescere (sues) *sexaginta diebus*, sed magis tridui saginatione orsa », naturalis historiae parens jam ipse animadvertit. Primam certe intumescentiae, a pinguedine nimia, partem, in utroque sexu, *venter*, — alteram, in feminis, *ubera* sibi sumunt. Nec ordine alio, hoc in sexu, macies morbosa, tabes imminens a mammis orditur; quod jam sola *butyri*, sub lactis vehiculo in istis secreti, cum *adipe* affinitas exspectari juberet. Quas interim vias adeps (partium corporis divisioni, intervallis implendis, fulcro, custodiae, fotui, flexilitati, formae, elegantiae, — forsitan et bilis, et ceruminis aurium, et smegmatis cutanei compositioni, destinatus; ideoque ad resarcienda nutritionis detractae principia resorbendus) sub corporis, a morbo graviore correpti, fuga, saepe praecipiti, moliatur, haud satis ubique apertum est. Vel sanum apud hominem, per folliculos *cutis* sebaceos, adipem continuò, sat copiose excerni, sordes illius, ac tunicae linteae, per paucos modo dies pelli humanae contiguae, spurcities, haud absque saponis officio tollenda, et strigilis ipse, a balneo, commonstrant. His ipsis in sebaceis cutis folliculis interdum, alio sine morbo, concretiones calculosas, et quidem copiosas, simul reperiri, observatio docuit. « Adeps humanus, ut jam summus *Helvetiae* physiologus docuit, multis modis induratur. Vidi, absque vitio, quod certe innotuerit, sebaceas, lentiformes particulas durissimas et pene calculi similes, nisi ad ignem liquari se passae essent, sub cute partis internae tibiae humanae dispersas. — In Hernioso adeps sebi simulis in Transactionibus philosophicis. n. 326 describitur;

idque vitium in omento elapso frequens est, ut cum periculo intestina comprimat ». Duos vir, quondam celebris, casus retulit, « in quorum primo, mulier gracilis, sine febre et sine emaciatione corporis, excrevit singulis diebus, quatuordecim amplius per menses, plurimum flavescentis adipis, incumbentis stercori instar butyri liquefacti, sed ea plerumque copia: ut potuisset replere aliqua vascula. Carbonibus injectus, edebat flammam satis lucidam; et remanens aliquamdiu in excretis refrigeratis, concrescebat instar durioris adipis. Sanitas mansit illaesa. In secundo casu, tum ex ano, tum ex vesica, similis adeps excretus fuit sine febre aut fluxu colliquativo, tandem vero mortua est hae vetula, septuaginta annos nata». Plura *urinae*, per multos annos *oleaginosae*, — sudoris pinguis, — pinguedinis merae, per alvum exclusae, exempla in fastis medicis exstant. Major interim urinarum pinguium, telam, sua in superficie, quasi araneam, iridisque multiplici colore splendentem, referentium, in morbis tam acutis, quam chronicis, maxime *colliquativis*, ut vocant, numerus, sub prognosi saepe nimis funesta, occurrit. Quamvis *combustionis spontaneae* rationem solo in adipe quaerendam esse, vel ideo haud credendum sit: quod macilenti non minus, quam pingues, — quod feminae plures, quam viri, — quod senes magis, quam juvenes, mirandum ac flebile hocce phaenomenon obtulerunt; — quod tantummodo homo vita instructus, nec unquam, quod sciamus, *cadaver* illius, sponte deflagraverit; non injusta tamen nobis videtur suspicio: *oleosum* illud, quod nullibi carnium ac ossium deest, *principium*, vitalitatis illi, qualecunque hoc sit, rariore quidem, nec hucusque cognita, non soli interim spirituosorum abusui propria, igneae evolutioni materiae ac, sub atmosphaerae contactu, incendio illi spontaneo alimentum porrexisse.

§. DCCCXCVIII. *Symptomata. — S. generalia. — S. specialia.*

Magnam satis, diversam tamen in subjectis aetate, sexu, proceritate et constitutione corporis diversis, ad molem adeps, quin laesio functionum conspicua sequatur, universim ascendere potest; quoties interim

pinguedo, ad cordis, vasorum majorum, aut nervi principalis vicinias, nobiliorem et circumscriptam sibi sedem elegerit: toties ea (et quidem longe obscuriore, vel aliquando prorsus inextricabili sub diagnosi), partium istarum atque affinium functiones promptius atque longe ferocius opprimet. In eusarchis (carnosis) non saginatis subjectis, celebris *Galliae* quondam nosologus, pondus adipis dimidiam toties corporis partem constituisse, retulit; vix interim hominis mediae corpulentiae atque staturae, corpus, partem sui vigesimam pinguedinis offeret. Sed quousque pinguedinis massam, quibusdam in hominibus, ascendisse, experientia non docuit! Nos ipsi, *Ticinensis* notarii, ob urinae retentionem defuncti, 400 librarum cadaver sectioni submisimus, ac regionem ejus hypogastricam, cutem inter ac lineam albam, adipem, quatuor cum dimidio pollices altum obtulisse, observavimus. Mulieris, triginta sex annos natae, ac libras 480 pendentis, — viri, 600, — alterius, 650 librarum, et 15 pedum anglicorum circumferentiae, exempla, apud scriptores alios reperimus.

Oportet vero alia aliaque pinguedinis, vel copia modica, vel insignem ad molem, — vel sensim sensimque, vel rapida magis secretione — vel hanc, vel illam in telam cellulosam depositae, symptomata esse. Principalia, inter ista, vasorum, nervorum, musculorum ipsorumque viscerum compressio, distractio, distorsio, sunt. In adiposis, arterias, venas ac viscera non esse majora, quam in macilentis ejusdem staturae hominibus; adeoque hepar, lienem, pulmones, in pinguibus, respectu ponderis totius, esse dimidio minores, quam in macilentis, laudatus jam nosologus animadvertit. Sed neque mala haec vasorum, ratione voluminis corporei, proportio sola hîc obest; sed ipsa cordis, canalium sanguiferorum lymphaticorumque diameter, incumbentis pinguedinis a pondere imminuitur, deletur; cruor, his a locis aversus, ad alia, illis, ob adipis absentiam, liberiora, cogitur, — istorum in vasis, jam nimis oppletis, irritatis, ad secretiones morbosas, incendia, nisi ipsam ad fugam, ac vicini parenchymatis ad inundationem, subversionem, in partis, aut in totius perniciem, incitatur, abripitur.

Mirabimur sane vasorum lacteorum, sub jugo mesenterii, omenti apud pinguiores tyrannico, in solvendo quotidie tributo chyloso, et vires, et patientiam; sed est, ubi et vasa lymphatica, post laboriosum, vel a pedibus ad abdomen, pinguedine refertum, — vel ex isto, per ductum thoracicum, a vicino steatomate forsitan compressum, ad venam subclaviam iter, colla huic tandem jugo subtrahant et, nimis jam fessa, quae vehenda sibi assumpserant, liquida, haec superiora versus portare, pertinaciter recusent, et hoc modo tam pedum oedema, quam asciten et hydrothoracem invitent. Non minor ab *adipe* nimio, nervorum oppressio est. Hos quidem ille, pauciore sub copia, amice amplectitur, lubricat, a frictione, stimulis externis, defendit, et ab ingrata frigoris impressione custodit; vix autem, sub hisce blanditiis, improvide nimis admissus, et loco insidiose potitus est, cum hospiti incauto jam nodos et vincula tendit, ac ista tandem, quotidie auctus, ad strangulationem usque adstringit. Hoc igitur pinguedinis superabundantis sub onere, languet nervorum ac tandem prorsus obtunditur sensibilitas. Jam antiquus de re rustica scriptor, « suem, quae prae pinguedine carnis, non modo surgere non posset, sed etiam, ut in ejus corpore sorex, exesa carne, nidum fecisset », commemorat. *Dionysium, Heracleae* tyrannum, adeo obesum fuisse referunt veteres: ut a somno continuo, longis, in corpus defixis acubus fuerit excitandus. Vel ipsas animi dotes, etsi pingues sat multi ingenio polleant, continuata in longum saginatio tandem pessumdat. Non igitur, et *Graecos*, maxime *Lacedaemones*, et *Romanos*, pinguedinem civium nimiam, quasi mollitiei femineae ac luxuriae filiam, sub legis vincula conjecisse, mirabimur. Ab illa nimirum, et densitas, et agilitas, et irritabilitas, et robur, et directio fibrarum muscularium infranguntur, mutantur; et junctis, huic musculorum inertiae, vasorum, in suscipiendo, propellendo cruore, a superincumbente pinguedine, obstaculis: cur sub acclivium adscensu, sub exercitio corporis alio, vel protracto, vel quidquam strenuo, et anima vix non deficiat, et cor, prae angustia, palpitet, et sudor profusus cutem inundet,

intelligitur. Nec alia viscerum thoracis, abdominis, pelvis, a majore pinguedinis mole oppressorum, distortorum, ut infra docebimus, sors est. De copiosae pinguedinis, sub magnis atmosphaerae caloribus, sub febribus acutis, violentis et diuturnis sub corporis exercitiis, frequente corruptione, plura quondam somniarunt, quam, fida experientia et analysi chemica ducibus, detexerunt pathologi. Longae quidem stagnationis, et atmosphaerae tepidae influxu, axungiam tandem rancescere tetrumque odorem spirare, — in aetate infantili, adipem album, insipidum, — in adulta, solidiorem, subflavum, — in senili, coloris magis obscuri, ac saporis fortioris esse, — pinguedinem, destillationi submissam, de acido sebaceo testari, — obesorum sudores magis foetere, — pinguedinem, utpote vivo in homine haud solidam, etsi cruoris in torrente oleosi nec quidquam compareat, continuô nihilominus resorberi, ac mox varie mutatam, combinatam (animalium, a somno hiberno macilentiorum, testimonio) nutritionis ad opus converti, — sub morbis acutis, sub violentis exercitiis, hanc resorptionem adipis celeri passu saepe absolvi, atque hunc, ita resorptum, haud lentius disperdi, observatio docuit; ast vero, « dum vivit animal, adeps omnino ad fluida pertinet », ac ista, chemiae legibus recalcitrant, ac solo vitalitatis munita praesidio, indolem illarum saltem influxu immunem conservant. Si de adipis consistentia, colore, odore, sapore, sub aetate ac sub vitae genere diversis sermo fuerit; hasce differentias prorsus normales, et cuivis subjecto specificas esse, dubitari nequit. Etsi vero adeps, a butyro, ratione tam originis, quam indolis, haud multum differat; sebaceum nihilominus acidum, destillationis ope in pinguedine repertum, istius modo encheiresis effectum sistere, haud absque ratione videtur. Cutaneae foetorem secretionis, de humorum corruptione testimonium haud edere, sudorum, purissimos quamvis ad pedes, ad axillas multorum, quidquod animae ipsius aliorum, perfecta sub salute, ingratissimus naribus odor evincit. A celeriore pinguedinis plurimae resorptione ac transitu ad sanguinem, quin ulli illius evacuationi locus sat prompte concedatur, morbos posse

accendi, negare haud contendimus; sed num vasorum abhinc inducta plenitudo hos magis, quam adipis rancor aut qualitas morbosa inducat? hoc nos, ut alia bene multa, ignorare fatemur.

Quod si tanta *universo corpori* incommoda pinguedinis accumulatio pariat; non minor sane malorum, ex plurimi adipis aut sebi, *circa partes* illius, collectione, series est. Potissima ex istis modo hîc tangimus. Sic, *exophthalmiae*, a tumoribus folliculosis, a *steatomate* productae, ac nervi optici, ab his, cum visus obnubilatione, jactura, compressi, in longum distracti, exempla habemus. Monente egregio quondam anatomico, ac *de obesis et voracibus eorumque vitae incommodis ac morbis*, scriptore «pinguedo facile sub lato arytaenoidaeae utriusque vinculo et tegmine, deinde super thyreo-arytaenoidaeo musculo, ventriculoque *Galeni*, atque porro circum arytaenoidaeam glandulam uberius colligitur, ipsumque superiorem hiatum arytaenoidaearum cartilaginum magis, quam inferiorem veramque glottidem urgere ac afficere solet. Cujus modicum magis in aliis, deinde vero plurimum in eunuchis, et illis, qui muliebri ex otio majorem olei facileque figendi copiam sibi acquirunt, videtur, his locis residere: cum saltem clariorem vocem, et inde magis acutam ex strictiore glottide reddunt». Non male hinc orator *Romanus*, « Doctores expressis verbis, ut suis quaeque literae sonis enuntientur, loqui jubet: quorumdam enim, inquit, vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus ». Certe, si mentum illud obesorum tripartitum, ad sterni confinia extensum, — si collum, a pinguedine, anteriora et lateralia juguli versus collecta, in breviorem quasi *Herculis* columnam conversam spectemus; et asperam arteriam cum ipso larynge et vicino oesophago, et vasa jugularia, et musculos, et nervos hujus partis, immensa hac adipis a mole comprimi, ac suis in functionibus arceri, praecipue vero cruoris ab encephalo descensui, sub apoplexiae ac suffocationis discrimine, obicem poni, non est, cur miremur. Tantam adipis copiam circa tracheam et oesophagum collectam fuisse legimus: ut, praeter dyspnoeam, cibos, paucis ante mortem diebus, de-

glutire aeger non potuerit. Haud infrequens in ipso oesophago steatoma est. A jugulo, ad mediastinum et pectoris ad cava, haud difficilis pinguedini via panditur (§. DCCCXXV.) ac, praeter exemplum, hoc ipso in paragrapho notatum, alia plura id nimis evincunt. Ad cordis basin sat frequens morbosa pinguedinis collectio, et ipsum hujus visceris ad apicem haec locum habuit. Apud virum asthmaticum, in diaphragmate steatoma comparuit. Nec minus, diversas ad ventriculi plagas hoc idem se vitium obtulit. Systema biliosum in obesis haud raro afficitur, et concretionum calculosarum in hepate, sicut in renibus, apud illos repertarum, non exiguus est numerus. Intestinorum canalis ipsumque mesenterium, frequentem steatomatum sedem constituunt. Virum, optimo cibo potuique ac deliciis unice inservientem, ita pinguem evasisse, summus *Bataviae* quondam medicus vidit: ut abdomen proprium fasciis ad scapulas suspendere, mensae, ad semicirculum exsectae, adsidere debuerit, et omentum 30 libras penderet. Similia haud raro voracium cadavera ostendunt. Omentum, ad saccum herniosum susceptum, atque hinc inde concretum, sebaceam magis indolem aliquando assumit. Praegrandia peritonaeum steatomata concepisse est visum. Quaemadmodum vero jam *Graecus* historiae naturalis fundator, a nimio sebo, circa renes collecto, oves perire monuit: ita quoque urinifera haec viscera, pinguiore in homine, haud modo medio in sebo sepulta comprimuntur et languent; sed illorum quoque substantia omnis aliquando in adipem conversa fuit. Cum vero adeps, sub statu sanitatis, modo certis telae cellulosae in spatiis ac propriis a vesiculis secernatur; sub partium corporis etiam illarum, quae, exemplo cerebri, arteriarum, uteri, tubarum, hisce marsupiis carent, affectione morbosa (quod jam §. DCCCXCVII. insinuavimus) tumores adiposae indolis, seu *steatomata*, haud raro nascuntur.

Ex tam diversa pinguedinis superabundantis sede non minus, quam ex viscerum, per illam, suis e locis expulsione, distortione, compressione, symptomata nunc haec, nunc alia, hîc loci haud eruenda, ab illa debere produci, vel sponte intelligitur. Suc-

cincte admodum ac vere, hujus vitii effectus, antiquus de morbis chronicis scriptor *Africanus* exposuit: « Indecens, inquit, difficultas patientes afficit: nam sequitur nimia ac superflua multitudo carnis, quae in pinguem prominentiam erigitur, cum tardo motu, atque gravatione, vel debilitate, et ex parvo gressu anhelatione, ac sudore, ut suo se corpore praefocari sentiant aegrotantes, quo neque levia ferre valeant vestimenta. »

§. DCCCXCIX. *Causae.*

Pinguedinis nimiae, vel universalis, vel modo localis *origines*, multae quidem, sed certe haud omnes, cognitae sunt. Conducunt ad illas: temperamentum, ut vocant, phlegmaticum, — corporis, maxime juvenilis, feminei, in atmosphaera temperata, humida, ciborum, potulentorumque magis nutrientium abundante sub usu, ac solius fere ventriculi tenore minus infracto, commoratio; laxitas, infirmitas per morbos, per venae sectiones copiosas, per haemorrhagias, lactationem diuturnam, per somnum protractum, per otium corporis, maxime post vitam antehac laboriosam, per imperturbatam animi quietem, per balnea tepida, per castrationem, per membri conspicui amputationem, per emphysema, inducta. Egregie haec antiquus *de medicina* scriptor *Romanus* exposuit, dicens: « Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, et si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, somnus et plenus et non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia, cibus et frequentior et quantus plenissimus potest concoqui. » Sub utero gravido, vel a cessatione menstruorum, pinguedo nimia corpore interdum potitur. Quae, ad illustrandos hujus indolis effectus, a physiologis jam satis abunde exposita fuerunt: ea hîc loci haud repetimus; nemo est interim, qui homines plurimos, fere singulis licet his causis expositos, macilentos nihilominus incedere, — alios vero, sub victu omnino tenui, atque sub exercitatione corporis non minus quam animi quotidiana, ab infausta pinguedinis mole haud posse defendi,

ignoret. *Dispositionis*, haud intellectae, jure, haec, inter se contraria, eveniunt. Animalia domestica, neque senilia nimis, neque morbosa, obesitatis rationibus, vix non allatis, et (quas crudelitas hominum detexit) aliis, submissa, sine exceptione, ac paucorum mensium, quidquod breviore quoque, spatio, collecto ab adipe vix non suffocari, docet experientia. Quamvis autem, eximii quondam scriptoris *Galli*, de pinguedine, assertioni, « ob animi pathemata multo vehementiora, hominem non posse saginari », inhumana quorumdam anthropophagorum, captivos, praeter alia, vel per ipsam castrationem, saginandi consuetudo, contradicat; vix tamen, ubique terrarum, humani generis ad pinguescendum dispositio, pecudum illi aequiparanda esse videtur. *Lanios* atque *pistores*, ex atmosphaera, in qua degunt, vaporibus ad nutritionem idoneis gravida, magis quam solis ab esculentis pinguefieri, cum utrumque genus hominum, lucroso vel annonae, vel carnium commercio, ac victu tam lauto, quam nutriente gaudere soleat, vix auderemus defendere. Qui dapes numerosas, quas provida natura, e regno tam animali, quam vegetabili petitas, vel ipso ex oleo, vel saltem ex principiis adiposis, muco ac lymphae commistis constantes, esurientibus offert. consideraverit; — qui haecce alimenta ab istis in chymum et in chylum, emulsionis animalis sub specie, conversa, vix ad sanguinem delata, et partim jam ab uberibus maternis in filiorum nutritionem secreta, sub forma lactis, butyrum, ab adipe modo parum diversum, secum vehere perpenderit; — qui ad organa certa, pro secernendo in textu celluloso, ac ipsis in ossibus longis, oleo animali constituta oculos conjecerit; — qui adiposae hujus materiae utilitatem, necessitatem ad orbitas, ad mammas, ad manuum volas, ad pedum plantas, ad omentum, in memoriam revocaverit; — qui sanissimos infantes plerumque pinguescere, senes vero exhaustos, antehac obesos, adipem deponere viderit; — qui demum hominum pinguescentium vigentem ciborum adpetitum, nulla, sub istorum subactione, incommoda, et perfectam in omnibus salutem observaverit; — ille, nisi omnia nos fallant, generationem adipis a defectu ple-

nae et perfectae nutritionis, cum viro claro derivare nullatenus poterit. An adeps, certum ad gradum, ob quotidiani dispendii defectum, auctus, tam ex *nervorum cutaneorum*, hac pinguedinosa in palude vix non suffocatorum, omnique fere sensu destitutorum, quam ex *systematis lymphatici*, tandem ab illo oppressi, retardato magis magisque officio, ultro resorberi impeditus, morbosa pinguedinis symptomata producit? Ipse saltem hydrops, hoc modo haud raro nascitur (§. DCCXLVIII.); atque telae cellulosae nimius ab adipe infarctus, non multum hac retentionis serosae a specie distat. Quod non modo somnum inducit, sed et nervos obtundit, *lolium temulentum*, annonae commistum: hoc, saginationem animalium, quod nec antiquitatem fugit, promovet. Materiae, sub futura mistione, praeparatione, nutrientis, horreum, panniculus adiposus est: e quo, sub longa chyli novi penuria, ut hiberno certorum animalium somno, substantiae jacturam natura resarcit. Incitentur, per corporis aut animi commotiones violentas, per febrim acutam, mercurialium sub usu incauto, vasa lymphatica nervique sub adipe sepulti! et, renovata istorum actione, adeps vix non omnis e cutis granario resorbebitur, et, cum summo vitae discrimine, cruoris ad massam impetum faciet.

Quod si nostrae, de *universali* pinguedinis per corpus diffusione, cognitio adeo vacillet: ut haec omnis, *circa excessum assumptorum, et excernendorum defectum* et, quod pejus est, specioso *dispositionis* sub titulo, circa qualitatem occultam, versetur; longe magis in obesitatis *particularis*, qualis nempe certis in regionibus, feminae humanae ad mammas, ad nates, — domestica inter animalia, ovium ad caudas, endemica conspicitur, explicatione egeni sumus. Nec rationes, cur, corpore necdum praepingui, adeps nihilominus hinc inde ad basin cordis, aut in mediastino, aut alibi, quin vitii istius suspicio esse queat, glomeratim colligatur ac hominem trucidet, intelligimus. Nec steatomatum genesis hucusque clara res est. Ad *ossium medullam* quod pertinet, et istius functiones non minus, quam morbi, magna ex parte nos latent. Quae saeculi ultimô elapsi physiologi huic me-

medullae officia, ossa nutriendi, longiorum ex istis extrema, cartilagine obtecta, ut ad synoviae compositionem conferrent, penetrandi, ac demum haec magis flexilia reddendi, assignaverant; haec, recentiorum observatio, quod ossa tam foetus, quam avium multarum longiora, sine medulla subsistant, et quod istius morbi ac illi synoviae, inter se differant, rejecit. Haec igitur medulla, adipe subcutaneo subtilior magisque pellucida, in contextu ossium spongioso, ab interno periostio secreta, et a telae cellulosae vesiculis, in usus ignotos, detenta, excepto foetu, animali pinguiori copiosior, in cervis, sub venatione per canes protracta exhaustis, rarior, augeri non minus, quam resorberi solet. Quae vero membrana, subtili vasorum rete ornata, hanc medullam, in medio ossium longorum crassiorem, includit: ea, externo periostio, quamvis tenerior, in omnibus tamen similis, nervis quidem ipsa nullis instructa est; sed utrique certe periostio, ut sub laesione ac sub morbis diversis stimulari, incendi queat, irritabile ac sensile vasculorum, a quibus percurritur, principium abunde jam sufficit. Spongiosum medullae contextum, in ossis longi cavo expansum, posse cum ipso hoc osse, varios in sensus extendi, atque a materia coloris sanguinei, lymphatici, plus minus repleri, rachiticorum spina ventosa nos docet; eumdem vero et contrahi posse, ita ut medullam in se retineat, ejusdem ossis amputatio ostendit. Est vero, ubi, hac absoluta, sub rerum eventu facile sinistro, medullaris haec membrana, fungosa, quod et nos experti sumus, ossis e cavo luxuriet. Vasa medullae sanguinea, in rachiticorum ossibus, majoris fuisse diametri, pluries vidit illustris *Galliae* anatomicus. Non mirabimur proinde, in periostio *interno* non minus, ac in externo, sub contusione fortiore, fractura ossium, sub rachitide, syphilide, sub affectione strumosa (scrophulosa), sub scorbuto, sub elephantiasi, a congestione, confluxu cruoris ad haec vasa stimuloque majore, aut specifico, vel ipsis in ossium penetralibus, tam hydropem acutum et chronicum (*hydrosteon* vocavit atque descripsit egregius *Bataviae* medicus), quam inflammationes, suppurationes, indurationes, erosiones, caries, ipsamque necrosin, quae

singula tamen accuratione adhuc examine indigent, saepe produci.

§. CM. *Prognosis.*

Potissima *prognosis* momenta, quae retentiones adiposas concernunt, in ipsa descriptione symptomatum, ex nimia pinguedine observari solitorum, jam (§. DCCCXCVIII.) adduximus. *Hippocrates* quidem « illos, qui a nativitate valde sunt obesi, celerius mori, quam graciles », monuit; quamplurimos interim infantes, ad ubera pinguedine turgentes, — hac ipsa, in puerili aetate deposita, sanos vixisse conspeximus. Infantes obesos, ut alii praetendunt, facile strumosos (scrophulosos) fieri: nec hoc quidem tam saepe observare potuimus; majora interim illos, sub dentitione difficili, discrimina exspectant. « Obesos plerumque acutis morbis et difficultate spirandi strangulari, subitoque saepe mori, quod in corpore tenuiore vix eveniat », jam princeps *Romanorum* medicus edixit. Eodem scriptore monente, « si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet ». Frequenter nimis pinguedinem, telae cellulosae exulem, aquis copiosis haec loca cessisse, jam diximus; sed in multis hydropicis, steatomata immutata subsistunt. *Hippocrate* dicente, » si praeter naturam mulier fuerit crassefacta, in ventre non concipit; nam omentum crassum ac multum incumbens, os uterorum deprimit et genituram non suscipiunt ». His addit vir divus: » Si mulier a pinguedine uteros sibi laesos esse putet ad conceptionem; attenuato ipsam quam maxime, et ad reliqua gracilem facito »! Quamvis autem feminarum pinguium, quae uteris conceperint, exempla, et aliis et nobis non desint; ac licet fertilitatis, ab obesitate nimia, apud multas deletae, ratio, ab omenti pondere in utero desumpta, omnino claudicet; in genere nihilominus verissima ubique gentium reperitur historiae naturalis, inter *Graecos*, parentis incomparabilis, sententia »: animalia, scilicet, utriusque sexus singula, jam nimis obesa, *minus* esse fertilia. « Ac certe, inter plures fertilitatis majoris apud mulieres rusticanas, et pauperes, vitae laboriosae indulgentes, quam urbanas

apud feminas, luxuriae ac otio deditas, rationes, haec una ex potissimis est. Quasi secretio seminis simul ac adipis copiosior mutuô sese subverterent: tam homo, quam animalia caetera, pinguedine oppleta, generandi facultatem sibi indies imminui percipiunt. Subsistente caeterum, uxorem inter et conjugem, pinguedine nimia et vix non montano abdomine, haud pauca foecundi coitus obstacula occurrunt: quae ratio, praeter llam, quod plurimus adeps nervos genitalium non ninus, ac alios, obtundat, ac rarius ad venerem exciet, obesorum matrimonia fertiliora esse impedit. Pueos a pinguedine nimia facilius, quam adultos, liberari, hoc exercitii, ab illis constanter suscepti, ac ranquillitatis, hilaritatis, animi potius, quam artis nedicae, auxilio, contingere credimus. Haud raro pinguedinem nimiam, telae cellulosae exulem, aquis haec oca cedere, jam diximus; quidquod in ipso hoc ydrope succedaneo, adeps, illis in locis non semper mnis disparuerit. In multis hydropicorum cadaverius, steatomata intacta subsistunt. Quid medullae in ssibus superabundantiam, paucitatem, defectum, aberationem a normali subesse significet, quidque maorum exinde resultet? haec, etsi momenti non exigui sse supponamus, hucusque nos fugiunt.

§. CMI. *Therapia.*

Frequentior medicis, *maciei*, quam *pinguedinis* niiae impugnandae, offertur occasio. Atqui, dum gricolae, animalium domesticorum saginationem, sub e certi eventus suscipiunt, ac alimentorum, expeentia diu comprobatorum, adminiculo, breviore temore absolvunt, — vel etiam, nisi propria utilitas veret, perfectum jam opus, opposita sub methodo, cile destruerent; doctior longe medicorum coetus, c maciei, nec obesitati hominum, tutô, citô atque unde tollendis, ex allata jam ratione (§. DCCCXCIX.), que parem venditare se potest. « Pingues, qui graes fieri volunt, inquit *Hippocrates*, omnes labores uni facere debent, et cibos assumere anhelantes huc ex fatigatione, et non refrigerari, praepoto io diluto, et non valde frigido, et obsonia praerata assumere ex sesamis, aut condimentis horten-

sibus, et aliis hujuscemodi. Sint autem obsonia pinguia quae offeruntur. Sic enim a quampaucissimis impleri poterint. Sed et semel in die cibum sumere, et illotum manere, et stratum durum habere, et nudum deambulare oportet, quantum ejus maxime fieri potest ». Potissimus *Romanorum* de medicina scriptor, haecce vestigia et alia sequitur, dicens: » Extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendit, magisque si salsa est; in jejuno balneum, inurens sol, et omnis calor, cura, vigiliae, somnus nimium vel brevis vel longus; lectus per aestatem, terra; hyeme, durum cubile: cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel die assumptae, et vini non perfrigidi potio jejuno in consuetudinem adducta ». Quod si igitur veteres, istis, et feminarum speciosarum blandientiumque in viros imperium, ut tyrannorum sui temporis in populos furiendi modum, atque triremes, superaddidissent; nihil omnino, quod adipem nimium ipsamque ossium medullam tam avertere, quam omnem consumere potest, omisissent. Curae praecepta, *Hippocraticis* fere similia, jam laudatus de morbis acutis et chronicis scriptor *Africanus*, et quidem in speciali de polysarcia capitulo, tradidit, hisque artis subsidiis, gestationem plurimam, equitationem, navigationem, natationem in aqua maris, lectionem alta voce susceptam, cursum, frictiones siccas, aspersionem cutis, a balneo, cum sale, volutationem in palaestra varia, luctationem etc. superaddidit; phlebotomiam vero, ab aliis propositam, ut mentis delirae commentum, rejecit. Sed et crudeliora, nisi tentata, saltem proposita fuerunt. Medicos, *Apronii* filium, adipe exciso pondere levasse, refert *Romanus* historiae naturalis scriptor. Adipem e mammis exscindendi methodum, vir *Graecus* docuit. *Arabistae*, non modo adipem nimium mammarum auferendum, sed ad ponderosa nimis, ac umbilicum versus pendentia ubera relevanda, operationem quoque chirurgicam consuluerunt. *Lacedaemonum* filios pinguescentes aut jam obesos, praeter alia subsidia, et virgis caedi, Ephori jusserunt. Virginum sacrarum coenobia subsistunt, in quibus sodales novitiae, ubera nimis

conspicua, thoracibus angustis et rigidis, ad jugulum usque extensis, inclusa, arcte tenebantur comprimere. Sic et feminae *Romanae* quondam, ubera, ne volumen ingratum acquirerent, machinae concavae levioris ope, coërcere sueverunt.

Haec antiquitatis, ad praecavendam aut auferendam pinguedinem, conamina, recentior aetas divitiis haud adeo multis locupletavit; et non injusta viri quondam celebris *Lipsiensis*, hanc usque in diem, querela est: quod pingues quidem homines aliqui, sub victu *pythagorico*, aliisque austerioris diaetae sub regulis, superfluum adipem tandem deposuerint; sed, quod vix ab isto, sub magna virium jactura, liberati, dum victui modo quidquam lautiori, pro necessitate, indulsissent; post breve tempus, in majorem pristina pinguedinem, — aut, nisi haec repullulasset, in leucophlegmatiam misere inciderint. Quare non omnis devictae, hanc vel illam per methodum, pinguedinis historia, nisi et illa, intactae ac satis constantis, a cura adhibita, valetudinis accedat, magni est ponderis. Sic architectus, ut legimus, a multa pinguedine oppressus, cum *acetum vini*, aliorum consilio, largiter ac diu hausisset, in cardialgiam ac rebellem in vomitum, tandem lethalem, incidit; post obitum vero, scirrhosam ventriculi duritiem anatomico obtulit. Sic juvenem atque speciosam *Insubriae* matronam novimus, quae, dum se indies corpulentiorem fieri, ac formae elegantiam hoc modo imminui animadvertisset, alimentis consuetis pro magna parte renunciavit, corporis exercitia omnis generis instituit, simulque, dum sola esset, acetum copiosum quotidie hausit. Post annum, hoc sub regimine transactum, formae quidem elegantia, sub applausibus amicis, redire, ac pinguedo non parum imminui visa est; ast vero tunc pallidiorem se reddi, a paucissimis licet esculentis mox stomacho gravari, cibos, quos antehac adpetierat, adversari, tristitiae insolitae ac hysterismi, sibi hucusque incogniti, symptomata experta est. Aegra tunc proprii culpam erroris, ut homines solent, in coelum conjiciens, a tenero conjuge *Neapolim* conducta fuit, et hac in metropoli, noctes vigilando, dies vero, loca regiae urbi vicina percurrendo, eodem victus sub re-

gimine, transegit. Paucis hoc modo mensibus absolutis, de pristina corporis gracilitate gratulabatur sibi infelix; vix autem in patriam redux, celeriter ea emacrescere, tussi sicca laborare, febricitare, ac tandem, sub sinistri thoracis ardore, dolore punctorio, respiratione difficili, anhelosa, multum e pulmonibus sanguinem rejicere cepit. Varia tunc artis subsidia in usum ducta fuerunt; sed morbus, febris lentae, ac phthisis pulmonalis sub forma incedens, aegram per septem jam menses, sub sputis, aspectu puruleutis, copiosis, cruore saepius tinctis, sub sudoribus nocturnis, ut vocant, colliquativis, sub exacerbatione, quovis nycthemero, duplici, ac tanta simul sub macie tenuerat: ut medicus celebris et in arte salutari exercitatus, vitae miserae finem, paucos post dies instare, affines adverterit. Tali sub rerum positione, cum pulchram vix *Italiam* salutassemus, consilia quoque nostra efflagitata fuerunt. Principalis quidem hujus morbi occasio, tunc medicum ordinarium, — hinc nos quoque, latuit; etsi vero enarrata illius phaenomena, primo sub intuitu, de phthisis pulmonalis ulcerosae summo jam gradu testari viderentur; longitudo tamen morbi, in aetate, qua tabes pulmonalis decursu longe celeriore absolvi solet, corporis structura, huic morbo haud multum favens, ac certa, nec facile describenda, aegrae physiognomia, a communi phthisicorum illa diversa, fecerunt, ut, pro nostro judicio hoc de morbo exponendo, aegram ulterius, et quidem quatuor aut quinque per dies, ac horis diversis observandi occasionem nobis expeteremus. Haec nostra circa tanti morbi diagnosin haesitatio, effectum, quem praevidere haud potuimus, scilicet ut medicus aegrae illustris ordinarius, eamdem illico desereret, ac nobis, de morte illius instante dubitantibus, curandam relinqueret, produxit. Animo, tam hoc a scena, quam ab infelici matronae positione, non parum commoti, si quid esset consilii, id in fida eorum, quae morbum praecesserant, relatione quaerendum esse, intelleximus. Hanc ipsam; cum aegra jam nimis exhausta esset, tenerae ejusdem amicae obtulimus, atque hoc sincero e fonte historia morbi, hucusque exposita, fluxit. Se-

posito igitur apparatu pharmaceutico, spem, si quae superesset, omnem, in adaequatam ac blandam corporis aridi et exsucci nutritionem collocandam esse, putavimus. Nutricis sanae in ubera, nisi dyspnoea, illorum suctionem, — ventriculi vero imbecillitas, lactis usum exclusissent, fiduciam hic omnem posuissemus; atque hinc, illius loco, ad juscula e carnibus gallinae maturae, testudinis, paucorumque cancrorum fluviatilium parata, commisto simul ovi recentis vitello, dimidium ad vasculum quovis bihorio sorbenda, nec non ad enemata hujus indolis, quater in die, aliquas ad uncias, ano injicienda, confugimus. Mense necdum elapso, aegram sub tali medendi ratione, et mitius febricitare, et sudores nocturnos magis moderatos experiri, et sputa panciora facilius rejicere observavimus. Post sex hebdomadas, sudores nocturni cessarunt, febris modo semel in die, satis mitem in modum, exasperari, dyspnoea evanescere, ac sputa melioris notae prodire ceperunt. Quare nunc, praeter jusculum, bis in die, infusum corticis chinae aquosum et frigidum, tres circiter ad uncias hauriri consuluimus. Progressu temporis, dum aegra, corticis, ita praescripti, usum absque ulla respirationis laesione pertulisset; ad ejusdem decoctum, — ac isto per alterum mensem porrecto, omnique febre cum tussi et sputis suspectis fugata, cum ciborum appetitus, ingestorum subactio, ac ipsa tandem menstrua, multis jam a mensibus suppressa, redivissent; martialium mitiorum, atmosphaerae liberioris, ac debiti exercitii corporis ad usum, cum tanto quidem fructu ascendimus: ut aegra, anno curationis medicae vix elapso, huic ipsi renunciare, ac ad confirmationem illius, iter per *Galliam*, *Angliam*, atque *Germaniam*, laeta suscipere ac exequi potuerit. Huic tandem matronae, in *Italiam*, post annum, reduci, pinguedo quidem aliqua, sed, sub regimine vitae, ejusdem collectioni opposito, moderata, et habitus corporis firmus rediverunt.

Plura aceti, femineo inprimis a sexu, ad subigendam pinguedinem, infelici cum exitu adhibiti exempla, a nobis observata, consulte hic praeterimus; ut igitur, si « instar omnium medicamentorum,

adversus obesitatem, *acetum* esse *scilliticum* », conspicuus *Galliae* quondam archiater asseruerit; has laudes, concessa licet aceto, copiose ac longum per tempus propinato, in dissipanda pinguedine efficacia, ob perniciosos tandem hujus remedii, inprimis a scillae marinae superaddito illi principio, in organa, corporis reproductioni praefixa effectus, nequeamus dividere. Ex istis interim, et ex eo, quod illa, quae plenam et perfectam nutritionem *destruunt*, pinguedinis collectioni contraria sint: non tam a defectu, quam a superabundantia succi nutricii laudabilis, ac ab ejusdem a tela cellulosa ingurgitatione ultra vires peracta, nervorum et systematis lymphatici libertati nimis contraria, voraces et otiosos, vel et inclinantes, prae aliis, in saginationem homines facile pinguescere, docemur (§. DCCCXCIX.).

Materiam, consumendi adipis, nullam *pure* magis capacem esse, eximius quondam *Galliae*, de pinguedine scriptor, defendit; hunc interim effectum, a nemine negandum, *febri* magis, praecipue lentae, quam *puri*, istius sub imperio genito, adscribere, a validis rationibus inducimur.

Saponem purum, maxime *hispanicum*, quod nempe ille oleosa, pinguia, resinosa, quam optime penetret sibique commisceat, chemico prorsus et nato ad alembicum ratiocinio, ad solvendam quoque in hominis vivi adiposo panniculo pinguedinem, tam utilem fore, ut, uncia ejusdem dimidia, per aliquot annos quotidie ore assumpta, corporis obesi pondus ad quartam sui ponderis partem imminuere valeat dixerunt. Saponis interim qualitas, donec longinquas ille adipis sedes attigerit, varie subacta, mutata, sicut solvendis renum aut vesicae calculis impar hucusque fuit: ita quoque obesis haud aliter, quam ciborum appetitum prosternendo, corporis pondus imminuere, et copioso atque diuturno sub usu, sanitati eorum non parum ominosa fieri potest.

Etsi vero « corporibus humida carne praeditis, docente *Hippocrate*, famem, quae corpora exsiccat, inducere conveniat »; et quamvis « abstinentia ciborum, obesos cito et secure curatos, multosque ad triremes, vel hostilem in carcerem detrusos, hoc te-

nui victu graciles et emaciatos evasisse », compererit vir quondam clarus; nec his tamen conaminibus, nec exercitationibus corporeis atque laboribus, nisi caute, ac sensim sensimque initis, pericula, illis a pinguedine saepe majora, ubique desunt. Nec minor difficultas premit illa, quae potentius vomitum (haud sine apoplexiae discrimine), aut alvum evacuando, non modo pinguedini nihil detrahunt; sed vires, jam nimis languentes, magis dejiciunt, ac, nisi et ventriculus hanc atoniam dividat; eumdem, ut rejecta, non sine usura resarciat, invitant.

Ex dictis, quam parum ars medica in curanda *obesitate provecta*, hucusque profecerit, elucet; et nisi ipsorum incuria *pinguescentium*, et quotidiana amicorum de prospero istorum aspectu congratulatio, eosdem, ne infido vitae generi renuncient, medicamque opem, quo tempore hanc ferri liceret, implorent, inducerent, et quivis ex illis *Horatianum* illud, « *Introrsum turpem*, *speciosum pelle decora* » esse, praeferrent; rarioris medicorum, sicut in hydrope inveterato sanando, ita in corpulentia saginosa tollenda, felicitatis, non deforet justa exprobratio. Interim nisi inexplicabilis multorum, sub victu parco ac vita laboriosa, in pinguedinem nisus obstet; ea, quae Veteres, ad praecavendam non minus, quam ad dissipandam, quae necdum omnem telae cellulosae corporis elasticitatem delevit, obesitatem, subsidia, etiam mitiora, commendarunt, sufficiunt.

ORDO VI.

RETENTIONES HETEROGENEAE.

§. CMIII. *Transitio.*

Divisioni, a nobis (§. DCXCVI.) promulgatae, fideles, retentiones, *aëreas, serosas, muco-o-lymphaticas, cruentas,* atque *adiposas* hucusque consideravimus; superest igitur, ut suum et *heterogeneis* locum hîc adsignemus. Talis autem hujus ordinis epischesium indoles est: ut partem illius vel maximam, *Chirurgia* sibi vindicet, et ut reliqua partim cum foro medico dividat. De primis igitur, nostri non est agere, qualia sunt: corpora peregrina, partibus ab extus admota, illapsa, impacta, infixa; insecta, larvae, vermes, in naribus, sinibus frontalibus, auribus, nidulantes, gordius medinensis, pulex penetrans, concretiones ad articulos, tophaceae, calcareae etc. Ad retentiones heterogeneas, curae medicorum committendas, praeprimis illae *vermium, bilis, faecum intestinalium,* et *concretionum calculosarum* pertinent; quamvis iterum hae ultimae, saepe nimis et expertarum operam manuum sibi expetant. Cum vero medicae artis praecepta potissima, quae *vermes* et *calculos* respiciunt, tradenda hîc nobis assumimus; ante omnia, lectores praevenimus: nos, lege brevitatis, nostro huic operi praescriptae, utrumque hunc

laborem, utpote nostris temporibus, vel ab *historiae naturalis*, vel a *chemiae* cultoribus, tam glorioso successu peractum, ne manus, etsi haud prorsus illotas, in messem alienam mittamus, non ultra *machaonicae* artis confinia esse extensuros. Celare interim (et absque utriusque scientiae divinae injuria haec dicta sint!), quod gigantei omnino, tam *naturalis historiae*, quam *chemiae* progressus, arti salutari, testudineo semper (nec etenim aliter licet) passu incedenti, beneficia, tantis laboribus correspondentia, hucusque, eheu! non subministraverint.

ORDO VI. GENUS I.

RETENTIONES HELMINTHICAE.

§. CMIII. *Helminthologiae pristinae confusio.*

Italiae, quod prima fuerit, quae, sicut scientiarum omnium, ita et *helminthologiae* facem in Europa accenderit, — *Germaniae*, quôd, prae aliis regionibus, hujus ultimae doctrinae lucem mirifice adauxerit, honor et gloria! Omni quidem aevo, animalcula viva in corporibus animalium vivorum observandi, cuivis se obtulerat occasio; sed magna *insectorum, larvarum, rerum* adeo *inanimarum*, hîc fortuitô, illinc dolose rejectarum, vel hac, vel illa in corporis parte repertarum, ac *vermium* inter se confusio, millenis ab annis regnaverat, et firma nimis, partim in animo hominum circa illa, quae visum ipsa fugiebant, indifferenti, partim in microscopiorum defectu, partim vero in fraude multorum inexhausta, fundamenta posuerat. Tam densas caligines, *historia naturalis*, pro sua dignitate exculta, dissipavit, et vobis, hac luce jam dotatis, eorum, quae ista satis illustravit, ultra confinia medica prosequendorum necessitate nos dispensat. Ad potissimorum nostri aevi helminthologorum, *Rudolphii*, *Bremseri*, opera, ne plura, quam oporteat, quae celebres hi viri nostrique amici jam

abunde docuerunt, repetendo, hujus moles libri ultro, quam par est, augeatur, hîc provocamus.

§. CMIV. *Generalia de vermibus.*

Praesuppositis igitur in illis, qui medicinae se studiis voverunt, divinae illius scientiae principiis, modo eorum, quae vermes, in corporis humani aut *visceribus*, aut *partibus aliis* repertos, in longum descriptos ac delineatos concernunt, memoriam hîc loci injicimus. Hos nempe hospites solos, ut *sibi inquilinos*, nec aliorum animalium illos, ab istis diversos, pro suis hominem admittere, multae rationes docuerant. Quod si autem virorum celebrium observatio recentior, animalia, post triduum ab esu vermium, nequaquam suorum, mactata, eosdem adhuc vivos in suis intestinis obtulisse, hanc assertionem infirmare videatur; altera observatio, quod scilicet et alia, quam vermes, animalcula, in hominis vivi tubo intestinali *per breve tempus, nec tamen longiorem per moram*, ut inquilina homini, vegetaverint, virorum clarorum doctrinam needum adeo subversam esse docet: ut, licet populi ichthyophagi non ubique magis ac alii, vermibus abundent; humanorum tamen originem vermium ex esu peregrinorum, cum veteribus denuo admittere cogamur. Orbis terrarum nempe dominus, *homo*, dum suam in animalia vix non omnia tyrannidem superbus exercet: aliis is ipse, et quidem abjectissimis, *insectis*, scilicet ac *vermibus*, ut servus et pabulum, constituitur. Cum vero insecta innumera, corpus humanum, quasi praedam nobiliorem parumque munitam, non minore astutia, quam ferocia insequuntur, circumstrepunt, lacessunt, prehendunt, atque armorum, ab ipsa natura concessorum, ope, rodunt, pungunt et sauciant, quidquod, futurae progeniei sollicita, hanc ipsam, tam vulnusculis inflictis, ulceribus, quam antris ac sinibus, naturalibus, morbosis, *larvarum*, *nympharum*, *ovulorum* sub specie, ad plenam maturitatem evolvendam, excludendam, insinuant atque committunt; si tamen pediculum, tam communem, quam pubis, nec non acorum exulcerantem et scabiei excipias; insecta reliqua, Europaeis peregrina sunt, ac modo escam quaesitura, habitacu-

lum constans apud ipsos figunt. Sic, in narium anfractibus, speciatim in sinu frontali, oestrus ovinus, — sic larva muscae cibariae, per ventriculum, per anum excreta referuntur; sic exigua insecta, per aërem volitantia, saepe ad pulmones inspiramus; sic, cum aquis impuris aliquando (etsi fraudes hominum, fucum facile in his faciant) foetus ranarum, hirudines, lacertulas, et nymphas muscae pendulae, aut etiam scolopendras, carabum et alia insecta insolita protulisse narrantur. Sic acorum equinum nos ipsi, ex aure pueri summopere dolente, vivum, *Ticini*, coram nostris auditoribus, extraximus: quae tamen singula, ab extus et per accidens corpori admota, ingesta, quin se ipsa in eodem *propagaverint*, vel sponte, vel per artem, rejecta fuerunt.

Impostorum quidem his in rebus fraudes, quibus viris, etiamsi doctis, non absque gravi famae eorum jactura, imposuerint, satis jam notae sunt; juventutis interim medicae interest, illarum, contra nos ipsos tentatarum, exemplo, quo magis sibi caveant, edoceri. Mox a nostro ad academiam *Ticinensem* adventu, vir juvenis, pro minoris ordinis chirurgo se exhibens, cum ampulla, alcohole, et verme, ut asserebat, incognitae indolis, a muliere per alvum deposito, repleta, nos accessit, et istum, pro sex aureorum pretio, rarae generositatis sub specie, nobis obtulit. Subridentibus nobis, vir iste, hunc vermem, vix a sui rejectione, adhuc vixisse, et, coram se ipso, per aegrae cubile reptasse, sancte asseruit. Cum nullum de peregrini hujus hominis fraude nobis dubium supermansisset; his nos mercibus haud indigere, impostori breviter respondimus. Hic nunc ad alterum, et quidem celebrem, ac de historia naturali optime meritum, sed fraudis humanae, ac helminthologiae minus expertum virum conversus, eumdem facilius decepit. Instituto posthinc examine, corpus in alcohole suspensum, emptor incautus non modo pro *verme* agnovit, sed *Physis intestinalis* nomine insignivit, delineari illud et aeri incidi, tabellamque pulchre incisam, dicto sub nomine, operibus committi curavit, eamque venerato inter Europaeos viro *Anglo* dedicavit. Hic scriptorem, juste celebrem, sed nimis cre-

dulum, exspectavit alterius, aemuli, malignitas: qui *Physin intestinalem* viri sibi odiosi, *nihil aliud, quam pulli gallinacei oesophagum esse*, fraudis, proprio forsitan jussu susceptae, haud ignarus, tam publice quam inimice docuit.

Quemadmodum vero nec vegetabilia, nec animalia caetera, ubique terrarum prosperant: ita et vermes hominis, quamvis, ut ipsum hoc animalium genus, quovis sub coelo proveniant; *specierum* tamen suarum respectu, hac in regione, *quasi endemice* abundant; in altera, rarescunt; in tertia, demum, vix unquam apud *indigenos*, occurrunt; et, qua hucusque destituimur, non exigui ponderis foret, perfectior *topographia helminthica.* Sunt adeo, et quidem haud pauci, qui mediis in provinciis, ab omnis fere generis vermibus obsessis, istorum nunquam imperio subjaceant, interea ac integrae familiae, eodem vitae sub regimine, ab illis, jure *quasi haereditario* instructis, satis defendi haud queunt. *Taeniam*, in una certaque familia, domu hac, quasi endemicam, non raro observavit egregius *Germaniae* helminthologus. *Goettingae*, ut celebris historiae naturalis scriptor refert, atque nos ipsi observavimus, *ascarides lumbricoides* communissimi sunt; *tricocephali dispares* haud raro comparent; *oxyuri vermiculares* minus frequentes sunt; *taeniae* vero, nisi in peregrinis, hac in urbe commorantibus, rarius occurrunt. Talia exceptionum exempla, hominum *aetates* et *sexus* haud raro offerunt: ita ut, qui, adhuc puer, copiosis a vermibus obsidebatur; in aetate virili, aut senili, saepe eisdem omnino careat. Sexum sequiorem, vermes, in juventute, praediligunt; sed et ipsae vermium species diversae, tam aetatis, quam sexus distinctionem observant: ita ut *taeniae*, adultos, — *ascarides*, infantes et pueros, magis occupent. Nulla tamen, et in istis, regula sine exceptione est: ut et ipse uterus, foetum, a quacunque vermium specie, non semper satis custodiat. Haud aliter vermes, quam insecta haec vel illa, et plantae parasiticae, certis in annis potissime, non pro voto fertilibus, magis, ac in aliis, multiplicantur, laetius crescunt, et *quasi epidemice* humanis corporibus, infinito propemodo numero, potiuntur.

Quaecunque vermium species, habitaculum, humano in corpore adcommodum atque tam propriae, quam suorum nutritioni, evolutioni, propagationi, idoneum usurpat; atque hoc, vel angusto, vel sat amplo in domicilio (nunc solitaria, nunc socialis, — hîc, organis modo unius, modo utriusque sexus, — illinc, genitalibus, hucusque incertis, instructa, in visceribus plerumque aut ovipara, aut vero vivipara, — hîc, motu, ad sensus, nullo, illinc, ope fibrae muscularis, aut certe aequivalentis, extensionis, incurvationis, torsionis, sinuationis, contractionis, — in aliquibus ad exsiliendum, et ad partes, etiam dissitas, proserpendum idoneo praedita, — nervis, exceptis modo paucis speciebus, ut potiores helminthologi, saltem hucusque, asserunt, non donata) vitam, fili dubii, aedis electae domino vel prorsus absconditam, aut non importunam, vel adeo ingratam, aperte hostilem, ac propriae domus in ruinam, nullo vero in casu, quod sciamus, possessori suo utilem, ducit.

§. CMV. *Vermium divisio. — Helminthi nematoidei. — Filaria. — Filaria Mediuensis. — Tricocephalus. — Tricocephalus dispar. — Oxyuris. — Oxyuris vermicularis. — Ascaris. — Ascaris lumbricoides. — Strongylus — Strongylus gigas. — Hamularia. — Hamularia subcompressa. — Helminthi trematodei. — Distoma hepaticum. — Polystoma. — Polystoma pinguicola. — Helminthi cestoidei. — Bothriocephalus latus. — Taenia. — Taenia solium. — Helminthi cystici. — Cysticercus. — Cysticercus cellulosae. — Echinococcus. — Echinococcus hominis.*

Simplicissima vermium corporis humani *divisio*, ex illa locorum, in quibus hi parasiti habitant, petitur: atque haec loca illis, vel *intestina* vel *partes* quaevis *aliae*, offerunt. Altera usurpatorum istorum distributio, successu temporis, pro ratione factorum in historia naturali progressuum, facile commutabilis, helminthologorum systemata sequitur. Inter multa temporis acti, virorum, (§. CMIII.) laudatorum, illa, hucusque certe perfectiora sunt. *Familiae vermium quinque* (*nematoideorum*, scilicet, *acantocephalorum*, *trematodo-*

rum, *cestoideorum*, et *cysticorum*) ab hisce scriptoribus admissae, humani corporis hospitium haud singulae subintrant; aut saltem, vel erroris, vel fraudis suspectae, *pseudohelminthorum*, aut dubiorum, aut fictitiorum, imposito sub nomine, examen, quo vel hocce, vel ordinis adeo distincti, honore et ipsae tandem potiantur, repetitum atque rigorosius exspectant.

Ac *primam* quidem (*nematoideorum*) ad familiam, helminthi, « corpore tereti, elastico, crassitie nunc aequali, nunc parte anteriore, vel posteriore, magis aut minus, pedetentim aut subito, acute aut obtuse deficiente, tractu intestinali hinc ore, illinc ano, terminato, individuis tam masculis, quam femineis instructi », revocantur.

Ad primum hujus ordinis genus, *Filaria*, « corpore tereti, elastico, subaequali, ore orbiculari, genitali masculo, spiculo simplici donata », pertinet.

Hujus generis species, in homine hucusque detectae, nec dubiae, sunt:

1.° *Filaria medinensis*, « longissima, cylindrata, elastica, fere aequaliter crassa, capite attenuato, ore minimo, circulari, cauda maris, medium sui finis ad locum, genitali spirali, prominente, subulata, inflexa, feminae semitereti, acutiuscula, incurva praedita, — in hominis tela cellulosa subcutanea, praesertim pedum, in regionibus tropicis figi solita ». *Brems*. Tav. IV. fig. 1.

2.° *Tricocephalus*; » corpus teres, elasticum, parte antica capillari subito in crassiorem transeunte. Os orbiculare, genitale masculum simplex vaginatum ».

Tricocephalus dispar R., « parte capillari longissima, capite acuto, corpore magis spiraliter involuto, feminae subrecto, vagina penis obovata ». *Brems*. Tab. I. Fig. 1 — 3. Plerumque in *coeco* intestino hominis hic vermis, vulgatissimus, habitat. In parte inferiore quoque *ilei*, cadaver puerperae, eumdem viro eximio obtulit; atque tam summus quondam *Italiae* anatomicus, qui primus vermem detexit, quam celebris historiae Entozoorum naturalis scriptor, hunc tricocephalum in tenuium intestinorum cavo repererunt; nec tanta certe valvulae ad colon resistentia èst, quin vermis ille tenuis, eidem sese insinuare, et hanc sibi portam adaperire bene queat. Plerumque istius

helminthi proboscidem osculo glandulae cujusdam Peyerianae, aut folliculi mucosi immersam observavit vir celebris. Effectu magis, quam causa, hic vermis, in epidemia, *Gallos* inter milites, *Goettingae* quondam regnante, abundantissimus fuit.

3.° *Oxyuris*; « corpus teres, elasticum, parte postica (feminae) subulata. Os orbiculare. Penis vaginatus ». *Brems.* Tab. I. Fig. 6 — 12.

Oxyuris vermicularis Brems., « capitis obtusi, membrana laterali utrinque vesiculari, cauda maris spirali, obtusa, feminae subulata, recta ». In *recto intestino*, inprimis sub tenera aetate, sed, ut probe novimus, etiam in adulta, plerumque residet. *Gregales* vel maxime sunt hi vermiculi, ac eorum subinde *conglobata* in unum *multitudo*, — nec minus insignis, et primo vere, ut videtur, major, quam autumno, *fertilitas*, *petulantia* est. Quibusdam in regionibus rariorem esse hunc vermem, dicitur; sed certe eumdem et in *Germania*, et in *Italia*, et in *Rossia*, nos ipsi frequenter reperimus. Non tam constans oxyuri vermicularis in ultimo intestino sedes est, quin eamdem aliquando cum alia commutet. In teneris puellis, propinqua hic vermis saltatorius interdum *genitalia externa*, et urethram aggreditur, exstimulat, albi speciem fluoris exinde provocat, atque haud raro ad onaniam tandem invitat. Hac e sede tamen subinde per urinam abluitur. Ex nostris auditoribus unus, ad feminae vaginam oxyuros vermiculares reperiit; nec aliorum, ipsiusque jam *Hippocratis*, hac de re exempla desunt. Post gravissimum typhum, a Vindobonensi puella nobilissima, septem annorum, feliciter superatum, sub urinae examine, triginta circiter istorum vermiculorum, ad vitri fundum, adhuc vivos, deteximus, et per chartam emporeticam a lotio separari curavimus. Negotiis distracti, hos oxyuros, pyxidi commissos, tertia modo die accuratiori examini submisimus. Mortem quidem pars plurima eorum jamjam subiverat; tres interim ex istis, sine quovis alimento, in loco tam sicco supervixisse, non sine admiratione conspeximus. Ad ipsam *vesicam urinalem* ascendisse hos vermiculos, diaria medica loquuntur. Immensa horum vermiculorum copia in intestinis infantis, vix

utero exclusi, et cui funiculi umbilicalis portio necdum deciderat, detecta fuit. Vermium similium catervam e ventriculo per vomitum rejectam fuisse, *Angliae* societas medica nos docuit. Simile et nobis, *Vindobonae*, anno 1802, in puero exemplum oblatum est. In alio puero, a crudeli cardialgia enecto, ventriculum ab hisce vermiculis, eidem adhuc adhaerentibus, obsessum conspeximus atque *Viennensi* museo pathologico commisimus. Haud interim celandum est, saepenumero et larvas muscarum, et articulos taeniae, et alia, hisce pro vermiculis, venditatos fuisse. Oxyuros copiosissimos, sub antiquo *ascaridum vermicularium* nomine, inter ventriculi oesophagique membranas, cystide inclusos, observatos fuisse refertur.

4.° *Ascaris;* corpus teres, elasticum utrinque attenuatum. Caput trivalve. Genitale masculum: spiculum duplex.

Ascaris lumbricoides, « capite nudo; corpore utrinque sulcato, cauda obtusiuscula ». *Brems.* Tav. I. Fig. 15 — 17. Vulgatissimus atque oviparus hominum hic vermis, *nec tamen*, *nisi a morte*, *elasticus*, primam abdominis contignationem sibi quidem vindicat; sed aliam is nullam excludit. Longa interdum itinera, ad superiora non minus, utpote ad ductum pancreaticum, choledocum, vesiculam felleam, ad ventriculum, oesophagum, quam ad inferiora, non renitente coli valvula, usque ad ani confinia, rependo instituit. A duodeno, usque ad rectum intestinum, omnem hujus tubi alimentarii tractum his vermibus et stercore plenissimum in viro vidimus, qui Ticinensi nosocomio illatus, altera mox die, sub clamoribus altis et continuis dirisque convulsionibus periit! Octoginta hujus indolis vermes, unum in glomerem convolutos, sub febre acuta per alvum expulsos, observavimus. A morte, ut jam innuimus, totus rigescit hic vermis.

5.° *Strongylus*; « corpus teres, elasticum, utrinque attenuatum. Os orbiculare vel angulatum. Apex caudae masculae terminatus bursa penem emittente ».

Strongylus gigas; « capitis obtusi, ore papillis sex, planiusculis, cincto,—bursa maris integra truncata, cauda feminae rotundata ». *Brems.* Tab. IV. Fig. 3 — 5. Non modo animalium diversorum, sed et humanis in

renibus, vesica, hi vermes reperti fuerunt. Exempla illorum aliqua in egregia *Entozoorum, seu vermium intestinalium historia naturali*, et in ejusdem helminthologi *Entozoorum synopsi*, reperimus. Strongylum gigantem, suo jam tempore, in rene canis detexit, ac delineari curavit, summus *Italiae* simulque eloquentissimus medicus. Filius, natu minor, *Franciscus*, praematura, eheu! morte nobis ereptus, duos eorumdem, *Ticini*, in canis vesica urinaria, vivos reperiit nobisque anatomice perlustrandos commisit. In emaciato sene, ut legimus, vermes duo, ulnae ad minimum longitudinem habentes, rubicundioris coloris, aquoso liquore scatentes, similes omnino illis, quos, ex cane desumptos, dissecuimus, detecti fuerunt. Interim non omnis vermis, ex vesica, maxime feminea, forsitan expulsus, hocce pro *strongylo* habendus est. Intestini colon, vesicae urinalis virilis, fundo exeso, concreti, bina exempla propria descripsimus, et cum et flatus, et excrementa, his in casibus, cum urina, per urethram fuerint expulsi: siqui ascarides lumbricoides, quidquam majores, simul per illam rejecti fuissent; facile hi, ab inexpertis, minore caeterum therapiae, quam diagnosis errore, pro *strongylo gigante* declarari potuissent.

De helminthis, quorum sedes est in *tuberculis aneurysmaticis* ad canum oesophagos et arterias magnas, sicut ad equorum, asinorum, et suis *Tajasu* aortas, arterias meseraicas superiores, rarius ad arterias coeliacas, et quos vermes pro *strongylis armatis minoribus*, vel pro *strongylis triconocephalis* agnoscit *Rudolphi*, — vel qui suum domicilium helminthi bronchiales ad glandulas figunt, — de his omnibus (eoquod primi ex dictis, in *homine* necdum reperti fuerint, — quôd secundi, humano in corpore modo semel *Treutlero* occurrerint, — maxime vero, quôd utrorumque symptomata non minus, quam cura, hucusque nos lateant) plura hîc non referimus. Ut specimen nematoideorum *dubium*, addenda his est *hamularia*; « corpus teres, elasticum, subaequale, tentacula oris duo, filiformia. »

Hamularia subcompressa Rud. « antice attenuata, corpus lineare, teretiusculum, circiter pollicem longum, ad latera quidquam compressum, caput obtusum, in-

fra duobus hamulis prominentibus instructum ». *Brems.* Tab. IV. Fig. 2. Hi vermes, a solo *Treutlero* ad vasa lymphatica et glandulas bronchiales conglobatas (ad tubercula bronchialia, monente *Rud.*) cum valvularum in illis destructione, in juvene phthisico reperti, describuntur.

Cum vermes hucusque nullos *acantocephalorum familia*, humano in corpore, helminthologis manifestaverit; ad illam *Trematodarum Rud.*, scilicet ad vermes, corpore molli, depresso, vel teretiusculo, poro solitario instructos, transimus.

Huc, primo, spectat *Distoma hepaticum*; « obovatum, planum, collo subconico, brevissimo, poris orbicularibus, ventrali majore ». *Brems.* Tab. IV. Fig. 11 — 14., Vermis, in ove tam vulgaris, ut et in *agni*, adhuc sugentis, cujus mater eodem helmintho laboravit, vesicula fellea conspectus fuerit; in aliis animalibus, ut in bove tauro et domestico, equo, asino, sue etc., ad hepar et, exinde, in intestinis saepe repertus, in hominis quoque vesicula fellea aliquando detectus fuit. Jam anno 1578, in *Patavino* nosodochio publice dissectus fuit infans, sub variolis defunctus, in cujus hepate, vermes plurimi, tum adhuc viventes, tum inanimes, in ramis venae portae ac hepaticis reperti fuerunt. Coloris rubri, rotundi, quidquam longi, tactuque molles hi erant, — hinc a *distomate hepatico* (Ligula hepatica) quidem diversi; sed vera distomata magnus *Angliae* anatomicus in systemate hepatico, et quidem in venae portarum ramis ac ductibus hepaticis pueri, sub morbillis mortui, — alia, vir clarus alter, adhuc viventes, detexerunt, quin partem hujus phaenomeni majorem coaevi sumpsissent. Accessit et alter naturae scrutator, *Germaniae* decus, qui, *Rossiam* tunc inhabitans, *distoma*, seu *fasciolam*, in feminae ramo ductus hepatici conspexit. Tandem vero (a. 1790) *Weimariensis* medicus eximius, cadaver viri, ex typho mortui, explorans, magnam in vesica fellea distomatum copiam reperiit. *Antonia Aragnoli*, annorum octo puella, nosocomium *mediolanense* petiit 27. Novembris a. 1782. Ad summum illa emaciata erat; pulsus fuerant debilissimi ac celeres; facies cadaverica, meteorismus abdominis. Sex

menses fuerant, a quibus aegra fluxu ventris continuo vexata fuerat, nec minus *dolore in regione hepatis.* Aliquando hic dolor adeo, ut contorqueretur puellula, ac inquietudinem magnam ostenderet, exacerbabatur. Nunquam, in morbo tam longo, *icterus* a longe comparuit. Vixit adhuc paucos per dies haec puellula, hoc misero in statu; mox vero sub diris convulsionibus mortua est. Secto hujus prolis cadavere, *ductus hepaticus*, diametri mediocris calami scriptorii, observabatur. Ad sui principium, in cavum ampliabatur, ac hujus in medio bursae, haerebant quinque vermes convoluti, coloris ex viridi flavi, adhuc viventes, palea straminis lati, crassitie, longitudine bombycis praediti. Non ubique tamen hepar hic helminthus devastasse visus est; sed cum quinquaginta majora, totidemque juniora distomata hepar occupassent; non tamen hoc viscus erosum, aut animalis illius sanitas, ad adspectum, ullo modo perturbata fuit. Ob non magnam hujus vermis extensionem, hunc ipsum, bile aut muco tenaci obvolutum, aut excrementis intermistum, in hominum cadaveribus rarius observari, verisimile nobis est. In consilio medico, *Vindobonae,* mense Augusti a. 1809, pro viro nobili habito, cum plurimas hic aeger portiones quasi pseudomembranae, diversimode formatae, a quatuor jam mensibus, sub dolore insigni ad regiones intestini cocci et colon adscendentis, per anum evacuasset; atque dum illas medicus alter, et, post decem annos, celebris *de vermibus, vivente in homine viventibus* scriptor, cum nobis examinasset: easdem expertus hic helminthologus, non tam pseudomembranas, saltem solas, quam vermis illius, quem *fasciolam intestinalem* vocarunt, portiones esse, quin tamen quidquam illae organici, nudis saltem oculis, obtulerint, aut, quod sciamus, postea manifestaverint, existimavit. Tam arduum saepe, his in rebus certi quid definiri, dicendum est!

Ordinis trematodarum alterum genus, *Polystoma* est, cujus characteres, « corpus teretiusculum, vel depressum, pori sex antici, ventralis et posticus solitarii », efformant.

Hujus generis species, *Polystoma pinguicola,* « P.

nempe depressum, oblongum, antice truncatum, postice acuminatum, poris sex anticis, lunatim positis », *Brems.* Tab. IV. Fig. 15 — 17., huc pertinet. Quo loco uteri, vix partum difficilem experti, ligamentum latum exoritur, in *adipe* ovarii sinistri, tumor durus, nucis avellanae molis, tela cellulosa laxiore devinctus mobilisque, a viro, aliquot inventis helminthologicis claro (*Treutler*), repertus, nec ab aliis hucusque conspectus fuit. In fundo cavi ovalis, in medio hujus tumoris, tenuissima, levi, humidaque membrana obducti, vermiculus hic vivus, cujus descriptionem, ab aliis jam traditam, hîc non inserimus, degebat.

Quarta helminthorum familia, illa nempe *cestoideorum*, agnoscit » corpus elongatum, depressum, molle continuum, vel articulatum; caput paucissimorum simpliciter labiatum, reliquorum bothriis vel osculis suctoriis duobus, aut quatuor instructum; omnia individua androgyna ». Ad ordinem istum, *Bothriocephalus* Rud. spectat: cujus characteres genericos, « corpus elongatum, depressum, articulatum, caput subtetragonum, bothriis duobus, vel quatuor oppositis », sistunt.

Hujus generis speciem, *Bothriocephalus latus* Brems., « capite foveisque marginalibus oblongis, collo subnullo, articulis anterioribus rugaeformibus, insequentibus plurimis brevibus, subquadratis, latioribus, ultimis longiusculis », efformat. *Brems.* Tab. II. Fig. 1 — 12. Haec vermium species, quod et nostris observationibus, tam in *Germania*, quam in *Italia*, atque in *Polonia* et *Rossia*, ultra dimidium saeculum factis, respondet, certorum modo populorum, *Helvetorum*, *Rossorum*, partim *Gallorum*, rarissime vero aliorum, intestinis potitur; quin tamen ideo, coelo, sub quo ipsi hoc vicuit, forsitan mutato, ista facilius deserat. Duos quidem nos ipsi *Bothriocephalos latos*, in *Austriae* metropoli, anni 1803 et 1819. abegimus; sed priorem, novem longitudine ulnarum *Vindobonensium*, femina illustris et princeps, viginti et quatuor annorum, *Petropoli* nata, — alterum, duplo longiorem, praefectus militum, *Podoliensis*, — utrumque tamen capite destitutum, evacuaverunt. Quod vero, exceptis *Helvetia*, *Polonia* et *Rossia*, non invisum, sed modo rarissimum *bothriocephalum latum* esse diximus:

observatio a nobis ipsis instituta, in causa est. Jam tres scilicet per annos, museo *Goezii* helminthico, ex Imperantis *Josephi II.* munificentia *Ticini* erecto, frui, idque juventutis medicae in usus convertere licuerat: cum, mense maji, anni 1789, vermem, ab aegro *Ticinensis* nosodochii. certe *Italo*, expulsum, examinandi occasio nobis oblata fuit. Hunc autem, e glauco candicantem, articulis brevissimis, medio nodosis, uniosculatis, instructum esse, observavimus; ac, licet caput vermis deesset; usitato tunc temporis nomine, *taeniae latae*, illis, quae in dicto museo, sub numeris 1. 2. 16. 17. 18., conservabantur, in omnibus similis, nomine insignivimus, illisque musei exemplaribus adjunximus. Ex latioribus hujus vermis androgyni articulis unus, in medio, prope ovarium, observatam etiam ab aliis, prominentiam exiguam, uneiformem, oblique inflexam, genitalis forsitan masculi officio destinatam, nobis obtulit.

Alterum *cestoideorum* genus, *Taenia*, « corpore elongato, depresso, articulato, osculis capitis quatuor suctoriis », offert.

Hujus generis speciem, *Taenia solium*, « *Taenia* capite subhemisphaerico, discreto, rostello obtuso, collo antrorsum increscente articulisque anticis brevissimis, insequentibus subquadratis, reliquis oblongis, omnibus obtusiusculis, foraminibus marginalibus vage alternis », *Brems.* Tab. III. Fig. 1 — 14. Quamdiu vivit haec taenia, motu gaudet undoso, vermiculari, quo se mutat, incurvat, incrassat, nunc latam, nunc angustam, atque nunc brevem, nunc longam se reddit. Vel in ipsis articulis, a taeniae corpore separatis, vis haec motrix per horas satis conservatur, ut eosdem, pedum duorum altitudine super muro, prope quem aeger alvum deposuerat, ascendisse compertum habeamus. Nec motus miri hujus, ac in tantam saepe longitudinem extensi, animalculi, per *nodos*, quibus, saepe pluribus, se implicat, interrumpitur. In *glomerem* aliquando et hicce vermis contrahitur, ponderosior tunc et, homine ex uno corporis latere in oppositum celeriter conjecto, ex illo in istud procidens, sensibilior et gravior. Sed etiam per plures intestinorum regiones sese hic ver-

nis expandere, ac integra ditione gaudere delectatur. Est, ubi haec taenia, forsitan ob incommodam eor- oris, ab ea obsessi, positionem, ob compressionem, b ferculi, sibi oblati, vel medicamenti epoti actio- em ingratam, violentam, ob morbum sibi proprium, el paulo ante obitum, recellat, subsiliat, et quasi onvellatur. In gelida, lentescit, supprimitur, abole- ır taeniae motus, in tepida renovatur, et sat longam er moram conservatur. Aliorum (sui adeo haud ge- eris) vermium societatem hac a taenia minime re- usari, tum ex aliorum, tum ex propria observatione ovimus, ut qui eamdem cum ascaride lumbricoide, c simul cum oxyuro vermiculari, una eademque in emina, amice vixisse experti sumus. Ab una eadem- ue puella, quindecim hujus generis vermes excretos uisse, summus quondam helminthologus observavit. *Ielvetia*, *Polonia* et *Rossia* exceptis, ab hacce tae- ia, omnes inter Europae populos, bothriocephalum tum vix non excludi, jam diximus. Quatuor modo er annos in *Rossiae* imperio medicinam exercuimus: t in isto quoque non tam infrequentem *taeniam so- um* esse observavimus. Tantum vero istius nume- um, ac in *Helvetia* bothriocephalus est, ubi deci- ius quisque ab hoc verme detineri dicitur, nec *ad Rhenum*, nec ad *Leidam*, nec ad *Ticinum*, nec ad *Danubium*, nec demum ad *Viliam* reperimus. Ver- ali atque autumnali tempore maxime, articulos hujus aeniae, quam, formae istorum gratia, et *vermem ucurbitinum* dixerunt, secedere, vir gravis asseruit; ed absque ulla distinctione temporis hoc fieri, apud lurimos observavimus. Taeniae solii *longitudo* saepe raemagna est, atque nos ipsi ejusdem exemplar *uadraginta et septem cubitus* longum observavimus, t museo pathologico *Ticinensi* commisimus. Jam quin- uaginta abhinc annis, *Rastadii*, noctis tempore, eptennem ad puerum, « quod intestina huic omnia x ano prolapsa, et cruri circumflexa » dicerentur, ccersiti fuimus; et, loco intestinorum, taeniam so- um, sponte exertam atque, ob magnam longitudi- em, huic membro pluries circumvolutam, detexi- nus. Nulli hic vermis aetati parcit, ac non minus terino in foetu, tam ab ipso *Hippocrate*, — quam

ab alio scriptore, *in sene octogenario* observatus fuit, femineo in sexu longe frequentior. Pro puero *Smyrnensi*, jam *sexto* aetatis suae anno a taenia correpto, consilium a nobis petitum fuit; juniores qui hoc verme laboraverint, nos ipsi non tractavimus.

Vermium, ex *Cysticorum* familia homini communium, consideratio nobis superest. « Corpus eorum depressum, vel teretiusculum, apice posteriore in vesiculam abiens helminthis singulis solitariam, vel pluribus communem. Caput bothriis (2 vel 4) aut osculis (4), uncinulorum corona, vel proboscidibus quatuor uncinatis instructum. Organa sexus in nullis haetenus conspicua ». Duo hic ordo genera, homini familiaria, *Cysticerci*, ac *Echinococci* illa, suppeditat.

Cysticerci genus. « Huic, vesica externa simplex continens helminthum solitarium, cujus corpus teretiusculum, vel depressum abiens in vesicam caudalem. Caput (taeniae armatae) osculis suctoriis quatuor rostelloque uncinato instructum ».

Quae ad hominem spectet, hujus generis species *Cysticercus cellulosae* est: nempe » C. capite tetragono, collo brevissimo, antrorsum inerescente, corpore cylindrico longiore, vesica caudali ellyptica transversa ». *Brems.* Tab. IV. Fig. 18 — 26. Idem hic vermis, sub nomine *finnae*, suem quoque domesticum aeque ac ferum, et primi ex istis, cerebrum omnesque partes musculares, vulgatissimus, occupat nec simias ille quasdam, nec adeo mures dedignatur. In homine, cystercus iste majores musculos praefert. Nonus vertebatur annus, quo celebris helminthologus, *Berolini*, singulis annis circa ducenta quinquaginta cadavera aperuerat; istorum autem quaterna aut quina quot annis *cysticercum cellulosae* plus minus copiose sibi obtulisse, conspexit. Utplurimum cadavera leucophlegmaticorum, neque tamen ascite vel anasarca laborantium, huic vermi obnoxia is vidit. Licet rarius, aliquando tamen in meningibus, in cerebro, inter gyros ejusdem, in plexu choroideo in substantia medullari, corpore striato, inque medulla oblongata iidem a pluribus detecti fuerunt. In

ominis, carcinomate defuncti, partibus vix non ombus cysticercum cellulosae, eximius *Goettingensium* rofessor detexit.

Sub hac *cysticerci cellulosae* et in homine frequen- , nostris tandem temporibus manifestata, suspicio ostra, *certa tubercula subcutanea*, jam in *Epheme-libus naturae curiosorum* (cent. V. A. VI.) a viro aro descripta, et a nobis quoque conspecta, a pasita simili exstructa esse, nemini injusta videbitur. *rumosae* quidem, seu scrophulosae naturae ejusmodi bercula dici, brevius atque commodius multis viebitur; ast vero, cum inter millenos, quos strumis scrophulis) laborantes observavimus, modo vigesies rciter subcutanea haecce tubercula, absque ullo orbi, ut vocant scrophulosi indicio comite, viderius, cumque nullam, haec ipsa in mortuis examiandi occasionem hucusque nacti simus; rei tantae gnitatis examen, helminthologorum sedulitati, cui nta jam debentur, commendamus. Sic *Mediolani*, ginti sex ante annos, virum nobilem, ecclesiae caedralis canonicum, quadragenarium, optime conitutum, viribus musculosis praepollentem, satis pinaem, nullisque hucusque, nisi infantilibus quondam, orbis subjectum, hoc solo cutis vitio laborasse viimus. Hic vir, a quindecim fere annis, sub cute niversa, excepta illa faciei, tubercula innumera, a si magnitudine, ad illam ovi columbini et ultro lscendentia, mollia, mobilia, indolentia, cutis imositae neque colorem, neque calorem permutantia, obis exhibuit. A medicis compluribus, pinguedo, in xtu celluloso indurata, pro causa hujus deformitatis cusata, et haec tam balneis tepidis, aquis ex alto labentibus, quam linimento volatili, unguento meriali, — interius vero, variis radicum lignorumque ecoctis, — sed omni sine successu, pertractata fuit. *etropoli*, eumdem, in omnibus, cutis habitum, in ro caeterum sanissimo, nec certe strumoso, conspemus. Aequalia cutaneae hujus affectionis exempla, nobis observata, hîc supprimimus.

Recentissimum *Gallorum*, scientiae medicae lexicon, equentes *Cysticercorum*, in homine repertorum, speies recenset: 1) *Cysticercum tenuicollem* Rudol-

phi, — 2) *Cysticercum cellulosae* ejusdem, — 3) *Cysticercum* Fischeri, — 4) *Cysticercum dicystum* Leaneci, — 5) *Cysticercum albo punctatum* Treutleri, — 6) *Cysticercum taeniam visceralem* Goetzii, — 7) *Cysticercum dytrachyceron* Sulzeri, — 8) *Cysticercum dytrachiceron* ejusdem, — 9) *Cysticercum Echinococcum hominis* Rudolphi, — 10) *Cysticercum Acephalocysten* Leaneci. — Cum interim, paucis istorum *Cysticorum* speciebus exceptis, caeterae rariore modo unius aut alterius hominis exemplo constent; de primis hîc tantum mentionem injici, sufficiet.

Characteres generici *cysticorum* vermium alteri membro, *Echinococco*, ab helminthologis adsignantur: « Vesica externa, simplex vel duplex, cujus superficiei internae insident entozoa plurima. arenulam mentientia, quorum corpus obovatum, caput (teniae armatae) uncinorum corona et osculis suctoriis instructum ».

Echinococcus hominis Rud., « corpus subglobosum vel obovatum, laeve; caput uncinulis coronatum; (?); vermiculi punctiformes, hydatidis superficiei internae insidentes ». *Brems.* Tab. IV. Fig. 27—32. In *hepate* quidem hominis hic vermis frequentius, — sed certe haud raro aliis quoque ejusdem in partibus, fere nullis earum exceptis, detectus fuit. Jam anno 1767, *Badenae*, in marchionatu, hydatides quamplurimas, subrotundas, fere ovi gallinacei magnitudine praeditas, ab omni intestinorum crassorum tractu pendentes, in eremitae cadavere vidimus quidem; sed penitioris cognitionis hujus objecti tunc adhuc jejuni, easdem, ut quidem decuisset, haud satis scite examinavimus. Viginti ante annos, hydatides copiosas, sed jam diruptas, ex tumente ac dolente admodum mulieris jecinore rejectas, *Vindobonae* observavimus. In diario medico *Londinensi* describitur casus feminae 30 annorum, quae ad regionem epigastricam, et ad hypochondrium dextrum intumescebat, atque dolebat. Cum pro *hepatitide* haberetur hoc mali genus: calomel cum gummi arabico porrectus, ac unguentum mercuriale loco dolenti inunctum fuit. Post decem dies, secuta est salivatio, et aegra tam insignem hydatidum (hydrae hydatulae Linn.) copiam

omitu rejecit: ut bina vasa urinalia iisdem replerit. Ex istis aliquae, pisi magnitudinem habebant. ic etiam multoties ad *plexus choroideos*, hydatides, e quibus jam (§. DCCXXXVII.) locuti sumus, deximus ac, inter istas, aliquas, nunc ovales, nunc otundas, vix apertis ventriculis cerebri lateralibus, x istis, cum nullibi defixae fuissent, vel sponte xcidisse vidimus. Simile quid, licet multo rarius, umanis in *uteris* atque *placentis* contingere, non minus sub *hydrometrae* descriptione (§. DCCXLIV.), nonuimus. A quo nempe haec adnotavimus (A. 1811.), terum, paucis abhinc annis, *Vindobonae* exemplum ujus naturae, jam §. DCCCXLVI. hujus operis reviter commemoratum, habuimus. Mulier nempe uinquagenaria, quae septem, vel octo a mensibus, e utero ferre putaverat, ob sanguinis ex isto jactuam conspicuam, praeter viri obstetricantis celebris, ostrum quoque consilium expetiit. Respiratio anhelosa, et aspera tussis hanc feminam, macilenti et nali habitus, cum febre notabili vexabant. Ventrem oluminosum, qualis hoc praegnationis tempore esse consuevit, paulô tamen largiorem, ac ubera sas tumida et quasi sororiantia, reperimus. Dolores nterim ad partum vix ulli animadvertebantur. Interogata, num prolis in utero motus perceperit? non rorsus hos illa, jam pluries mater, negavit; hos amen semper debiliores fuisse, confessa est. Instituta per vaginam exploratio, uterum, altius adhuc ositum ac, pro menstruae secretionis suspensione, t in aliis praegnantibus, satis expansum exhibuit. Hinc utero ferre hanc feminam, — sed quid hic suo n sinu foveret, adhuc incertum esse, prudenter eclaravit obstetricans. Post nycthemeri spatium interim, haec mulier, sub doloribus haud adeo atroibus, loco foetus, massas plures, informes, millenis x hydatidibus, tam exiguis, quam satis conspicuis, valibus, rotundis, constantes, evanescentibus tanem et febre et dyspnoea, utero expulsit. Plura secundinarum, ex hydatidum innumerarum, pedunulis suis instructarum, racemo constantium, qualem t *Goettingae* conservatum conspeximus, exempla, emper nihilominus rara, habentur. Nuptarum potis-

sime feminarum ex uteris, hydatides exclusae describuntur; cum interim istae, nec cerebro, nec hepati, lieni, nec renibus hucusque pepercerint; cur *uteris virgineis* tantummodo renunciarent, haud satis perspicimus. Sed plura circa uteros virgineos, maxime coelibem ad vitam condemnatos, adhucdum nos latent, quae longe frequentior, matrices feminarum explorandi occasio anatomicis offert. Has *molas uteri vesiculares*, ut vocant, a propria membrana involvi, magnus *Galliae* chirurgus animadvertit.

§. CMVI. *Symptomata. — S. generalia. — S. consensualia; — Ad caput; — Ad abdomen. — Helminthi effractores. — Ad corpus universum. — Specialia symptomata. — Symptomata tricocephali disparis. — Symptomata oxyuri vermicularis. — Symptomata ascaridis lumbricoidis. — Symptomata strongyli gigantis. — Symptomata hamulariae subcompressae. — Symptomata distomatis hepatici. — Symptomata polystomatis pinguicolae. — Symptomata bothriocephali lati, et taeniae latae. — Symptomata echinococci hominis.*

Difficultas haud exigua *retentiones helminthicas* ideo premit: quôd istae, quidquid medicorum pars plurima quondam praetenderit, certe haud omnes *pro morbis* declarandae sint. Haud pauca sane hominum, quos a vermibus enectos fuisse, sancte asseruerant, cadavera, sub sectione pathologica, et aliis, et nobis, istorum nequidem vestigium obtulerunt; alia, quorum sub vita, de vermibus nec a longe quidem suspicio fuit, post mortem, magna in copia istos obtulerunt. Saepenumero morborum, sub quibus vermes secesserant, causa longe fuit alia; nec etiam laudatissimorum usus anthelminthicorum protractus, ubi vermes sub eodem haud prodeunt, hos igitur parasitas deesse, securos nos reddit: cum demum, vix non medicae artis, per menses jam suspensae, in despectum, saepe hominem vel sponte deserant. Quare dum vir egregius, archiater *Hannoveranus*, nosterque, dum viveret, amicus, quam fallacia vermium symptomata sint, exemplis tam propriis, quam alienis docuisset; haec sane nulli medicorum, hoc nomine

lignorum, ignota fuerunt; et quamvis nos ipsi, de *ebre gastrica* agentes, *verminosae* quoque *febris* menionem injecerimus (§. CXX.); hunc tamen morbum, ermibus minus, quam vermes huic morbo, aliquanlo epidemico, adscribendum, et proinde *febris verninosae* denominationem, ex rationibus (§. CMVII.) eferendis, minus adaequatam esse, credimus.

Juvat interim, haec *experientiae* medicae veneranda documenta, cum artis ejusdem *theoria* conerri; haec inter se quam repugnent, non reticeri; ac demum rationes medendi, hujus ultimae incertituini, quoad licet, accommodari. Iliacos nempe inter muros et extra peccatum fuit. Pars scilicet medicoum vel maxima, *naturalis historiae*, si hominis illam excipias, diu ignari, tam in physiologia, quam in pathologia comparata, vel minime versati, sub tanta artis imperfectione, et sub multiplici causarum, quae morbos inducant, incertitudine, cum toties vermes, vel sub istis secedere, vel sub cadaverum sectionibus manifestari vidissent: his ipsis in parasitis, singularum vix non aegritudinum rationem se tandem detexisse, eo magis credebant: quôd commodior longe haec aetiologia, ab *anthelminthicorum*, quae certe et alia ratione in fibras nervosque humani corporis agunt, efficacia, haud raro confirmari videbatur. Accesserunt et fraudes innumerae hominum, qui varia tam insecta, quam alterius classis animalcula, vel stomacho, vel ano rejecta, morborum, quasi daemoniacorum, ut causam, credulis admodum illius temporis plerisque medicis venditare, haud erubescebant. Quo vero aevo, *historiae naturalis* aurora, Europae lucere incepit: scientiarum divinum hoc sidus, viam, ab illa astrorum diversam, insecutum, *Italiam* primum, deinde *Angliam* et *Galliam*, suo in ascensu, illustrans, helminthos, quos nequidem somniaverant antehac medici, tam diversorum animalium, quam hominis ipsius in visceribus, attonitis observatorum oculis obtulit. Indefessa tunc *Germanorum*, hac demum, jam clariore, a luce evigilatorum, sedulitas, novum, in republica animalium, vix non orbem detexit. Hos vero scientiae naturalis ad progressus, *microscopiorum*, incognitus veteribus, usus, ubique mi-

rifice contribuit. Mox autem, vel quod lux istorum, frequenter aequivoca, haud paucis imposuerit; — vel quod, aut animalium *mutorum* signa doloris, aut aliorum *querelas* haud intellexerint; vel quod helminthorum variorum, nisi alimenti, sibi necessarii, ab inopia, qualitate, a medicamentis homini propinatis, a morbis, et isti et sibi propriis, a positione corporis nimis limitata, irritatorum, haud raro satis *pacifica* sit indoles; — vel quod vermium genera plura, *armata*, alia vero, et quidem ea potissimum, quae hominem inhabitant, *inermia* esse, supposuerint; — vel demum, quod nullum animal, in alterius interitum creatum esse, pie affirmaverint (loquantur hîc mures, de felibus, — oves, de lupis, — ferae, de canibus, — aves inermes, de rapacibus, omne vix non animalium genus, de homine!); *helminthos, homini, nisi salutares, saltem prorsus innocuos*, ac morbos, eisdem adscriptos, solius ignorantiae medicae partum aut figmentum esse, decreverunt. Mediam igitur, et in istis, viam iniri, scrutatorum universae naturae, vel helminthologiae, nec tamen ideo in arte medendi versatorum, observationes pie venerari et, quae medicorum experientia subministrat, eorum absque praeconcepta opinione, rationem haberi, salutare et aequum esse censemus.

Oportet vero quibuscunque a vermibus minus quietis (pro locorum, quae occupant, conditione, dignitate, consensu, — pro aetatis sexusve aegrorum natura, — pro habitus aut sani, aut aliis eum affectionibus luctantis, qualitate, — pro ferculi assumpti, aut medicaminis propinati, vermibus aut indifferentis, aut contrarii, — pro vermium ipsorum libertate, positione onerosa, voracitate, inedia, valetudine, corruptione, — pro ambientis hominem atmosphaerae varietate, aut regnantis constitutionis imperio) mutationem in homine vivente aut nullam, aut paucam, aut vero majorem, a statu sanitatis plus minus alienam, produci: vel quod illi, per intestina inprimis *reptando*, motus istorum perversos, crispationes spasmodicas, volvulum, secretionem muci tenacis, facile corrumpendi, uberrimam, meteorismum subitaneum, aëriformis, faecalis incarcerationem materiae,

alvi profluvia, constipationes, dyspepsias, nauseas, vomitum, tormina, dolores colicos, a pastu saepe sinentes, ipsumque ileum promoveant; vel quod *pungendo, sugendo*; viscera nervorumque expansiones irritent, torqueant, humorum ad ea fluxum adaugeant, secretiones pervertant, intendant, partes vexatas inflamment, ad sanguinis ipsam jacturam lacessant ac saucient, quidquod subinde perforare videantur, ac ad cava, visceraque contigua, vel per abscessus, ad loca externa penetrent; vel quod, per *succi lymphatici detractionem*, corporis nutritionem pessumdent, parlesque necessarii distributione alimenti defraudent, ac famem insatiabilem, seu bulimum, cum animi deliquiis, cum corporis atrophia, inducant; vel quod *mole sua*, intestina, quidquod ipsos ductus excretorios hepatis, pancreatis, distrahant, obturent ac, in glomeres convoluti, in partes vicinas ponderent; vel quod mucum, copiosius circa illos collectum, excrementis suis ovulisque, vel et ipsi, corrupti, putrefacti, inquinent.

Atqui haec singula, vel ipsis modo partibus, a stimulo verminoso vexatis, molesta sunt; vel *consensu* istarum cum aliis, turbas longinquas producunt. De primis affectibus locuti jam sumus; partim infra dicemus. Symptomata ex *consensu* per vermes excitari solita, si omnia hîc recensendi foret animus; patientiam ea lectoris exhaurirent; hinc praecipua tantum ex illis enumerabimus, monendo tamen iterum: vermium, ad morbos inducendos, vim atque potestatem, non esse latius, quam par est, et quam medici haud pauci faciunt, extendendam. Sunt certe, qui ubique fere morborum, vermes odorentur; atque dum, multis retro annis, pro epileptico principe consilium quoque nostrum peteretur, senem illius medicum audivimus asserentem: « millenos, quoties nempe ille id vellet, vermiculos filiformes ab aegro expelli ». Cum indolem tantorum, in uno homine, vermium definire detrectasset; ut hos denuo ejiceret nobisque explorandos produceret, petiimus. *Oleum* igitur *ricini Americani*, aegro propinavit. Alvus exinde multoties laxata, et plura certe millia tenuissimarum quasi anguillularum albescentium, princeps excrevit. Insti-

tuto autem examine, suppositos vermiculos, praeter ipsum oleum ricini, in filos subtilissimos coactum, nihil fuisse, comperimus.

A symptomatis, quae vermes, intestinales praeprimis, ad *caput* saepe provocant, narrationis initium promendo, sequentia commemorabimus. Faciem tumidulam ac pallidam, vel et lividam, palpebram inferiorem, plumbei coloris semicirculo subductam, narium frequentem pruritum, tensionem, odoratus aliquando perversionem, abolitionem, stillicidium sanguinis, vel salivae nocturnum, super pulvinaria dormientis, effluxum, foetorem oris specificum, dentium stridores, maxime nocturnos, linguae sorditiem mucosam, aliquando balbutiem insolitam, aphoniam, alaliam, seu loquelae, vocis interceptionem, strabismum, oculos retractos, retortos, fixos, pupillae dilatationem, immobilitatem, subitaneam amaurosin, morositatem, pervicaciam inconsuetam, sub somno pavores, clamores, vigilantis animi timores, terrores, choream *s. Viti*, risum sardonicum, vertigines, deliria, soporem profundum. Aures, quod miramur, a vermibus raro satis affectas observavimus. De homine a vermibus detento, vir celebris nobisque amicus, refert: huic aegro, quin *ictero* unquam laborasset, et quin oculorum illius humores colorem normalem mutassent; singula hinc inde objecta, quasi *flavo colore tincta*, per horae quadrantem, apparuisse; hoc interim a phaenomeno, hunc virum, quo tempore vermes deposuisset, liberatum fuisse.

Ad *pectus* revocabimus: tussin frequentem, titillatoriam, siccam, interdum vix non ferinam, suspiria, qualia pueris a fletu, interrupta, anxietatem praecordiorum, dolores hinc inde punctorios, pleuritidem mentientes, lactis apud nutrices penuriam, singultum et alios diaphragmatis motus convulsivos; corporis peregrini, lente a ventriculo, per omnem oesophagum, adscendentis, sensum, ac ipsum subinde vermis ad nares, vel, ut et nos vidimus, per rimam glottidis introitum, et suffocationem abhinc subitaneam.

Quae in *abdomine* per vermes perpetrantur, ea quidem *idiopathica* dicenda sunt. Cum interim unam modo, aut alteram intestinorum ad plagam irritatio

ɔer illos contingat; per totum saepe eanalem alimen-
arem, ejusdem extendentur effectus: esuritio eonti-
ına, cum corporis tamen macie indies aucta; vel
tam appetitus ciborum omnimoda laesio, nausea,
omituritio, eardialgia, vomitus, ipsorum quandoque
ermium per illum rejectio; borborygmi, inflationes
ıbitaneae, tumores, graviditatem adeo in sexu se-
niore aliquando mentientes, frigoris in intestinis mo-
sti, — morsus, rosionis, inanitionis, palpitationis
ı eordis regione, lipothymiae, vibrantis, lancinantis,
ecellentis quasi eorporis peregrini, — reptationis,
ensatio, meteorismus loealis, universalis, ruetus, in-
stinorum intussusceptio, tormina, spasmi, dolores
olici, retraetio abdominis, tenesmus, haemorrhoidalia
ymptomata, medorrhoea ani, vaginae, vulvae, diar-
noea mucosa eum faeeibus nigris, foetidissimis, — exu-
arum verminalium, putridissimarum, artieulorum
othriceephali, taeniae solii, aut vermium plurium,
ıter se eohaerentium, eonvolutorum, exeretio, — alvi
ertinax obstruetio, menstruorum perturbatio, abor-
ıs, dysuria, urinae albescentis, turbidulae, inter-
eptio, intestinorum oppletio, inflammatio.
Quod si quis hune symptomatum diversissimorum
xereitum, ab intestinorum vermibus posse exeitari,
ubitaret; preeamur hune, ut paris nervorum vagi,
ervorum intereostalium, et plexuum nervosorum ab-
ominis, eorumque in omne eorporis systema influ-
um eonsideret! Cui nee ista quidem suffieiunt; ille
l *titillationis cutaneae*, per joeum adeo suseeptae,
ffectus, risum sardonium, seilieet, eonvulsiones mul-
plices, aliquando etiam lethales, eonvertat oculos!
Intestinorum, a vermibus, in homine *perforationem*
egaruut, praeter eelebrem *Italiae* medieum, in libro, jam
nno 1741 *Taurini*, « de naturali in humano corpore vi-
osa morbosaque generatione » edito, graves helmintho-
gi; atque fatemur: a nobis ipsis, quamvis, sub artis me-
cae per quinquaginta et quatuor annos continuato
ereitio, plura cadaverum humanorum millia anatomi-
perlustraverimus, nullam intestinorum perforationem,
ıae vermibus prudenter adseribi potuisset, eonspectam
isse. Est quidem, ubi ex laesione, inflammatione
testinorum, maxime herniarum occasione incaree-

ratorum, eorumdem suppuratio, aut ulcus sequatur, atque contentis in hocce canali aut saburris, aut vermibus, per hanc continui laesionem, in cavum abdominis, aut ad inguina, ab umbilicum, via patuerit; sed a vermibus hanc viam, praevia rosione, apertam fuisse, majore indagine indiguisset, ac in plerisque scriptorum, de perforatione intestinorum ab helminthis homini propriis, peracta, exemplis, adhibita fuisse videtur. Sic juvenis quindecim annorum, habitum corporis laudabilem offerens, mense maji 1788, ad nosocomium *Florentinum, s. Mariae novae* dictum, venit. Hujus aegri morbum, sub primo ejus ingressu, quod morosissimus fuerit: expiscari, haud bene licuit; hoc solum innotuit; frequentibus eumdem *epilepsiae* insultibus vexari. In facie aegri, stupidi quid, pulsus interim normales, observabantur: ita ut nullum symptoma morbi urgere videretur. Valerianae sylvestris infusum praescribitur; sed eadem jam die misellus, a convulsionibus ac risu sardonio correptus, paucas inter horas, mortem subivit. Secto cadavere, *diaphragma* comparuit gangraena affectum; ventriculus a statu normali parum recessit; infra septum vero transversum, *oesophagus perforatus* apparuit, et ejusdem ex foramine, quinque ascarides lumbricoides, abdominale in cavum prorepserant; eorum vere unus, *diaphragma penetraverat*, ac retro pulmones, in parte pectoris posteriore, degebat. In ipsis intestinis, vermes detecti non fuerunt. *Diaphragmitidem*, vicini oesophagi inflammationi conjunctam, hunc apud aegrum, in gangraenam fuisse conversam; hanc ultimam autem, vermibus, tam in abdominis, quam in pectoris cava, vias pandisse, verisimile est. Ad pulsus, sani quasi, sed post horas morituri, hominis, quod spectat: hos, ante obitum, eorum, quos gangraena posthinc occidit, pluries nos ipsi observavimus. Num vero, hoc in casu, vermes *epilepsiae* in culpa fuerint? ex imperfecta morbi historia erui non potuit. Etsi vero quamplurimae, perforationum a vermibus inductarum, relationes exceptionem patiantur; non tamen ideo, quod nec helminthologis quibusdam claris, nec nobis, similia videre contigerit, singulas *medicorum*, non minus fide dignorum et perspicacium, observationes

flocci faciendas, atque pro *fabulis pathologicis* declarandas esse, credimus. Ae primo quidem, helminthos, quos *armatos* appellant, perforandis aliorum animalium visceribus pares esse, quotidiana experientia docuit. «Hanc vero perforationem, *lentissime ac nonnisi tenuissimis uncinis, quin ulla inflammatio subsequatur, absolvi* », haec certe observatoris in sensus haud cadunt, et argumento modo hypothetico locum concedunt. Secundô, perforationem partis sensibilis *lentiorem*, majores, quam *celeriorem*, dolores inferre, nemo est, qui negaverit. Atqui de his ipsis animalium, a vermibus perfossorum, torminibus, plerumque nulla observatoribus esse potuit notitia; et quoties illi, inflictis, jam pluribus, a diebus intestino vulneribus, istorum confinia perlustrant: toties, si nulla inflammationis vestigia in illis distinguant; non est, cur talia antehac neutiquam substiterint. Quod si autem, tertiô, vermis proboscide sua et capite, vel omnis, per intestinum penetraverit: instituto mature satis ac mox ubi se vermis in abdominis cavum praecipitaverit, examine: qua porta is cavum hocce ingressus sit, *microscopio* haud opus esse videbitur. Tenuissimum sit, quod vermis modo *unicus* intestino induxerit, vulnusculum! sed quid, si plures ex his parasitis, sibi propiores, intestinum, eodem vix non loco, sauciaverint? Non solis, quartô, ab *armis*, ut vocant, quae certis a natura vermibus concessa sunt, sed a sola etiam, violenta satis, *suctione*, quam omnes tam saepe exercent, intestina laedi: sanguinis, post crudelia a vermibus tormina, ex illis per alvum, puerilem maxime, excretio, abunde manifestat. Vel sola cutis humanae, intestinis longe durioris, diuturna et satis vegeta *suctio*, cruorem ex illa demum prolicit; neque si venarum intestinalium parietes sauciare helminthi queant: quin iidem, tenues quoque hujus canalis tunicas eodem modo afficiant, aliquid obstat. *Ascarides* adeo *lumbricoides*, quos (scilicet mox ab humani corporis refrigeratione *rigidos*) nemo *intestinis adfixos* observavit, quintô, tam *inermes* non esse: puncta quasi cornea ostendunt, quibus tres prominentiae, illorum oribus, non sine ratione circumpositae, instructae sunt, et quae invicem junctae, instrumentum

satis acutum ac durum, perforandis intestinorum parietibus idoneum, efformant. Sextô vero, sola insectorum, vermium, quidquod partium animalis cujusvis majorum, *sub statu relaxationis, mollities*, dijudicandas ad vires, quas illi (ut musculis, peni virili) natura, sub influxu voluntatis, vel stimuli sibi proprii, ad rigescendum, ad effringenda corpora, iisdem aliâs longe duriora, indulserit, certe haud sufficit. Destructae, per insecta et vermes, naves bellicae vel maximae, et argines, provinciarum ad interitum perfossi, loquantur!

Non igitur semper, ubi humani abdominis in cavo ascarides, intestinis elapsi, — simul vero ulcuscula istorum sphacelosa, reperta fuerunt: putredinis haec et gangraenae, magis, quam vermium effectui, absque illorum, quae praecesserunt, scrupulosa indagine, tribuenda sunt: donec scilicet perforantium intestina vermium culpa moriatur animal, generandae tempus gangraenae sufficiens isti conceditur. Non obsumus certe, quin vermium, ex intestinis, sub enteritide tandem funesta, vel sub hernia quacunque incerceratis, inflammatis, atque gangraena correptis, egressus, huic ultimae, soli, attribuatur; sed perforationem intestinorum, vesicae. a vermibus, etiamsi, ut creditur, inermibus, aut longiorem per moram (quod apud homines rarius, quam apud pisces ac certis in animalibus succedit) alimento opportuno privatis, aut alia ratione commotis, contra *medicorum*, quorum tamen haud pauci, *historiae naturalis* incrementum promoverunt, observationem negari: hoc, saltem nobis, haud satis justum esse videretur.

Per omnem vero corporis compagem haud raro a vermibus oriri observantur tum febrilia subinde symptomata, tum miri motus spasmodici, convulsivi, epileptici, chorea *s. Viti*, frigoris sensus, tremores, dolores quasi rheumatici, sed breves plerumque, celeriter divagantes, ad articulos, ad musculos, acutissimi. Praeter haec, a copia vel extensione helminthorum majore, et motus intestinorum peristalticus invertitur, interrumpitur, et chyli pars maxima consumitur: quo ex fonte tam bulimus aegrorum, quam aucta indies eorum, sub tumido licet ventre, macies, debilitas, ac tabes verminosa, derivanda sunt.

Atque haec ad *generalem* de vermium symptomatis imaginem potissime spectant. Dolendum vero est vel maxime, quod *speciale*, atque cuivis vermium humanorum familiae proprium diagnosticon, pro magna sui parte, in occultis adhue lateat, eo magis certe optandum: quod non omnis helminthorum ordo, genus omne, aut quaevis species, vel iisdem legibus regatur, vel eamdem medendi per methodum impugnari feliciter queat. Cum autem specialia helminthorum symptomata hîc loci breviter exponenda assumimus; nemo a nobis, ut et illorum, qui passim in Europa rarissimi sunt; — vel qui modo fortuito post mortem aegrorum, sub cadaverum sectionibus detecti fuerunt, effectus morbosos, nec ab aliis, nec a nobis unquam aut satis observatos, describamus praetendet. Hinc neque *filariae medinensis*, de qua jam (§. CCCLXXIII.) egimus, symptomata, ab aliis adnotata, hîc repetere, neque *strongyli gigantis*, neque *hamulariae subcompressae*, neque *polystomatis pinguicolae*, neque *cysticerci visceralis*, nec, tandem, *specierum* vermium adhuc *dubiarum* effectus, utpote necdum satis cognitos, hîc exponere contendimus, sed posterorum industriae eosdem describendos relinquimus.

Tricocephali disparis symptomata, etsi suum hic vermis agendi modum specificum habere debeat; nobis tamen ipsis hucusque prorsus incognita sunt. In *morbo*, ut vocarunt, *mucoso Goettingae*, anno 1760, *Gallorum* in exercitu, epidemico et a nobis (§§. CI. CIII.) descripto, hic vermis pluries comparuit; sed ipsa haec muci copiosior secretio, *febris pituitosae*, tunc dominantis, adynamicae, effectus, ac istis helminthis consocia fuisse videtur.

Molestissimum, ac saepe intolerabilem *pruritum oxyurus vermicularis*, circa finem intestini recti, maxime in aetate tenera et sensibiliore, ad vesperas noctisve ad tempus, apud multos, majorem, producit. Aliquando gelidae, guttatim in rectum intestinum delabentis, sensatio accedit. Illi vero prurituí, dolor aliquando subitaneus, pungens, sed brevis, atque tenesmus, iisdem in locis, aut etiam ad vesicam, ad pedum adeo manuumque ad digitos, ad pectus, se adsociat. Non igitur mirabimur, his fere perpetuis a

stimulis, affluxum cruoris ad dictum intestinum uberiorem, vasorum haemorrhoidalium turgorem, tensionem, dolores, tenesmum, ani medorrhoeam (§. DXXX.), ac ipsum adeo, licet rarius, intestini recti, apud pueros, prolapsum oriri, alvumque nunc obstrui, nunc vero, quibusdam in subjectis, laxari. Quae de oxyuri vermicularis, in feminarum genitalia, tam externa, quam interna, effectu (§. CMV.) jam retulimus: ea hîc loci non repetenda sunt. Pro femina juvene, delicatula, venae portae affectionibus, ac ter jam ictero subjecta, a tribus vero annis permolesto ad intestinum rectum pruritu correpta, consilium nostrum, extraneo a medico, septemdecim abhinc annis, petitum fuit. « Augebatur ad vesperas, a media vero nocte evanescebat *periodice* hicce pruritus. Cum ab haemorrhoidibus iste, in gravida tunc femina, venire censeretur; unguenta, enemata, eccoprotica, et balnea, — sed omnia incassum, praescripta fuerunt. Potissimum solatium, clysteres oleosi afferre solebant. Partus instantis nunc signa se manifestarunt; atque tam sub istis, quam post partum, ac novem per dies, quos in lectulo transegit puerpera, pruritus nequaquam redivit. Advertit vero aegra: quod hic pruritus, quotiescumque vel cephalaea, vel aliud mali genus sibi accideret: toties in integrum evanesceret. Duos nunc per annos infenso hoc pruritu, modo descripto, vexata, *aquas* aegra *carolinas* petiit, easque tam ore, quam balnei sub forma, adhibuit. Non minus sub itinere ad *carolinas*, quam istarum sub usu, a pruritu libera mansit femina; vix autem duobus a mensibus hoc malum cessaverat: cum illud de novo, ac violentius accesserit. Praeter enema oleosum, hirudines nunc ad anum positae fuerunt. De vermibus jam pridem suspicionem aluerat medicus; cum vero anthelminthicorum sub usu, *ascarides lumbricoides*, quos forsitan ille subesse crediderat, nulli secessissent; omnis de vermibus suspicio deposita jam fuerat, dum, praeter omnem expectationem, super faecibus ejectis, *oxyuri vermiculares* in conspectum venerunt. Ad hos impugnandos, horis matutinis, clysteres ex allio, ad vesperas alii ex oleo, ac tandem, ob symptomata spastica, ex opii pauxillo, haud sine aegrae levamine,

praescripti fuerunt. Clyster oleosus, pruritum quidem ani praesentem sedare, — sed futurum nec arcere, nec breviorem reddere poterat. Ad alium igitur, ex infuso seminum cinae lacteo, aegra confugit; sed nec iste pruritum imminuit. Alterius experti medici consilio, nunc, praeter clysteres oleosos, pulvis quoque interne adhibendus, ex calomelas grano, seminum artemisiae judaicae, et florum sulphuris aa. granis XV, alternis vesperis sumendus, praescriptus fuit. Ab assumptis per aliquot dies his pulveribus, immensa quidem copia vermiculorum dictae indolis, sub aegrae levamine, per anum expulsa fuit; sed continuatis pulveribus, substituta licet floribus sulphuris radice jalappae; pruritus, pristino haud mitior, in ano recrudluit, ac modo duo oxyuri vermiculares excreti fuerunt. Solutio nunc aloëtica — effectu tamen, illo clysteris oleosi, haud majore, per anum injecta fuit. « Difficultatis in expellendis his vermiculis haud ignari, clysteres ex frigida, et aceti, ex vino parati, parte tertia, aliquoties per diem injici, — oleum ricini americani interius porrigi, consuluimus. Quod si nec ab istis impetraretur auxilium; ad enemata ex frigida cum salis culinaris portione, ac tandem ex fumo nicotianae tabaci, confugiendum esse, respondimus. Consiliorum interim medicorum, ad magnas distantias aegris porrectorum, sorte nimis frequente, de remediorum a nobis propositorum effectu, plures per annos nec quidquam rescivimus; donec ab aegra, alio tunc morbo detenta, quam felix et quam constans eventus, enemata ex gelida cum aceto porrecta, coronaverit, facti intelleximus.

De *ascaride lumbricoide* retinendum est: frequentissimum hunc vermem, puerorum, feminarum intestinis *jejuno* et *coeco*, prae aliis, delectari; sed tamen, ut supra monuimus, haud raro alinc, superiora, inferiora versus, nec ventriculi dignitate, nec pylori angustia obstantibus, eum migrare. In ventriculo, nauseas, cardialgiam, vomitum, sub quo vel ipse excutiatur, excitare; ad oesophagum, et in oris adeo, et narium cava ascendere, quidquod in tracheam quasi inspirari; per ductus pancreatis hepatisque, sub magnis aegrorum angustiis ac, ut casus docuit, sub hy-

drophobiae spontaneae symptomate. aberrare; in tenuibus intestinis, circa umbilicum maxime, motus subsultorios, dolores ac tormina, tum hîc, tum alibi intestinorum, crudelia generare; intestina, tum libera, tum saccis herniosis inclusa, subinde, vel ob longas inedias, vel quôd incarceratum se persentiat, vel demum, quôd via, per suppurationem intestini aperta sit, locis adeo pluribus perforare, ac in abdominis, aut pelvis in cava decidere, vel adeo ad viscus vicinum, quod de vesica urinali notum est, vel per inguinis, vel per umbilici abscessus penetrare; morbos saepe alios, tam acutos, quam chronicos mentiri. Famis in juvene insatiabilis, seu *bulimi*, exemplum in Ephemeridibus N. C. occurrit. « Nisi fere continuô quid ederet hic juvenis; in animi deliquium incidit. Variis remediis, per quadriennium frustra adhibitis, tandem superveniente ab asthmate suffocabatur. Aperto cadavere, in ventriculo insignis vermium conglomeratorum congeries inveniebatur, et duae, in inferiore orificio, glandulae, ad moschatae fere nucis magnitudinem accedentes, et vermibus, figurae colorisque varii, repletae ». Quodnam helminthorum ad genus hi vermes pertinuerint, id quidem haud satis elucet; sed hisce ab hospitibus parasiticis, vel copiosiores, vel majores ii fuerint, haud raro *bulimus* exortus est; ac talem, nisi cibis aegra indulgeret, ad *lipothymiam* usque procedentem, a *taenia*, duodecim cubitorum longitudinem excedente, ac *hierae* usu abacta, inductum, jam peritus *Graeciae* medicus descripsit. « Mulier vigintisex annorum, ut refert vir clarus, posteaquam circa pudenda dolorem toleraverat summum, cum urina saniosa, hinc purulenta, excrevit vermem, spithamae longitudinis, externa facie similem omnino iis, quos per os et alvum quotidie excerni notamus, *teretes* vocatos. Coloris erat flavescentis; ubi primò excernebatur, vita adhuc gaudens ». Virum a typho cum risu sardonio, cum ventris summa tensione, inflammatione, sensibilitate, cum singultu, cum petechiis numerosis, ac tandem sub delirio effreni et continuo defuncti, cadaver *Ticini* secuimus: in quo diaphragma perfecte insons, sed intestina singula, a pyloro ad anum, tum faecibus, tum trecentis et ultra

vermibus dictae indolis, farciminis ad instar, repleta fuerunt. Feminae *Bruchsaliensi*, per tres jam hebdomadas a gravi dysenteria detentae, ac perpetuo singultu jam a triduo correptae, adstitimus, gangraenam potius, quam vermes, ut causam singultus, ex eo, quod fluxui dysenterico tam gravi ac longo, vix unquam vermes resistant, supposuimus. Haec interim mulier, morti, ut videbatur, proxima, tres vix ascarides lumbricoides per vomitum spontaneum rejecerat: cum omnis singultus, — ac paucos post dies, morbus ipse primarius, cessaverint. Sub ipsis autem mentis aberrationibus subitaneis, si causae aliae, majores, non subsint; de vermibus cogitandum esse, virginis *Rastadiensis* exemplo, decem abhinc lustris jam didicimus. Haec scilicet juvencula, septemdecim annorum, placido a somno expergefacta, prae urgente terrore, sine data causa cognita, contremiscere, aliorum auxilium implorare, ac parentibus, pridie tam caris, nunc autem vix notis, abhorrere, nutricis tandem inter brachia confugere, tremula et pallida incepit. Nullam nos ipsi, horis matutinis accersiti, tanti rationem delirii, nisi quod, praegressis torminibus, ascarides aliquot lumbricoides non ita pridem deposuisset, deteximus. Hanc igitur indicationem, tam felici sub omine arripuimus, ut expulsis octoginta circiter ex his vermibus, plena mentis integritas virgini rediverit. Non minus digna, quae hîc referatur, pueri decennis historia est: qui scilicet puer, mediis in plateis, ab utriusque oculi coecitate correptus, ad clinicum Institutum *Goettingense*, cui tunc (a. 1784) praefuimus, se duci curavit. Strumosum (scrophulosum) esse hunc puerum, facile agnovimus; sed tam subitaneae causam amaurosis, non in habitu strumoso, sed potius in vermibus, de quibus hîc loquimur, jam antehac excretis, quaerentes, anthelminthica praescripsimus, et horum ope, et vermes copiosos expulimus, et paucorum dierum spatio, sub hac sola medendi ratione, amaurosin perfecte sanavimus.

Strongyli gigantis rarissima humanis in renibus aut vesica observatio, quin propria huic vermi, in illis modo post mortem detecto, *symptomata* aliter, quam hariolando assignemus, nos impedit. Quibusdam qui-

dem in canibus, rerum substantiam hoc a strongylo erosam, consumptam fuisse, referunt; sed idem destructionis hoc vitium, ex causis longe aliis induetum, humanis in renibus, haud raro, interdum vero quin ejusdem, sub vita, nata fuisset suscipio, a morte repertum fuit. Tam renes, quam urinalis vesica canis, qui nobis, hos vermes observandi occasionem *Ticini* obtulit, integritate normali fruebantur.

Jam longo a tempore suspicionem aluimus, quibusdam saltem in casibus, *phthisin pulmonum tuberculosam*, causae viventi, i. e., vermiculis, deberi. Quamvis autem *hamularia subcompressa Rud.*, seu *hamularia lymphatica Treutleri*, in glandulis juvenis, venere exhausti et phthisici, bronchialibus, nec minus in vasis earumdem lymphaticis semel hoc a scriptore, nec hucusque ab alio, reperta fuerit; — licet vermes diversae speciei sat numerosos in pulmonibus ranarum, bufonum, piscium. ac vituli repertos esse sciamus; — etsi *tubercula scirrhosa*, in eanum oesophago et arteria magna obvia, vermieulis repleta, summus quondam anatomicus *Patavinus* descripserit, et similibus aliorum scriptorum comparaverit; — quamvis ad ipsum canis ventriculum, ejusmodi *tumores verminosi* ac duri, familiares sint, atque tam in isto animali, quam in equis, *aneurysmata tubercolosa*, quae strongylos fovebant, fuerint reperti; longe tamen abest, quin similem mox hypothesin, firmioribus nempe argumentis destituti, audeamus amplecti. Tussim eerte siecam, dolores pectoris internos, ac respirationis diffieultatem, nec non plura systematis lymphatici incommoda, producat *hamularia* oportet, cum eausae atque effeetus morborum ex ipsa experientia magis, quam a solo, in rebus medicis tam periculoso, ratioeinio, eruenda sint; novi vermis, aut fors diversorum in pulmonibus symptomata, aliorum industriae lubenter describenda committimus.

Etiamsi *distomatum hepaticorum*, in cadaveribus hominum repertorum, exempla quaedam aliorum adduxerimus (§. CMV.); cum tamen has observationes de helmintho, inter homines rariore, ex propriis augere nequeamus; et cum illi ipsi, quibus hunc vermem, funesto aliorum morborum sub fine, detegendi

sors contigit, *specifica* illius symptomata haud adnotaverint; praeter signa, quae *distoma hepaticum* produnt, ex sola ratione, quae toties medicis imposuit, petita, nulla possemus hîc tradere. Quamvis autem morbosa jam antehac visceris substantia, *distomati hepatico* attribui nequiret: plura tamen vel boum, vel ovium jecinora, his a vermibus obsessa, et partim exesa, partim fere lapidea, partim vero canaliculis, trium quatuorve linearum diametri, osseis instructa, insolitae hujus devastationis auctores, tam alta, quam justa voce accusant.

Nec certe segetem therapia ditiorem, ex unica *polystomatis pinguicolae*, in femina humana fortuitô repertae, observatione (§. CMV.), hucusque colligere potuit. Nec minus *distomatis hepatici* in homine symptomata, si illa, quae (§. CMV.), in puellae octennis, *Mediolani* defunctae, historia breviter descripsimus, excipias, nos latent.

Lux quidquam clarior, sed debilis admodum et pallida, in *botriocephali lati*, seu taeniae latae, ac taeniae solii symptomatis exponendis, nobis affulget. Quod si vero, quae utrisque his *cestoideorum* generibus proprii et specifici effectus sint? a nobis expetatur; nisi eorumdem articuli, prius ab aegris excreti, nos instruant; praeter flebile ignorantiae in rebus abditis privilegium, nihil omnino, quod nobis ipsis satisfaciat, respondendum habemus. Ex rationibus helminthologicis forsitan minus gravibus, quam ex illis therapiae, quod nempe recentiorum *bothriocephalus*, remediis, quibus *taenia solium* sat saepe expellitur, pertinacius resistere visus est; tam genus, quam nomen, vermi utrique diu communia, nostris tandem temporibus distingui merebantur. Caeterum, quousque symptomatum, vel a *bothriocephalo lato*, vel a taenia, quam *solium* appellant, excitatorum historiae, tam alienae, quam propriae, sese extendunt, fatemur: nullum his e signis nobis esse cognitum, quod uni ex his vermibus magis, quam alteri, specifice esset proprium. Ac primô quidem, quod helminthi etiam alii solent, ut haud raro nullum omnino homini suae praesentiae vestigium imprimant: hoc et utrisque, de quibus hîc agitur, vermibus, laudis tri-

buendum est. Sic vir, in artis musicae regulis admodum peritus, a. 1699, *Vindobonae* nos consuluit: qui vir, licet *taeniae solii* articulos frequenter excreverit; excepta tamen obnubilatione capitis, satis inconstante, quae musicae studio intenso eadem ratione attribui potuerat, de nullo salutis incommodo alio unquam conquestus est; nec similia huic exempla tam rara dicenda sunt. A longiore inedia, vel ciborum, potus frigidioris, medicaminum his parasitis molestorum, ab usu, vel a corporis positione eisdem onerosa, vel istius, aut forsitan vermis ipsius a morbis, defatigatur interdum hospitis, aliâs pacifici, patientia, et varia tunc temporis, ad ventriculi regionem excitantur incommoda. Sic femina princeps, *Petropolitana*, *bothriocephalo lato*, per quinque jam annos in ejus intestina dominante, a nobis liberata (§. CMV.), si ingratam, in regione epigastrica, sensationem, ad noctem, nisi affatim fructus horaeos ingurgitasset, continuô adauctam, et inevitabiles insomnias, cum alvo plerumque pultacea atque subliquida (his a fructibus magis, quam a verme derivanda) excipias, de nullis conquesta est salutis molestiis. Apud alios, hi vermes, quod et ascarides lumbricoides, in glomerem convoluti, faciunt, ponderis, una abdominis parte, vel altera haerentis, aut globi, in abdomine sese volutantis, sensationem inducunt. Quod vero, secundô, helminthis pluribus proprium est, scilicet ut ex ventre, longinquas saepe in partes symptomatice agant: hoc et vermibus, de quibus hîc sermo habetur, nisi quod observatoris admirationem aliquando adhuc magis istorum actio moveat, commune est. Sic vir quadragenarius, constitutionis vel optimae, ob *foetorem ad nares*, licet adspectu sanissimas, sibi intolerabilem, nec tamen aliis, aut nobis vel minime sensibilem, *Bruchsaliae* nos quondam consuluit. Sub attento insoliti hujus phaenomeni examine, nullam omnino istius causam deteximus, nisi quod hic aeger, *taeniae solii* articulos viventes, et qui, alvo prope muros deposita, duos fere ad pedes altitudinis super istis adscenderint, frequenter excreverit. Hanc igitur forsitan foetoris illius in originem hîc agendum esse ducentes, adversa huic vermi re-

ıedia, sub tam felici effectu praescripsimus: ut xpulsa in integrum hac taenia, foctoris in naribus ensatio illico disparuerit. De illustris quondam *Sueiae* archiatri, atque « de morbis infantum » egregii ıo tempore scriptoris, relatione, quamvis alio a viro *Goettingensium* celebri confirmata, hominum scilicet uorundam, ob vermes, sub quovis *concentu musico*, nox ab anxietate ac timore, nisi hunc fugerent, graatim augendis, prehensorum, dubitari posse, non nodo credidimus; sed alios quoque haesitare docuinus: donec in *Ticinensi* clinices Instituto, coram nunerosis ejusdem alumnis, sanissimus caeterum atque obustus agricola, ob summas angustias et maximos rtuum tremores, quibus ille, sub officii divini celeiratione, *organi sonos*, maxime profundiores, aubus perciperet: toties, — nec alia quaecunque ocasione, confestim concuteretur, nos tandem consuierit. Tunc enim, adhibito omni causarum hujus nirae affectionis indagine, hunc virum cucurbitinos *aeniae solii* articulos pluries ano rejecisse, audivimus, t, hunc ad scopum, necessaria (quin tamen de torum effectu posthine aliquid rescire nobis contigeıt) praescripsimus. Simile fere exemplum, in diario *Galliae* medico anni 1812, a viro claro adnotatum ıit. Helminthi, tertiô, plures, pro sua mollitie, claticitate, aut se contrahendi potentia conspicua praeıti sunt; his autem *bothriocephalus latus* non minus, c *taenia solium*, praecipue gaudet: ita ut, si forsian pars istorum vermium, vel sponte, vel per arem expulsa, ab ano propenderit; hac parte, aut filo gata, aut abrupta, pars reliqua vermis, vel intestiis arcte infixa, vel convoluta in glomerem, ab ano e retrahat, ac superiorem intestini ad tubum refuiat. Sic illustris, de qua vix locuti sumus, femina *Rossica*, multis jam ad expellendum *bothriocephalum atum* auxiliis usa, sicut vel sponte (bis circiter in nense) vermis portionem conspicuam evacuare soıerat: ita, drasticorum effectu, aliam, majorem, ex ntestino exire coëgit; sed licet aegra, sub exitu ilıus, octodecim per horas, sub diro intestinorum ruciatu, sellae perforatae insedisset, vermemque tanem filo ligari curasset; ille tamen, diruptus, hanc

viam ultro inire pertinaciter recusavit, ac ad loca superna se ipsum, invictum, retraxit.

Quo vero hîc exposita *taeniae solii* symptomata, exemplis, notatu dignis, illustremus; eorum aliqua, ex Instituti clinici *Vindobonensis* diariis desumpta, jam allatis, circumscripta, superaddimus.

I. Virgo annorum octodecim, vitam agens sedentariam, laxique habitus, dum, mense Julii anni 1795, prima pateretur menstrua, varios *taeniae solii* articulos, solitarios, et cohaerentes, excrevit. Hoc ipso tempore haec virgo afficitur interdum lipothymia, palpitatione cordis, cardialgia, inprimis a jentaculo, et a cibo quocunque ingesto. Affluit eodem tempore major salivae copia, caeterum, ut refert, semper sanissima, nec aliis symptomatis exposita vixit. Nec etenim unquam pruritum, vel ad nares, vel ad anum, nec animam foetidam, nec tussim siccam, nec spasmos, nec dolores colicos, nec sensum ponderis, in abdomine se volutantis, observavit; nec pupilla dilatata, vel coerulescens semicirculus ad palpebram comparuit. Deponit autem, sine ulla vellicatione aut majore conamine, frustula et catenas integras taeniae, quae etiam *sponte*, sub *deambulatione, ano excidunt.* Menstrua haud nisi semel comparuerunt. Die 15. Januarii a 1796, Instituto clinico recepta fuit puella. Pulverem radicis filicis, ac oleum ricini americani ea jam assumpserat. A solo jam pulvere filicis, taeniae articulos deposuit. Die 18, leves dolores colici; loco istorum, ad noctem, faucium dolor. Asserit aegra, se nono quovis die, taeniae articulos deponere. Stannum anglicanum, cum extracto amaro et radicis jalappae pulvere praescribitur. Dolor faucium, absque ulla istarum rubedine, molestus. Die 22., sub magnis torminibus, secedunt aliquot taeniae articuli. Ad vesperas, sensatio, ac si vermis in ventre se volutaret ac alvo exire moliretur. Dolor dentium cariosorum. Die 24, taeniam solii excrevit, quatuor cum dimidia ulnarum *Vindobonensium*, sub alvo haud liquida. Phaenomenon aegra, sub vermis excretione, peculiare haud animadvertit, sed inscia eumdem deposuit. Pars vermis excreti, tenuissima quidem, sed absque capite rejecta. Die 25., iterum *taeniae arti-*

li, sed *livescentes*, excreti fuerunt. Cum singula lminthi symptomata siluissent; ab usu remediorum stitimus, ac aegrae demissae, quidquam chloroti-, chalybem praescripsimus.

II. Ancilla coelebs, quadraginta septem annorum aeta- hernia inguinali laborans, secunda valetudine gau- bat, donec ante annum, sequentia pati coeperit: nau- m, ructus acidos, subinde ova putrida redolentes, vo- uritiones, vomitum viridescentis materiae, interdum lentum, famem adauctam, jejuni ventriculi dolo-, — sub celeri corporis versione, interdum globi, uno latere in oppositum delabentis, sensationem, rborygmos, oculorum caliginem, dilatationem pu- arum, *memoriae debilitatem*, lipothymias, vires suum omnium fractas, interdum dolores ad lum- um regionem, subinde palpitationes cordis, con- siones spasmodicas, somnolentiam, moestitiam, rositatem. Ab usu cremoris tartari, secesserunt *arides lumbricoides*, una cum aliquot *taeniae solii* culis. In clinicum *Vindobonense* Institutum a. 1797 umpta, sub usu stanni granulati, taeniae solii por- nem, octo circiter ulnarum, excrevit. Remediis iis porrectis, de nihilo conquesta, nec vermis ullo nptomate affecta, ob debilitatem, ulterioribus non, recessit.

III. Famulam, vigintiquinque annorum vitae, in clini- n Institutum Vindobonense, a. 1802 suscepimus. ee, caeterum sana vegetaque puella, duos ante annos, mina ventris persensit; secesserunt aliquae *taeniae i* portiones. Ingratus nunc foetor et pruritus na- m, ciborum desiderium nonnunquam ingens, aliâs rexia, anxietas, dyspnoea, et ponderis in ventre ceptio. Sub conversione corporis ex uno latere in d, globi, ex illo, in istud se praecipitantis, sen- o; aliquando alvi profluvium mucosum; pupillae tatae, semicirculus inferioribus sub palpebris coe- sceens. — A taenia solii, longitudine sex ulnas su- ante, cum extremitate tenuissima, decem post dies reta, singula, quae hucusque persenserat, taeniae ptomata disparuerunt.

IV. Pilorum opifex, sexdecim annos numerans, com- is corporis gracilis, cum ante annum, ob ventris do-

lores diuturnos, medicinam, quae alvum purgaret, assumpsisset; binis vicibus *taeniae solii* portionem, ulnae longitudinis, per alvum, sub levamine symptomatum, rejecit. Post duos interim menses, recruduerunt haec salutis incommoda, et alia illis accesserunt: dolor interdum ad frontem, ut vocant, gravativus, visus tenebricosus, amaurosis momentanea, haemorrhagiae narium, nullus istarum pruritus, sed foetor oris, sensus aurae frigidae ex ventriculo ascendentis, et in auribus, tinnientibus, terminandus, cardialgia, jejuno stomacho vehementior, a cibi assumptis evanescens. Abdomen modo omne, summo sub dolore, constringitur; modo idem, absque dolore, intumescit. Dum rationem decumbendi subinde invertit aeger: ponderis, in imo ventre sese volventis, et quasi pulsantis, sensum accusat; alvus ter quaterve fluida simulque foetidissima deponitur. Aliquando vermis articulos viventes sub faecibus excernit. Dolores, mox in axillis, ad brachia, manus, mox ad pedes urgent; formicationis in manibus earumque digitis, — his ultimis, *insensibilitas*, *immobilitas*, quae labores impediunt. Mense novembris a. 1800, primô ad nosodochium, posthinc ad clinicum Institutum *Vindobonense* susceptus est. Sub cura morbi, *taeniae solii* octo ulnas, sine ejusdem capite, rejecit, ac brevi tempore restitutus, Clinicum deseruit.

V. Aeger undetriginta annorum, qui *taeniae solii* articulos excreverat, *ab ingestis cibis, molestam in abdomine titillationem*, frequentem flatulentiam, dolores colicos, ac saepe lipothymias, et praecordiorum anxietates, in aëre minus libero, expertus est. Post remedium drasticum, decem quidem, binis vicibus, *taeniae solii* ulnas excrevit; sed haud exiguam simul sanguinis copiam e pulmonibus rejecit. Ructus foetidi, salivatio abundans, faucium pruritus, his accesserunt. Semel vomuit, alvus rite succedebat; sed sub istius depositione, interdum quasi *globum, in rectum intestinum ponderantem* persensit; macies corporis magna fuit. Sub attento objectorum intuitu, visus obnubilatio accessit; narium pruritus nullus. Taeniae dictae viginti duo ulnas, sub medicamentis praescriptis, excrevit quidem, sed ad ea continuanda nimis jam debilis, haud sanatus, discessit.

VI. Viginti duorum annorum ancilla coelebs, ante annum concepit, ac partum postea difficilem experta est. Iam a prima juventute, sub misero victu, vermium symptomata fere quotidie exhibuit, ac *ascarides lumbricoides*, tam naribus, quam ano, sub utriusque pruritu, ac sub magnis torminibus rejecit; *oxyuros* simul *vermiculares* per anum reddidit. *A tempore conceptionis, haec duo vermium genera comparere cessaverunt*; sed tunc articuli *taeniae solii* in conspectum venerunt. Ob aucta indies incommoda, die decimosexto maji, a 1803, nosocomium *Vindobonense* aegra petiit, infuso valerianae sylvestris in illo usa; die vero vigesimo tertio hujus mensis, ad Institutum clinicum devecta, sequentia nobis exhibuit: compagem corporis mediocrem, caput subinde vertiginosum, visus obnubilationem, pupillas valde dilatatas, *oculi, mox dextri, mox sinistri, perfectam, sed brevem, amaurosin*, semicirculum inferioribus sub palpebris, narium pruritum, *aures susurrantes*, oris foetorem, ructus foetidos, appetitum ciborum normalem, ventriculi tamen oppressionem, vomitum, singultum, *vocis interceptionem*, anxietates, dolores lumborum; abdomen, ab attactu, maxime in sinistro hypochondrio, dolens, globi, in ventre se circumvolventis, sensationem, dolores extremitatum. Die vigesimo quarto maji, duos taeniae solii articulos, sub usu stanni granulati cum extracto amaro ac pulvere radicis jalappae, excrevit; dextri nunc hypochondrii *dolores, a quavis remedii assumptione auctos*, ptyalismum, persensit; accedit et medorrhoea. Die vigesimo quinto ptyalismum, dolores abdominis, admodum atroces, aegra accusat; quinquies alvus hodie mota fuit, et partem taeniae, ex undecim articulis constantem, excrevit. Ptyalismus tunc copiosior, dolores abdominis exacerbati, anxietas magna, borborygmi, vomituritio, observabantur. Die vigesimo-septimo bene dormiverat aegra, dum hora quarta matutina expergefacta, electuarii dosin assumpserit. *Mox ab ista, dolores praegrandes abdominis, anxietates, vomituritio, recruduerunt.* Ad vesperas, taeniam, capite suo instructam, octo ad ulnas extensam, aegra excrevit. Major abhinc debilitas insecuta est; dolores, imprimis pedum, imminuti sunt; ponderis, in ventre se volventis, sensatio, pruritus narium et oris foetor,

disparuerunt; ad noctem interim rediverunt dolores ad hypochondrium dextrum, ad lumbos, ad pedes, narium pruritus foetorque oris denuo comparuerunt: urinae paucae, turbidae, cum sedimento furfuraceo. Superaccedunt, salivatio, faucium constrictio, dyspnoea; sub levi attactu abdominis, quasi ictus, ad manuum digitos extensos, aegra accusat. Iterum ad pristina remedia confugimus. Ad noctem, dolores remiserunt; aegra obdormivit, bis alvum, sine verme, deposuit; dolor ad pedes auctus. Die primo junii, dolores in abdomine cessarunt, in pedibus vero subsistunt. His interim symptomatis, *taeniae illis haud absimilibus*, praeter aquam menthae ac aetheris aliquantulum, nihil opposuimus; pedes, spiritu vini camphorato lavari curavimus. Die quarto junii, aegra, quam optime valens, deseruit Clinicum.

VII. Joannes *Taufenecker*, austriacus, chirurgus, annos aetatis undetriginta numerans, a febre intermittente diu vexatus, lienis tumorem contraxit. Dum, hunc ob morbum, purgans alvum medicamentum assumpsisset; *taeniam solium*, faecibus intermistam, *ex ano pendere* observans: hanc ipsam, ad quinque ulnarum longitudinem extraxit; ob dolores ventris, hoc sub conatu insecutos, ne intestina, ut adhuc parum instructus credebat, simul protraheret, filo circumducto vermem prolapsum ligavit. Decem vero abhinc annis, praevio ad anum pruritu, taeniae portiones, adhuc viventes, haud raro, faecibus junctae, secesserunt, ac *sponte interdum, vel inadvertentis in braccas aut feminalia inciderunt.* Contra hunc vermem, tunc sibi cognitum, drastica aeger assumpsit, ac, die ab his quinta, quatuordecim ejusdem ulnas, ano excrevit. Duos interim post menses, alii hujus taeniae articuli ex ano in feminalia inciderunt; a debilitate, nunc suborta, terrefactus, renunciavit istis remediis. Symptomata taeniae istius, fuerunt: *corporis incrementum lentissimum* et, ob abdominis molem, magis in latum, quam in longum; susurrus aurium, oculorum caligo, non levis narium pruritus, *sternutatio*, epistaxis, saepe profusissima, ciborum desiderium immoderatum, et nisi eidem statim satisfaceret, ptyalismus, oris ingratissimo sub sensu, vomituritio, dolor abdominis aliquis, cum *reptatus* in

o perceptione, subsequebantur. Diarrhoea, absque iusa cognita, frequens, noctes sub gravissimis insomniis transactae. Saepe vix lectum ingreditur aeger, um tanto mox a dolore ad suras, frequentius surae d musculos, correptus est, ut eidem ferendo se imarem sentiens, aut e lectulo desiliret, per cubiculum nbularet, aut locum dolentem comprimeret. Interım lectulum repetenti, sub incauta pedis inflexione, olor ingens in eodem recruduit, et aegrum, ut grabaım mox iterum desereret, coëgit. Die sexto februarii, 1799, hic vir, ad Institutum clinicum *Vindobonense* isceptus, obtulit caput liberum, pupillas admodum ilatatas, sub inferioribus palpebris semicirculum fere vidum, olfactum gustumve normales, abdomen molle, i regione umbilici sensationem *rosionis* singularem ensus volutationis in abdomine tunc expers fuit), alum heri, cum taeniae articulis viventibus motam, olores ad genu atque tumorem, *sudores in manibus*, a ut digitorum ex apicibus guttulae destillarent, conuos, *a potu frigido, dolores*, et *singularem in abomine sensationem, ab assumpto jusculo calido, mox anescentem*. A sua receptione, sub victu magis rioroso, famem aeger, ad lipothymiam fere extensam, ccusans, duos taeniae articulos excrevit. Sub usu tanni, globi, in abdomine sese volutantis, motum ileo persensit. Sequuntur, nox insomniis perturbata, ertigo, proclivitas ad lipothymiam. Tres taeniae viıentis articuli secedunt. Die sequente, ad noctem, post liquam caliginem, subito amaurosis ad oculum siniırum, per horae quadrantem modo extensa, comparuit. lvum tunc liquidam deposuit, et sub ista, *taeniae* quinue et dimidium ulnarum, *in glomerem convolutae, muls in locis nigrescentis ac putrescentis*, portionem xcrevit. Ponderis magni sensus in abdomine accusatur; alivatio larga per horam dimidiam modo continuavit. ox insequens inquieta, ponderis magni ad abdomen, c titillationis in regione umbilici, ad anum, sensatio; lvus liquida, ter soluta. Die februarii duodecimo, iborum desiderium minus, sensatio globi in abdonine, cessat; *repletionis* interim illa, in parte ejusdem extra, continuat. Sal amarum porrigitur. Alvus abhinc quida, sed absque vermibus, deponitur. Ponderis

ac volutationis perceptio in abdomine prestat. Die sequente, singula vermis symptomata defuerunt et, praeter debilitatem corporis, nihil accusans, die decimo septimo mensis dimittitur.

Si quos viros in arte expertos, hae taeniarum historiae, ac frequens eorumdem quasi symptomatum repetitio, taedio affecerit; deprecamur. Has interim *juventuti*, cui hoc opus, non modo in scholis, sed et propriis in studiis lucubrandum, dedicavimus, perutiles fore, haud est, cur dubitemus. Secundô vero, haec ipsa symptomatum, fere eorumdem, repetitio, eumdem etiam morbum, non alterius affectionis modo effectu, quod nuperi quidam viri clari praetendunt, sed a taenia venisse, hinc *vermes*, *morbum homini, ut animalibus caeteris, — si haud semper, saltem frequenter, ominosum sistere*, commonstrabit. Quod saepius *incerta*, et aliis etiam morbis frequenter communia sint haecce symptomata; hoc, eadem, plus minus, incertitudo, aetiologiam medicam, sicut rerum physicarum aliarum omnem, vix non ubique premat; doctrinam de vermibus, ut causa frequente morborum, haud ideo subvertit; sed modo cautiores nos esse, ac majorem tandem huic studio perfectionem conciliare, imperat.

Sub artis exercitio per undecim fere lustra in diversis Europae regionibus instituto, numerus eorum, qui *taeniae solii* ratione, nos consuluerunt, certe permagnus fuit. Symptomata istorum, cum illis, quae vix descripsimus, in omnibus satis convenerunt, etsi apud plures tanti momenti haud fuerint, ut reliquam eorum salutem, vehementiori taeniae, haud adeo molestae aut periculosae, pertractationi exponere voluissemus. Pars tamen aegrorum, hoc a malo prehensorum (quod et alii adnotarunt egregii in arte medendi viri) vix *tertia*, masculinum ad sexum pertinuit. *Bothriocephalo lato* affectos, etsi quatuor per annos ad *Wiliam*, partim vero ad *Newan*, artem exercuerimus, haud multos pertractavimus; qui tamen singuli, symptomata, *taeniae solii* illis aequalia, nisi pertinaciora, nobis manifestarunt. Tanto vero *feminarum*, hoc ab helmintho vexatarum sub numero, quousque hujus rei confessio nobis facta est, modo *duas* nos

ovisse recordamur: quae, viro licet junctae, nec multum eousque in venerem pronae, quo tempore, prius, taeniae solii articulos rejicerent, vel insolitam ad ctum venereum propensionem, et quasi furorem uteri, - vel ipso sub coitu, aestum, sibi antehac prorsus cognitum, — utroque vero in casu, mox a conjugali impetuoso commercio, *convulsionibus epilepticis*, quas antehac haec passae erant, affectae fuerint. Caucam, a *taenia solii*, vertiginem in muliere observavimus.

Interea ac *coenuri*, ovium vertiginosarum in *cerebro* degentis, symptomata nunc satis perspicua sunt; illa, quae *Echinococco hominis* sunt propria, hucusque nos latent.

§. CMVII. *Helminthorum origo.*

Dum nostra *de helminthorum prima origine* hîc aperienda est opinio, nos certe haud fugit, quod, *praedispositionum ad illos causarumque occasionalium* ultra limites divagando, multorum hac de materia scriptorum doctrinam, ipsorum vermium in hominem exemplo, *rosuri* videremur; quod vero gressus haec inter confinia sistendo, *ignorantiae* apud alios notam incurramus. — Eligimus hoc ultimum. Nisi religio doceret; quae generis humani aliorumque entium prima origo sit, ignoraremus; ac idem omnino, dum illa sileat, de *vermibus*, absque affectato pudore, dicendum esse, saltem nobis videtur. Inter omnes, de generatione vermium in homine, tam aevi antiqui, quam nostri, hypotheses, nos, etiamsi senes, nulla, ut fas est, latet; sed (clarissimorum pace virorum, et ea, quae in literatorum republica cuivis conceditur, quamque vicissim nulli disputamus, libertate, sit dictum!) quae inter illas, hunc nodum solverit, quae nostro judicio satisfecerit, et quae medicae scientiae, quod potius est, progressibus vere inservierit, nullam nobis videri, candide fatemur. Controversiarum in arenas, a quibus, licet inter eruditos, ut decet, minus, ac inter gladiatores, cruentas, a juventute abhorruimus; nec in illas a nobis, seriore in aetate, descendi, aut scientiae interest, aut praescripti huic operi limites concedunt. Nostrae igitur

fidei inopiam, ne dicamus intercessionem, artis medicae tabulario seu archivo, cujus ductu posteritas aequa, inter tam diversas sententias, et nostram dijudicet, sine quovis auctoritatis praetextu, quiete committimus.

Quo caetera animalia jure tellurem, — hoc ipso helminthi corpus humanum, — nec illo quidem foetus adhuc utero inclusi, excepto, prout nempe opportunum illud sibi hospitium offert, subintrant et, quosque sibi conducit, plus, minus quieti, inhabitant. Varias humani corporis divisiones et quasi contignationes, nec alias, nisi fortuito, sibi eligunt. Haec, unica, in qua vivere queant, nec extra corpus animale quaerenda, vermium patria est. Corpus animalis *non sui*, aut ad receptionem fotumque ejus haud satis idonei, vermis fortuito intret! et ab eodem, sine mora, vel totus, ut *praeda*, subigitur; vel praecipitatur, quasi hospes illegitimus. Helminthi modo pauci, humani corporis incolae, suum aliorum animalium in visceribus figunt et propitium inveniunt habitaculum; et pleraque ex istis, proprios modo sibi, suisque impensis suscipiunt hospites, et illorum alunt luxuriam.

Quaecunque vero nostra, de prima helminthorum origine inscitia sit, hoc tamen experientia docuit: quod illi, neglectis et malo cultu corruptis in campis humanis facilius, — in agro autem, sub solis, atmosphaerae, et opportuni lactaminis benefico influxu, brachio forti constanter elaborato, longe minus, si unquam, prosperent; atque hoc est, quod, de vermibus loquendo, *praedispositionem* vocamus. Hinc aetas tenera, infantilis, puerilis, — hinc sexus, otiosarum maxime urbium, femineus, — hinc et corporis ac viscerum, subactioni ciborum dicatorum, habitus asthenicus, haud raro haereditarius, nec non alimentorum crudorum, glutinosorum, farinaceorum, in aëre humido frigidoque abusus, ad illam potissime contribuunt: ita ut sub statu corporum strumoso, atrophico, vermes plerumque abundent. Quam alii vermium causam, in *muci abundantia* latere crediderunt; hanc ipsam, alterius causae, laxitatis, debilitatis, ac irritationis, a vermibus productae, *ef-*

ctum potius esse arbitramur. De *fasciola* aut *ligula*, quae *hepar ovium* infestat, notum est, quod, si pascuis haec animalia humidis vescantur; facile illa hoc verme corripiantur ac, hepatis volumine indies adaucto, duriore ac diversos in sensus corroso, ascitica reddantur. Oculus tristis, conjunctivae tunicae pallor, hunc ovium morbum praesagiunt; malo interim necdum provecto, ubi montium herbis siccioribus, ac inprimis *erica* vescuntur; sanitatem haec animalia pristinam recuperant. Helminthorum *cysticorum* causae nequidem *occasionales* nobis sunt cognitae. Virclarus, hos vermes « leucophlegmatiae, aut telae cellulosae humori nimis abundanti, aut visceris cujusdam labi hydropicae, aut lymphae quadam in parte cumulationi, aut vitiis hisce similibus » attribuit; cum vero hi morbi frequentissimi, — helminthi autem *cystici* rarissime et quandoque absque istorum suspicione, occurrant; fatemur, nec hanc nobis opinionem satis arridere.

§. CMVIII. *Prognosis.*

Sub ipsa symptomatum a vermibus (nisi prorsus pacificis, atque hinc nequidem adesse suppositis) produci solitorum, nunc satis mitium, nunc vero gravissimorum, expositione (§. CMVI.), *prognosin* eorumdem jam tetigimus. Quamvis autem helminthi, *intestinorum incolae*, adversorum sibi remediorum actioni, prae illis, qui sedem, in *viscerum* aliorum *substantia*, longe securiorem, occupant, expositi sint; — vel mucosa tamen, quam sibi, tenaci intestinorum e pituita praeparant, chlamyda undique velati, vel faecibus induti, obtecti, vel intestinorum inter plicas, aut illorum in recessibus occultati, — vel denum (quod maxime de *bothriocephalo lato* et *taenia solii* valet) proboscide sua intestinis firmiter affixi, — haud raro anthelminthicorum modo parum afficiuntur a stimulis, aut iisdem pertinaciter resistunt; aut, ad summum, aliquos ex maturioribus, si quos habeant, articulis, minoris momenti ut praedam, sola sua extensione mox reparandam, deponunt. Quasi vero medicorum conaminibus se insultasse delectarentur: armis eorum jam vilipensis, aut fractis, intesti-

na, — vix interim quin suam in istis posteritatem, futuram insidiarum vindicem, relinquant, vel sponte deserunt. Atqui hos ipsos inter vermes, intestinorum incolas, non una eademque est, medicinae resistendi capacitas; sed illos inter, *ascarides lumbricoides* plerumque facilius, — *oxyuri* autem *vermiculares* longe difficilius obtemperant. Reluctandi potentia adhuc major *taeniae solii*, maxima vero, ac saepe, absque possessoris vitae periculo, vix domabilis, *bothriocephalo lato*, a natura concessa est. Vel has igitur per observationes, vel novitatis cupedine inducti, fuerunt, qui, ut novum antiqui proverbii, « nihil tam absurdum esse, quod non docuerit philosophus » argumentum proferrent; vermes a natura procuratos, superfluum intestinorum ut mucum consumerent, motumque intestinorum peristalticum irritando augerent, — has igitur bestiolas ad corporis humani utilitatem potius, quam inducendos ad morbos, conferre, docuerint. Repetimus interim, quod fassi jam sumus: *causas helminthorum occasionales* (§. CMVII.) majoris hoc in morbo inducendo momenti esse; innumeros dari homines, qui, longioris adeo vitae in curriculo, vermes suis in visceribus aluerint, quin grave illis tributum hisce ab hospitibus impositum fuisset; — haud raro vermes, qui nequidem in homine exstant, a medicis, non sine gravi mortalium damno, supponi; ac saepius, quam creditur, vermes, revera praesentes, morborum, quos minime fecerunt, imprudenter accusari. Interim non vana esse corporum humanorum, quae vermibus imputantur, salutis incommoda: symptomatum eisdem adscriptorum ratio jam satis evincit; ac, sub majore infantum, puerorum, feminarum, hominumque delicatulorum debilitate, vel sub morbis diversis, gravioribus, scarlatina nempe, variolis, morbillis, vel si ad viscus nobilius irritatio, devastatio major contingat, insignes saepe a vermibus noxae, ipsam adeo in mortem haud raro terminandae, proficiscuntur. Vel ipsi, tam communes, ascarides lumbricoides, dum ad hominis ventriculum ascenderint: longe plus negotii, quam in intestinis, facessunt. Saepius sub fine febrium, ex caloris acuti ac inediae longioris, ut putamus, ratione, vel et versus vitae terminum, in ipso

mortis agone, imo defunctis nuper a febribus aegris, vermes ab homine vel sponte, tam ore, quam ano secedunt. Etsi vero talia pro fausto febris exitu loqui, venerandus senex pronunciaverit, dicens: « *Lumbricos teretes*, morbo judicium subeunte, una cum excrementis prodire, utile erit; « frequenter tamen necquidquam abinde mutatum, vel et mortem nihilominus a morbo successisse observavimus. Ex febre, vel alio gravi a morbo convalescens, a taenia correptus, vires lentius recuperat. Sic iterum *Hippocrates*, de *verme lato* agens, « qui hunc vermem habet, inquit, ei toto quidem tempore nihil valde metuendum accidit; cum vero debilis exstiterit, aegre reficitur: vermis enim eorum, quae ventriculum ingrediuntur, partem aliquam assumit. Si igitur, ut convenit, curatus fuerit, convalescit; si vero non curatur, sua sponte non exit; mortem tamen non infert; sed una consenescit ». Expulsis adeo jam vermibus, sicut maris in undis, a gravi tempestate commotis, symptomata illorum haud raro unam alteramve per diem superstant: ut quae non in vanum vexationi per helminthos diuturnae, — saepius autem remediis drasticis, incaute in usum vocatis, adscribenda, majorem fere, ac ipsi quondam vermes, medicorum attentionem sibi expostulant; quidquod vel ipsa vermibus medendi impetuosior methodus, promptam eorum regenerationem in multis, ac mala innumera promoveat. Apud infantes, a vermibus sub convulsione, enectos, *faeces nigras*, mortis futurae signum, et materiam nigram, post vermes vomitu rejectam, lethalem esse, gravis, suo tempore, de vermibus, *Galliae* scriptor declaravit. Similia a nobis haud conspecta fuerunt. Vermium, hucusque rarius observatorum, prognosin, parum adhuc a nobis perspectam, posteris, ut multa alia, felicius exponendam relinquimus.

§. CMIX. *Cura helminthorum. — Cura praedispositionis. — Cura generalis. — Anthelminthica. — Cura palliativa. — Cura specialis. — Cura tricocephali disparis. — Cura oxyuri vermicularis. — Cura ascaridum lumbricoidum. — Cura bothrioce-*

phali lati et taeniae solii. — Anthelminthica Noufferi. — Anthelminthica D. Herrenschwand. — Anthelminthica. D. Odier. — Anthelm. D. Bourdier. — Anthelminthica Chabert et Bremser.

Unius rei creatae interitum, alterius esse exordium, natura constituit. Concessit quidem illi, cum ista, pro viribus aliquantulum luctari, cursumque sic prosequi diutius; sed, donec fato ineluctabili quis succumbat; omnis vita, perpetuae defensionis status est. Congenitos corporis nostri hospites, vermes esse diximus. Hos igitur sui jure domicilii spoliare, expellere, nisi tanto demum abuti privilegio tentaverint; res, nisi forsitan injusta, ardui saltem moliminis, atque periculis haud semper vacua est. Saepius hinc, ubi, debitae hospitalitatis obliti, vixdum molestis nobis hisce consortibus bellum indicimus: reluctantur illi, ac, juste commoti, tyrannidem redarguunt.

Cum igitur, hoc quoque sensu, turpius sit, hospitem ejicere, quam eumdem non admittere; a prima juventute, omnis cura in illud ponenda est: ne vermes corpus humanum, ex haereditate forsitan sibi assignatum, sero nimis deserant, aut, per accidens inducti, molestos illud in usus convertant. Animalia domestica, prae feris, — pueros, prae adultis, — debiles ac vitae sedentariae addictos, exercitatis prae hominibus, ab helminthis occupari, jam diximus. Interest ergo, aura frui libera, exerceri musculos ac, fraenata mente, robur corporis intactum conservari. Docuit ulterius experientia: pueros edaces, homines gulae deditos, ferculis farinaceis, glutinosis, fermentantibus, fructibus horaeis acidisque copiose pastos, aut tepidae indulgentes, illis, qui carne succulenta et cibis eupeptis aluntur, a vermibus frequentius infestari. Hinc aequum est, juventutem inprimis regimine, pituitae tenacis inprimis viis generationi contrario uti, ac robur ventriculi intestinorumque quovis modo custodiri. Nec tamen illis, quos vermes interdum jam torquent, eumdem ciborum, ac aliis in morbis, selectum, absque damno commendabimus; sed sua quemvis aegrum experientia, quae sibi aut maxime conducant, aut vermes magis ad motus molestos excitent, docebit. Sunt sci-

-cet verminosi homines, quos *dauci hortensis*, mame crudi, — sunt alii, quos *halecis conditi*, aut -rtorum ferculorum usus, quin ratio evidens nobis fulgeat, mox in diros intestinorum dolores conjint: quo tandem effectu quondam cognito, his ipsis -bis, vermi adversis, sub administratione anthelminticorum simul hauriendis utimur. Tānta vero in solita virium, subactioni ciborum praesidentium, di-ctione latet virtus: ut haec sola jam ad vermes, -n modo arcendos, sed etiam expellendos, quan-que sufficiat.

His cautelis praemissis, ubi de helminthorum prae-ntia, ex signis, (§. CMVI.) enunciatis dubitari vix nvenit, si quae forsitan illorum specimina excreta n fuerint; cujus generis ac speciei sint illi (§. CMV.), magis inquirendum: quôd non eadem pro singulis edicina sit. Nec minorem sibi attentionem requirit, fficilis haud raro, investigatio; num alter forsitan orbus, praeter illum ex vermibus, latescat? ca-ndo, ne istis tribuantur, quae spectant ad illum, que sic major symptomatum accidentalium, quam orbi principalis, ratio habeatur. Saepius nempe ver-es, qui, bene valente in homine, vix sese mani-stassent, dum illos, morbi febrilis aestus ac impe-s, vel imposita aegro a cibis consuetis abstinentia emunt, majores in turbas rapiuntur. *Febres ver-nosas* quondam vocarunt illas, in quibus, plerum-e epidemicis, ascarides lumbricoides, tam ore, am potissime ex ano, nunc vivi, nunc mortui que corrupti, secedunt, ut qualem nos quoque 1770 *Radistadii* regnantem observavimus. Fatebimur idem, ejusmodi constitutiones, a *Batavo* medico regie descriptas, vermium evolutioni, prae aliis, vere; sed certe illi morbi ad *febres adynamicas*, as *nervosas* appellavimus, interdum simul *gastri-s*, *exanthematicas*, pertinent, atque vermes, ut m diximus, *modo symptoma* ejus morbi, *nequa-am vero febrem specificam*, ita ut nomen sibi pro-um exigeret, constituunt, aut specificam medendi ethodum sibi exigunt. Quod si nempe, sub tali re-m positione, vermium majorem, quam febris -ius, rationem ineuntes, in illos scilicet acturi, repe-

titis evacuantibus remediis, vires vitales, jam nimis languentes, ultro prosternamus; lethalis tandem eventus fatalia haec artis, — *symptomati*, non *causae* morbi medendi, conamina claudet.

Cum vero, sub vermium *intestinalium* praesentia, copiosior simul *muci*, et quidem specifice interdum foetentis, proventus observari soleat; hunc mucum, inepte satis, pro vermium causa habuerunt. Quamvis autem haec pituita, per mechanicam tunicae intestinorum villosae, a vermibus, reptando, titillando, sugendo excitatae, irritationem, in subjectis laxis, sensibilibus, morbose secerni soleat; verum tamen est, ut alibi monuimus, tenaci hoc a glutine, vermes quasi involvi, et a stimulis, eisdem ex arte admovendis nimis custodiri atque defendi. Anthelminthicis igitur remediis aliquando, nunc *emeticum*, quo ventriculi tenax pituita, vel ipsi, quos detinet, vermes excutiantur, — nunc praecipue *incidentia* sic dicta, vel *solventia*, ex sale medio, inprimis ammoniaco, non absque gravi (nisi semper hoc esse faciendum praetendant) ratione, medici praemittunt. Ne tam, *vivente in homine*, pituitam, sicut in *patina inanimi*, solvi posse, medicinae mechanicae principiis innixi, arbitremur; sed solventis remedii actionem, non adeo in humorum tenaciorum attenuatione, divisione, quam in potentiae vitalis excitatae, in secretiones imperio consistere dicamus; atque hinc decocta solventia, sales incidentes, suum si finem adimpleant; stimulantis id magis, quam incidentis remedii virtuti adscribamus. Ne tempus igitur, in pituita solvenda, nimis teratur, sed quantocius ut vermes, rigoroso sub regimine, amato illis chylo subtracto, pristinum vigorem deponant, ac artis ipsius calcari debilius recalcitrent, curandum est. Per dies autem aliquot, prout vires aegrorum id permittunt, imminuta ciborum copia, ferculis interim, sale fumoque, vel allio, porro, conditis, hinc inde concessis, praecipue vero *frigidae*, vermibus non parum adversae, aut aquae mineralis potu, sat largiter exhibito, ad ea, quae in vermibus, tam necandis, quam citius expellendis virtutem saepius, *vix tamen specificam*, comprobaverint, veniendum est.

Infinitus *anthelminthicorum*, enixe his, illis lauda-orum, numerus, — sed (quod medici ex signis nodo generalibus minusque securis, vermium ad prae-ientiam concluserint, — quod experimentis, aliorum nimalium cum vermibus, in scutella susceptis, re-pectu ad hominis vermes, fidem praestiterint, — uod ad illa, quae ad helminthos praedisposuerint, nimum haud satis converterint, — quod ab indi-atis anthelminthicis citius, ac decuisset, ad alia et ova transituri, destiterint, — ac demum, quod ad la, sub quibus vermes modo fortuito rejecti fuerant, aud satis respexerint) exiguus singulorum in multis ffectus est. Alia, ex istis, notam satis et caeteris n morbis asthenicis virtutem offerunt, ac simili pror-us ratione, praedispositionem scilicet ad vermes, de-ilitati innixam, corrigendo agunt. Huc spectant po-issime *amara* quaecumque remedia, *absinthium*, *entiana*, et alia; *nucis juglandis regiae putamina*, *ortex chinae*, *chalybeata*, *vitriolum martis artificiale*. .lia, principio volatili, vel acri, vel nauseoso, in-tructa sunt, quorsum *allium cepa*, sativum, radix *va-erianae sylvestris*, *ruta*, iterum *absinthium*, *tanace-um*, *santonicum*, *sabadilla*, *ferula asa foetida*, *oleum ajeput sulphur*, *calx antimonii sulphurata*, *petroleum*, *leum animale Dippelii*, *terebinthinae*, *oleum Cha-erti empyreumaticum*, *aether sulphuricus*, *spiritus uniperi*, *camphora*, *helleborus viridis*, *cortex geof-reae surinamensis*, *gratiola*, pertinent. Alia, mecha-iice, pungendo, premendo, agunt: ut *stannum pu-issimum*, *limatum*, *granulatum*, *lana fructus stizi-obii*, *dolichos pruriens*, *pulvis carbonum*. Alia, vi aud satis intellecta, quam *specificam* dicunt, ope-antur: ut *radix polypodii maris*, *helminthocorton* seu orallina *corsica*, *spigelia anthelmia*, *marilandica*, *henopodium anthelminthicum*. Etsi vero talia, vel ola interdum vermes ejiciant; frequentius tamen, iisi *alvum evacuantia*, et quidem satis activa, jun-antur remedia; incassum adhibentur. Quare *oleum livarum*, *ricini americani* potissimum, *calomel*, *ra-ices rhabarbari*, *jalappae*, *folia sennae*, *aloë*, *gum-ni gutta*, *scammonium*, anthelminthicis, hîc nominatis, mul superaddunt; vel et *tartarum emeticum* prae-

scribunt. In genere, quae alvum blandius movent, parum hîc sunt proficua; fortiora vero drastica, non sine discrimine, maxime apud pueros, ac sensibilioris fibrae apud homines, adhiberi queunt. Vel solius frigidae, aut salibus remistae mineralis, vel etiam *glaciei* usus internus, quamvis ea helminthos, profundius intestinis inhaerentes, calore jam deposito, minus afficiant, sua tamen in nervos non minus, quam in fibras ventriculi ac intestinorum longinqua actione, haud parum commendari merentur.

Oportet hinc, tum hisce in casibus, tum in illo, quo ex vermibus, quamcunque aliam ob causam irritatis, turbae minaces subintrant, symptomatis urgentibus occurrere motosque tumultus compescere. Quaecunque hinc vermes ulterius excitarent, cibi potusque iisdem adversi, — quae tubum intestinalem, jam nimis irritatum, magis crispare, vel adeo incendere valerent, promptissime evitanda, turbaeque inductae quovis modo demulcendae, leniendae sunt. *Externa* hîc, quidquid opposuerint aliqui, non minus, quam interna, conveniunt: fomentatio abdominis, impositis isti aut pannis calefactis, aut emolliente cataplasmate, cui fel taurinum, summitates absinthii et oleum admista fuerunt, — cucurbitae, quibus Graeci quondam, usi sunt, et hodiedum plebs *Rossica* utitur, vel maximae, epigastrio, ventri, si dolores ibi urgeant, adpositae, — unctiones ex oleo camphorato, tanaceti, ex colocynthide, gummi gutta, ex terebinthina, vitello ovi soluta, enemata ex lacte ac saccharo, lactis dulcis ac tepidi, vel emulsionis amygdalinae, cum gummi arabici mucilagine, haustus, — vel si blandior haec methodus inutilis est, ac vermes unico quasi loco infixi minantur, asae foetidae tinctura cum alcali volatili, tinctura castorei, aether sulphuricus, petroleum, ac ipsum denique opium. Puellulam, morti propinquam, *Rastadtii* vidimus, cui unico alcoholis cochleareulo, ore instillato, copiosis vermibus illico fugatis, vita, praeter omnium opinionem, conservata fuit. Egregius, « de morbis infantum » scriptor, simile hoc de remedio, testimonium reliquit; simul vero, contra tumultus, a *taeniae* inductos, *extractum absinthii*, cum vino porrectum,

commendat. Acerbissimos a vermibus dolores, illutris quondam *Italiae* medicus, solius *frigidae* usu, a quo tamen vermium inquietudinem aliquando augeri diximus, sedare consuevit.

Vermibus, hoc sub opere, vel feliciter expulsis, vel continuatis helminthicis, evacuantibus remediis pertinacius renitentibus, seposito usu istorum, nimis insidioso, ad ea, quae amissum ventriculi, intestinorum robur restaurent, sine temporis jactura, veniendum est. Hinc ea, quae generatim vermium conservationi opponenda esse monuimus, habito interim ad majorem debilitatis, sensibilitatis gradum apud aegros respectu, prudentem in usum vocanda sunt.

Longe quidem abest, quin vermium corporis humani diversorum oeconomia tam intime nobis perspecta sit, ut ea, quae huic illorum generi, speciei, vel illi, magis adversa sint, sat nota nobis esse, gloriari queamus; quod si tamen aliqua medicis, in expellendis *intestinorum* vermibus, non tuta semper, experientia concessa sit; non ideo hanc scientiam, ab illis, qui *visceribus* inclusi, munimento quasi insuperabili cincti atque circumvallati sunt, ejiciendis, arroganter venditabimus.

Nisi eadem, quae generatim, et quae tam contra *oxyuros vermiculares*, quam adversus *ascarides lumbricoides* mox commendabimus, auxilia, et in *tricephalum disparem*, quod ex *Goettingensium* observationibus conjicimus, rem omnem absolvant; ex propriis nos, qui hunc vermem examinavimus quidem, sed nunquam ipsi abegimus, meliora patefacere nequimus.

Ad longas a ventriculo distantias, ad quas perdifficilis medicamini, ore propinato, accessus conceditur, haerent, ut jam diximus, *oxyuri vermiculares*, qui intestini recti, vel cocci in cavis copioso a muco muniti sunt. Ardui hinc laboris res est, hos a tanto propugnaculo vermes excutere; ac etsi non vanum porsus *internorum*, pulveris inprimis sub forma porrectorum, usum esse dixerimus; minus tamen incerta sunt, quae in ipsum intestinum rectum infunduntur, ac ipsos ad vermes pertingunt, medicamina. Rhabarbari ac cinnabaris faetitiae drachmam dimi-

diam *Londinenses* medici conspicui, quo alvum prius moverent, aegris, ab oxyuris vermicularibus detentis porrexerunt. Hic pulvis copiosos vermiculos, et simul majorem, ubi cinnabari junctus, quam ubi solo ex rheo constaret, muci, bis ab illa rubro colore tincti, copiam expellere visus est. Cinnabari quidem, quod solvi ab humoribus animalibus recuset, fiduciam in morbis suam aetas nostra detraxit: an vero juste id fecerit; hoc alibi inquiremus. Sed mechanica sit partim remedii hujus actio! non ideo id, non aliam in vermes illi virtutem esse, evincit. Qui adeo, a saeculi consuetudine inducti, cinnabarim despiciunt, corallinae illi pulverem, aut calomelas grana circiter tria, vel, qui fortiora non verentur, pro adultis, gratiolae officinalis grana circiter quindecim, illius loco, rhabarbaro superaddunt. Enemata anthelminthica non prius, quam alvo deposita, injicienda sunt. Hoc praestito *frigida*, aliquando cum aceti vini parte tertia miscenda, recto intestino, vaginae, quo vermiculi ab illa rigescant, minusque aliis resistant, impellenda est. Ab istis, clyster alvum purgans, vel ex sale culinari, sale amaro, vel ex aloës solutione paratus, ac oleo cornu cervi foetido junctus, applicari meretur. Saturatum seminum santonici decoctum, sub forma clysteris ano injectum, a claro *Londinensium* medico enixe commendatur. Sine tantis ambagibus, vulgus, quorundam medicorum, ut videtur, consilio innixus, ano puerorum, lardi, aut carnis, sale ac fumo conditae, frustum, filo munitum, ceu suppositorium, immittit, ac plurimis vermiculis obsessum, ex illo retrahit. Pessarium ex lana, vel ex gossypio paratum, ac bile, aut solutione aloës saturata imbutum, effectum eumdem praestat. Clyster oleosus, vermes saepe intactos, nisi aloës extracto commistus, relinquit. Cum lacte, idem hoc extractum, ad scrupulos duos pro enemate apud adultos, adhibetur. Lactis vapor calidi, diductis puerorum clunibus, aut lasano insidentibus, ano admissus, oxyuros vermiculares interdum, ut acervatim desiliant, invitat. Rebelli magis morbo, adultis (haud unquam pueris, nec facile feminis), tabaci nicotianae fumus inflari potest. Irritato nimis, ab his vermiculis, acriore

b enemate, recto intestino, clyster ex amylo, aut x seminum cydoniorum mucilagine, — adjuncta tiam laudani liquidi aequa portione, convenit.

Ascarides lumbricoides tractaturo, praecepta genealia, quae supra exposuimus, observanda incumbunt. aepius hi vermes, quam alii, ventriculum petunt atque umdem vellicant. Hinc frequenter in morbis eosdem xpelli per vomitum, aut oesophago aufugere, videre st. Emeticorum igitur actio hunc in helminthum major, aud raro, ubi nausea, vomituritio, oppressio ventriculi sic jubent, indicatur. Si minus haec symptoiata urgeant, aut vomitu jam absoluto; calomelas rana aliquot ad noctem porriguntur. Placet vulgo, is aegris aquam cum hydrargyro coctam, quin illa e isto quid solvat, pro potu exhibere. Vidimus quiem, sub usu istorum, vermes fuisse excretos; sed et ine his illi saepe aut sponte, aut a sola frigida, seedunt. Frequenter vero nullum omnino istorum efectum conspeximus. Vermes quidem vasculo suscepti, i mercurium iis vivum superinfundas, anxie hunc ugiunt; sed frigus pondusque grave hujus fluidi, sunt, uae fugam hanc imperent. In genere, mercurii, quaunque demum sub forma porrecti, virtutem, quam anti fecerunt scriptores, nisi aliorum evacuantium ctionem acuisset, conspicere haud potuimus; ac in psis *Idriae* fodinis mercurialibus, hujus helminthi nuerus, apud operarios, insignis occurrit. Hinc meliore onsilio semen artemisiae judaicae sive cinae, sive antonici, quod primo loco hîc ponimus, vel solum, el tandem cum pulvere rhei, aut, quod certius operatur, cum illo radicis jalappae, interdum cum sale medio ac oxymelle scillitico in formam mollioris electuarii redactum, donec alvus ter, quater in die solvatur, porrigitur. Apud pueros, saturatum helminthocorti decoctum, saccharo aut melle edulcoratum, vel et pulvis ipse, primum certe, a semine santonici, remedium contra hunc vermem, copiosis exemplis nobis visum est. Nisi vermes, a solo hoc decocto jam expulsi fuerint, alvus, adjunctis simul purgantibus, evacuanda est. Domesticum quidem et utile, sed secundum a dictis remedium, etiam nobis hîc audit *allium*, aut commestum, aut lacti tepido infusum, ac,

si opus est, evacuante demum remedio suffultum. Semen *tanaceti*, seminibus *santonici*, effectu in vermes, inferius reperimus. *Vitriolum martis artificiale* egregium sane pro debilibus remedium, a viro quondam summo, contra hos vermes prae omnibus celebratum, nobis quidem, solum, effectus tam notabiles haud praestitit, *Batavis* forsitan utilius.

Fortiora sic dicta anthelminthica, nos, teneris saltem infantibus, hos contra vermes, — vel quod minus secura nobis viderentur, vel quod, nisi valde urgerent symptomata, de illis minus fuerimus solliciti, non facile praescripsimus. Hinc *veratri sabadillae semina*, contra taenias, nec non alios contra vermes intestinorum, a claris viris laudata, tam ob indolem suspectam, quam, quod spem aliorum, in *Goettingensi* nosocomio, binis in casibus, — nostram vero semel in clinico *Ticinensi* Instituto fefellerit, non amplius administravimus. Nec unquam folia *hellebori foetidi*, licet ab *Anglo* scriptore, ut plebejum remedium, enixe commendata, ob violentiae, qua agunt, rationem, in usum traximus. Sic, haud magis *nucum juglandium extractum*, aquae cinnamomi simplici commistum, a quibusdam celebratum, etsi minime suspectum videatur, nos, ex propria observatione, aut laudare, aut vituperare possumus.

De cura *bothriocephali lati* non minus, quam de illa *taeniae solii*, simul hîc agimus. Exemplo, illi helminthorum intestinalium, quorum plures vel sponte, vel saltem blandiore medendi sub methodo, *integri* secedunt, contrario, — vermes, de quibus hîc sermo est, licet aut nullam, aut insufficientem per artem commoti, articulos, vel portionem sui quidquam longiorem, particulatim ano emittant; nisi potentius stimulati, agitati, vel concussi, compressi, amato domicilio nunquam a capite ad calcem renuntiant. Docuit autem experientia: *bothriocephalum latum*, ac *taeniam solii*, haud eodem a stimulo, aequali ratione affici; sed illum ab hoc, — hanc vero, saltem plerumque, ab illo magis urgeri; utrosque autem helminthos, a repetitis frequentius *drasticis* fortioribus, — sed haud raro sub summo aegrorum discrimine, desertionem subire. Cum vero hi vermes, ho-

spitio, a natura sibi adsignato, in multis *pacifice* fruantur, majori, quam par est, aegrorum ab illis horrori, vel nimis officiosis medicorum conaminibus adscribatur, oportet, si pejor interdum artis, quam helminthi ipsius, in homines effectus est.

Bothriocephali lati debellandi rationem, quam, pridem haud incognitam, oblivio jam deleverat, munificentia regis *Galliae*, ab ista, mulieris *Helvetae* e manibus vindicavit. Omni medicorum ordini satis cognita haec methodus, ut eamdem multis et nos exponamus, haud indiget; sufficit vero monuisse: nihil ei *specifici*, ut vocant, sed tantum violentiae inesse; ut qui, per eamdem, verme quondam liberati fuerunt, si novus illis bothriocephalus latus succreverit; hujus potius effectus patienter perferre, quam illam denuo subire malint. Efficacia interim remedio conspicua certe haud deest; et qui, tam animo, quam corpore validiores sunt: eos a simili experimento absterrere haud intendimus.

Eadem de *Helveti* medici remedio, ex polypodii filicis maris radice, ex herba gratiolae, et ex gummi gutta, vel, ut alii volunt, ex hoc ultimo, ex sale absinthii, et ex carbone fraxini composito, dicenda sunt.

Mitiorem longe hinc taeniae medendi methodum, celebris, ac nobis, dum viveret, amicus, *Genevensium* medicus, multiplici experientia instructus, proposuit: radicis nempe polypodii filicis maris pulverem ille ad drachmas tres, — post duas vero horas, tres olei ricini americani uncias, adultis propinari suasit. Hujus ultimi remedii auxilio, nos ipsi *taeniam solii* feliciter expulimus.

Plura variorum medicorum, contra hunc vermem, remedia continentur eximii medici ac helminthologi *Viennensis*, « de vermibus, vivente in homine viventibus », laudato jam saepius in opere. Scriptoris tamen istius exemplo, quod nostris in terris *bothriocephalus latus* haud sit indigenus, et nos modo *tres* ejusdem, a nobis expulsi, casus habuimus, neque conspicuam proinde in vermis istius pertractatione experientiam venditare valemus. Hoc interim notasse juvabit: non aliâ nobis, ad illos expellendos, quam

cujus ope aegros a *taenia solii* liberavimus, opus fuisse medendi methodo. Eadem ratione, laudato vix scriptori, feminam *Petropolitanam*, bothriocephalo laborantem, radicis filicis maris, ac olei ricini americani, hoc a verme liberare, feliciter contigit.

Post varia, contra *taeniam*, absque ratione *solium* vocatam, tentata remedia, experti tandem sunt medici: hunc in vermem, quin ille pertinacius resistat, vix manu plurimum armata, seu multo *drasticorum* tumultu posse irrui; sed per blandiorem medendi rationem, ac per remedia fere mechanice agentia, felicius eumdem debellari. *Stannum* nempe, quoad licet purissimum, anglicum scilicet, non specificum quidem, sed potens omnino, ac nobis etiam frequentius comprobatum contra hanc taeniam remedium est. Primo quidem *granulatum*, ut vocant, *stannum*, — posterius, *limatum*, cum syrupo simplici, electuarii in formam commistum, laudatum fuit. Ab hoc, intestina hominis ipsa interdum laedi verentes; illud potius, quod et nos facimus, eligere malebant. Cum vero ponderosum hocce metallum, syrupo aut melli remistum, fictilis fundum mox petat; unciae uni illius, plerumque drachmas tres extracti absinthii superaddimus, ac aegris adultis, posteaquam, tres circiter per dies, tenui satis sub victu transegerint, quater in die, ad nucis juglandis majoris molem, porriginius. Si vermis, a secunda totius electuarii consumptione, non secesserit: duas illi drachmas pulveris radicis jalappae adjungimus. Feliciter quoque hunc vermem, praemisso satis rigoroso per dies aliquot jejunio, cum drachmis duabus aut tribus radicis polypodii filicis maris, ad vesperas, cum frigida porrectis, altera vero die, cum olei ricini americani uncia dimidia, donec alvus ter quaterve moveretur, omni bihorio propinata, abegimus. *Terram ponderosam muriaticam*, per plures hebdomadas, et quidem ea dosi, quae vertiginem aegris induxerit, bono successu a se porrectam fuisse, refert recentior ac celebris helminthologus. Remedium interim istud, non semper sibi aequale, aliquando suspectum, quod vertigo jam docet, cautum in omnibus medicum sibi exigit.

Recentior, quam egregio *Galliae* medico debemus,

in eo consistit methodus: ut aeger, jejuno ventriculo, *aetheris sulphurici* drachmam cum saturato radicis polypodii filicis maris decocto hauriat. Post horam ab isto, turba in abdomine se prodit. Tunc duae olei ricini americani unciae, syrupo quodam edulcoratae, exhibentur. Per duos tresve dies continuatur haec methodus. In ventriculo degens (?) haec taenia, sic facile abigitur; si vero intestinorum in tubo hic vermis latuerit: praeter dicta, quamprimum ea fuerint assumpta, clyster illico ex decocto ejusdem radicis polypodii filicis maris saturato paratus, et aetheris sulphurici drachmis duabus remistus, injicitur. Prima die, mox ab enemate, alvus sequitur aegro consueta; die altera, copiosus et membranaceus quasi mucus per alvum ruit; tertia vero die plerumque vermis, jam corrupti, reliquiae secedunt. Quatuordecim ex aegris, *Parisiorum* in metropoli, a taenia detentis, duodecim profuisse medendi hanc methodum, refertur. *Vindobonae* etiam hanc ipsam medendi rationem, binis in taeniae solii casibus, comprobatam fuisse, ab expertis hujus metropolis medicis audivimus.

Chaberti quoque *oleum empyreumaticum*, hac prima in *Austriae* sede, ut celebris ejusdem helminthologus ac medicus testatur, felices omnino effectus praestitit. Sequentem *Chabertus*, olei laudati compositionem tradidit: Recipe ungularum equi aut bovis, vel cornuum cervi, in frusta comminutorum, quantum volueris. Immittantur ista retortae testaceae, ac destillentur more consueto. Obtentum in fundo excipuli oleum empyreumaticum nigrum, effundatur; ac libra illius una, cum tribus olei essentialis terebinthinae misceatur. Miscela, quieti, quatuor per dies, exponatur; tandem de novo tamdiu in apparatu vitreo destilletur in balneo arenae, usquedum tres quartae partes transcenderint. Oleum ita obtentum, in vitro arctissime clauso, servetur. Quo melius hoc fiat, *Bremserus*, qui primus hocce medicamento in homine usus est, exiguis hoc idem in ampullis vitreis, epistomio simili atque vesica munitis conservari, nec lucis radiis exponi, prudenter consuluit. Hic ipse, sicut vermium vix non omnium, ita et *taeniae solii* curam, sequente electuario, et nobis a triginta et

quod excurrit annis comprobato, inchoat. Recipe seminum cinae, aut tanaceti vulgaris, ruditer contusorum, unciam dimidiam; — pulveris radicis valerianae sylvestris, drachmas duas, — pulveris radicis jalappae drachmam dimidiam, vel scrupulos duos, — tartari vitriolati drachmam unam cum dimidia, vel drachmas duas, — oxymellis scillitici quantum satis, ut fiat electuarium. Hoc de remedio capiat aeger, bis terve in die, quantum cochlearculo coffeano contineri potest. Posteaquam aeger omne hoc remedium assumpserit; olei Chaberti empyreumatici duo cochlearcula coffeana, mane ac vespera, eidem propinantur, ac, ne quid hujus olei in faucibus haerescat, pauculum aquae desuper bibitur. Sub fortiore hujus olei, in cerebrum, in vesicam actione, dosis ejusdem imminuitur. Unciis fere duabus atque dimidia hujus olei, spatio decem aut duodecim dierum, assumptis, sequens remedium, alvum leniter evacuans, aegro porrigitur: Recipe pulverum radicis jalappae scrupulum, — foliorum sennae, drachmam dimidiam, — tartari vitriolati drachmam. Misce. — Donec istius remedii effectus in alvum sequatur, una ejusdem dosis quavis hora assumitur. Post alvum hoc modo purgatam, ad oleum empyreumaticum denuo recurritur, atque ejusdem unciae circiter quatuor, aut quinque, — quidquod, in casu majoris a verme resistentiae, sex adeo, vel octo ejusdem unciae, gradatim porriguntur. Haud parum quidem lentam, sed securam, nec ullo periculo stipatam hanc medendi rationem esse, vir clarus affirmat. Nullam quidem, observata hac methodo, *curam*, ut vocant, *secundariam* requiri, hic idem asserit; quod si tamen major ad pituitam et vermes dispositio remanserit; sequentem ille medicinam praescribit: Recipe tincturae aloës compositae, Dispensatorii *Austriaci*, drachmam, — tincturae martis, succo pomorum paratae, unciam, — elixirii vitrioli anglicani, Pharmacopoeae *Londinensis*, unciam dimidiam. Misce! — Ter, quater in die, tincturae istius decem aut viginti, aut vero triginta, in cyatho aquae, aut vini, propinantur guttulae. Nullo, hac sub medendi ratione, ciborum, vermibus, ut creditur, adversorum, selectu opus esse, — vermes, jam primis curae die-

bus, aut subactos, aut vero corruptos, vixque amplius dignoscendos, ano secedere, — parum admodum, num caput vermis simul excretum fuerit, dum plura taeniarum capita abscedere, vermes tamen alii subsistere queant, interesse, — unicum vero, ac certum liberationis a taenia completae, criterium, si, *trium mensium spatio,* nulla amplius helminthi portio secedat, haberi, asseritur.

Cum vero *bothriocephalus latus* non minus, quam *taenia solium*, ad longos interdum tractus, aegrorum ex ano propedeant; extrahi tamen in totum, recusent, atque suscepto ad id conamine, facillime, abrupti, intestino se recondant; ingeniosa, et successu coronata fuit chirurgi *Petropolitani* methodus: qua, ne sphincter ani, prolapsam circa vermis portionem spasmodice contractus, separationem vermis promoveret; *tubulum* ligneum, aut alium, cujus medio, vermis partem prolapsam commiserat, in anum lente intrusit atque, hoc absoluto, taeniam absque omni violentia, modo, quo *gordium* solent, caute extraxit. An in casu, quo vermis prolapsus, superiori forsitan intestino infixus, sine aegri ipsius damno, *levioris ictus electrici* auxilio, taenia occidi posset, ac demum facilius educi? . . . An ope ictus ejusdem electrici, ad partem, qua vermes quicunque, etiam occulte resident, prudenter directi, hi ipsi, quin aeger abhinc laedatur, trucidari promptissime queunt? . . Experimentum in re tam ambigua huccusque non fecimus; dignum tamen, ut nobis videtur, quod *brutorum* prius *animalium* in corpore tentetur. (Elapsis nunc jam undecim annis, a quibus haec scripsimus, experimentum hocce electricum non ita quidem ab aegro *Vindobonensi*, cujus ex ano taenia solium pependerat, *absque effectu* institutum fuisse percipimus. — Quod haec ita se habeant; *superiorem* forsitan taeniae istius portionem, ab *inferiore* jam nimis separatam atque distantem, experimentum non tetigit. Quocunque tamen in casu, nullum huic aegro, hoc a tentamine, damnum, quod ab ejusdem, in alio, repetitione absterrere nos posset, illatum fuisse, ex hac relatione discimus.) Quod si nobis in futurum aliud remediorum genus (animalibus minoribus, praecipue

volatilibus, facile lethale) contra vermes hominis administrandi occasio concederetur; *amygdalam amaram* unam alteramve, primùm in emulsione ex amygdalis dulcibus parata, et alia tandem sub forma, et quidem ea, qua decet cautione, ac illorum, quae alibi diximus, non immemores, eligeremus.

Superesset, ut et armorum, quae *cysticorum* ad familiam debellandam, arti medicae concessa sint, mentionem hoc loco injiceremus; sed hoc de summi momenti argumento, eheu! nec aliorum, quod sciamus, nec nostra experientia, quidquam nobis, quod lectorum attentione dignum videatur, suggerit.

ORDO VI. GENUS II.

RETENTIONES HEPATICAE

§. CMX. *Ratio instituti.*

Jam pluribus hujus operis in locis, tam de *jecinoris*, quam de *vesiculae felleae bilisque* morbosis affectionibus locuti sumus (§§. XLVI. LIV. C. CIII CVII. CCXLV. CCL. CCCLXXIII. DCLXXIII. DCLXXXIII. DCCCXXVIII. DCCCXXXVI.). Quod si vero ista conferantur cum illis, quae de *retentionibus in genere* quondam disseruimus (§§. DCXCII. — DCC.); majorem sane *epischesium*, etiam *hepaticarum*, partem jam absolvimus. Cur vero, de *bilis* retentione separatim acturi, epischesibus eamdem *mucoso-lymphaticis*, ratione *albuminosi* principii, quod continet, haud submiserimus; plura sunt, quae ad id nos induxerint. Dum scilicet frugalis non minus, quam provida natura, defendendis et simul nutriendis animalium partibus et *mucum*, et *lympham* benigne destinasset: ad absolvendas humorum tam nobilium secretiones, organis illa simplicioris structurae uti decrevit. Longe vero aliter ea, ubi de constituenda *bilis* scaturigine agebatur, incessit: ut quae apparatum, pro hoc opere, prorsus magnificum, cordis illi fere analogum, nec tamen hanc usque in diem satis intellectum, elegit. Hoc praeterea e fonte, liquidum, sicut ex physiologicis constat, amarum, *specificae* omnino, nec ullo chemicorum scrutinio hucusque satis eruendae indolis,

scaturit. Alia scilicet fellis principia, *chymi*, nutrientem in *chylum* conversionem promovent; alia, reliquas ex illis faeces, stimulante materia saturant ac ut, suo colore tinctae, proprioque foetore instructae, prompte satis expellantur, intestina sollicitant; nec tamen, aut muci, aut lymphae exemplo, corpus illa ipsa nutriunt. Accedit his rationibus demum et illa: quod *calculorum felleorum* doctrinam, ab *icteri* illa separare haud facile potuerimus.

§. CMXI. *Definitio icteri.*

Hujus igitur liquidi (§. CMX.), plus minus flavi, subinde virideseentis, rarius subatri, retentio et ecchymomatica quasi per corpus, nunc universum, nunc modo parte istius conspicua, — vix non ubique vero oculorum per albugineam diffusio, cum urinis plerumque obscure rubris, spumosis, lintea immersa tingentibus, faecibus frequenter griseis, aridis, saepe cum pruritu cutaneo, variisque functionibus laesis, *icterum* constituunt. In *Aethiopibus* icterus, nisi ad palmas manuum quodammodo, cutis colore non distinguitur. Caetera in illis, Europaeorum aurigini similia sunt.

§. CMXII. *Divisio*

Sunt, qui pro aliarum affectionum *symptomate* magis, quam pro *morbo proprio*, icterum declaraverint ac, stricte loquendo, de singulis, absque magna injuria, praetendi hoc posset *retentionibus*. Si tamen ad medicae egestatem semeiotices respiciamus, sub qua scilicet *causae rerum ultimae* omnes nos fugiunt; non est, cur, tanta sub cognitionum altioris ordinis penuria, divisiones morborum, ex rationibus, causae *proximae* saltem vicinis, construamus. Jam ipsum apud *Hippocratem*, morbi arquati *febrilis*, aut *apyretici*, aut *critici*, distintionem reperimus ac, sub ista, vel *chronicum*, vel *acutum* esse icterum, ille hoc ipso insinuavit. Morbum regium, quem divo a sene pro *critico* declaratum fuisse legimus, et a nobis observari haud unquam licuit. Sic et *metastaticum* icterum, cujus jam *Pergamenus* medicus meminit, et quem celebris in clinico Instituto *Vindobonensi* antecessor et

amicus quondam noster descripsit, ob solam brachii, sub fine febris acutae *flavedinem*, hoc nomine dignum fuisse, dubitamus. Caeterum, sub icteri *febrilis* denominatione, et ille, qui *inflammatorius*, et ille qui, *nervosus*, et ille, qui *intermittens* ac periodicus, — saepius *benignus*, in locis vero paludosis, haud raro *perniciosus* est, intelligi merentur. *Plethoricus* etiam icterus, qui ex cruoris, in vasis hepaticis collectione superabundante nascitur, huc revocandus est. Etsi vero aurigo plerumque *sporadice* incedat; illam tamen et *epidemice* subinde grassari, observationes haud paucae testantur, ac populares inter icteros, praecipue illi, qui a. 1742 *Gandavum*, — qui a. 1754 — 1755 agrum *Moguntinum*, — et qui, demum, a 1772, *Essenium* vastarunt, nominandi sunt. *Universalem*, quo corpus omne, — *partialem*, quo pars corporis modo dimidia flavet, in icterum distinctio habetur. *Spurii* nomen icteri, morbis, qui alia, quam ex bilis retentae culpa, flavo cutem, — nec oculos, colore tingunt, haud concedimus. Ex *calculis felleis*, ex jecinoris obstructione, suppuratione, icterus frequenter nimis oritur. Nec auriginis, ex *ascaridibus* lumbricoidis in ductu choledocho haerentibus, vel ex hydatide, ac *distomate hepatico*, exempla desunt. Frequens etiam apud *gravidas*, et apud alios, ex vicino tumore pancreatis, aut alio, ductus hepaticos comprimente, — nec rarus apud homines magis sensibiles, ex violenta animi agitatione, vel ex diuturna ejusdem depressione, icterus *spasmodicus* est. *Traumatici* etiam icteri, — alterius, qui *venenato ex morsu* hominem adoritur, ac demum illius, qui ex *arthritide* aut *rheumate* procedit, mentio hîc facienda est. Sicut vero hepatis morbi in genere facile in filios transeunt: ita et icterus, aliquando *haereditarius* est. A matribus ictericis, proles, aurigine infectas, utero exclusas fuisse, plura exempla testantur; et a nobis ipsis unum ex istis, in femina *Vindobonensi*, observatum fuit.

Has omnes icteri species ac varietates, pathologici quidam scriptores, in pauciores contrahere adnisi sunt. Sic celebris quondam *Scotiae* nosologus, *quinque* modo auriginis species, *calculosam* nempe, *spasmodicam*, *hepaticam*, *gravidarum*, et *infantum*, retinuit. Qui

postea novum nosologiae systema condidit, vir clarus, icterum 1.) *febrilem*, 2.) *plethoricum*, 3.) *emphracticum*, 4.) *spasmodicum*, 5.) *venenatum*, 6.) *calculosum* ille constituit. Ne tam ulla coadunatis quocunque in systemate speciebus inferatur injuria; potiorum ex istis descriptionem, quoad licet, succinctam trademus.

§. MCXIII. *Generalia in ictero phaenomena. — Fellis diversitas. — Coloris a bile differentia. — Fallax bilis, ut causae, suppositio. — Suffusionis biliosae extensio. — Pruritus cutaneus. — Aberratio visus in ictero. — Urinarum conditio. — Faecum alvinarum indoles. — Turbae abdominis. — Functionum laesio. — Melas icterus.*

Symptomata, quae, majore pro parte conjuncta, icterum constituunt (§. MCXI.), a variis scilicet, iisque saepe contrariis a causis producta, non semper eadem sunt; sed alia aliaque morbi principalis phaenomena secum ferunt, ac auriginis illis commiscent. Antequam igitur de signis, vel huic, vel alteri speciei icteri magis propriis, mentionem injiciamus, juvabit, ut in communiorum vix non omnibus symptomatum naturam attente inquiramus.

Sua cuivis aetati, sexui, constitutioni, vitae generi, positioni corporis et animi, — quidquod sua cuivis morbo graviori, bilis est. In his enim, fel tenue, dilutum, pallidius et satis blandum, — in illis, meracum, tenax, croceum, bruneum, viridescens, magis amarum, nauseosum, — in aliis demum, fere piceum, sublividum, nigrescens, detegitur. Sic in cystide fellea, a calculo occlusa, liquidum clarum, synoviae simile, detectum fuit. Ex cynanche laryngea et ictero defunctus aeger, post mortem a nobis *Ticini* dissectus, calculum quidem nullum, sed similem in vesicula fellea humorem transparentem nobis obtulit. Etsi vero *a bilis corruptione, acrimonia*, quondam vix non omnes morbos, ex praeconcepta scholarum opinione, derivaverint, atque fatalem hanc innumeris aegris hypothesin nos ipsi, multis hujus operis in locis impugnaverimus; sub aestu tamen solis majore, tropicis maxime in regionibus, sub calore febrili, sub exercitio corporis

strenuiore, sub frequente ac effreni iracundia, aut sub moerore diuturno, bilis saepe morbose secernitur, aut, in vesica fellea diutius retenta, characterem contrahit, a bile sani hominis alienum, irritantem, multorum morborum (§§. C. CVII. DCLXIX. DCLXXXIII. DCXCI.) auctorem. Causae morbosae alterius effectu haec ita succedere, nec primariam corruptionis culpam in bilem conjiciendam esse, convenimus quidem; sed quoties non aegritudinis alterius effectus, morbi, ab illa diversi, causa fuit? Ac talia omnino a bile morbosa, resorpta, et in sanguinem transvecta contingunt. Hîc enim hoc liquidum, praeter ipsum cruoris torrentem, quousque is fertur, et ossa, et artus, et quae ab his haerent, colore suo vel aureo, vel herbaceo, vel demum subnigro, singula perfundit. Siquis de effectu, quem ista, totius massae humorum solidorumque a bile, vel caeterum insonte, vel interdum morbosa, inundatio producat? quaestionem moveret; huic, sub condonanda nobis eorum, quae *chemiae* lege *vitalis* in vasorum penetralibus, sub humoris infensi ingressu, contingant, ignorantia, et cutis pruritum, et urethrae, sub transitu urinae, molestam sensationem, — et ubi de nervorum, eadem a causa, affectione sermo foret, moestitiae, languoris animi, ac lassitudinis, pigritiae, prius incognitae, sensationem, perpendenda offerremus.

Haec ipsa vero bilis morbosa suffusio, pro aberrantis hujus liquidi tam copia, quam indole, — pro integumentorum, aut potius, pro *retis mucosi*, conditione nativa, gentilicia, — pro ejusdem retis integritate, — quidquod pro contextus cutanei eodem in homine, sexu, vitae tempore, vel adeo ad partem aut istam, aut illam, ratione diversa, — pro illa stadii auriginis, aut recentis, aut provecti, — adspectum varium variumque intuentibus offert.

Non omne interim, quod humano in corpore *flavet*, *bilis* est; nec fere minus ad *medicos*, quam ad ipsos *pictores*, colorum, diverso modo commistorum, cognitio pertinet. Qui sanguinis ipsius, a *suggillatione* aut ecchymosi majore, minore, in *maculis scorbuticis*, colores a die in diem mutatos, eosque, sub initio, coccineos, mox vero lividos, subatros, postea viridescen-

tes, deinde fere aureos, ac demum, sensim sensimque stramineos, haud praetervidcrit; — qui *sputorum mucosorum*, vel sub initio, vel sub fine pneumonorrhagiae, peripneumoniae, *flavedinem*, non tam a *bile*, ut quondam credebant, quam plerumque ab una alterave cruoris guttula, illis adhuc commista, descendere noverit; — qui *excrementorum colores* varios, atque nunc flavos, nunc aeruginosos, ab alimentorum diversorum, vel crudorum vel modo alio alioque subactorum, varia mistione, combinatione chemica, saepe longe magis, ac a *bile* pendere, atque completa ductus choledochi sub obliteratione, interdum adhuc subsistere consideraverit; is certe, quod medici frequenter nimis, coloris flavi, aut viridescentis, herbacei, culpam omnem in *hepar*, aut in *bilem*, injuste conjecerint, haud facile diffitebitur. Sic in Instituto clinico *Ticinensi*, a. 1787, puellam, *scorbuto* lethali laborantem tractavimus, cui saepe maculae scorbuticae latae ad superficiem cutis comparebant atque, dum istae disparuerant, profusae narium haemorrhagiae subsequebantur. Loco frequentis epistaxis, omnis interdum cutis, ipsae volae manuum pedumque plantae, intense flavescebant. Oculorum interim *albuginea*, semper mansit *albidissima*, et nullum, praeter cutis flavedinem, ecchymosis scorbuticae vicariam, auriginis symptoma se obtulit. Vix dicta albuginca, omni certe in ictero lutei coloris est; haud raro tamen illa, absque icteri praesentia, vel solo sub jecinoris infarctu, non parum flavescit.

Per vasa corporis subtilissima, bilis copiosa ad sanguinem resorpta, penetrat. Icterici ossa, intensa flavedine tincta, museo pathologico, *Ticini* a nobis erecto, jam anno 1787, commisimus. Ossa icterici, ut noster in cathedra *Vindobonensi* antecessor, egregio, « de ratione medendi, » in opere advertit, flava, utut minus saturate, quam *partes carneae*, *cartilagines*, quae per omnem substantiam croceae fuerunt. Ossa vero et in *foetu* tam flava, vir idem celebris conspexit, ut ad sceleton elui non potuerit flavedo. *Dentes* adeo ipsos, flavos in ictero fuisse legimus; vitrea interim eorum substantia, quamvis ex impuritate aliquo modo in multis flavescat; in ictero tamen, crocea nunquam observata fuit. Etsi vero, advertente quondam summo *Ita-*

liae, « de sedibus et causis morborum » scriptore, *cerebri* ipsius *substantiam* flavescere ab ictero, rarissimum sit; et istam tamen a bilis tingente principio inquinatam fuisse legimus. *Lac* nutricis ictericae, non minus, quam *humorem mucosum*, ejusdem e vagina destillantem, flavere, conspeximus. Lac nutricis *virideseens*, viri quidam celebres et, post animi excandescentiam, lac matris, non modo ex flavo subviridum, sed simul *amarum* fuisse, adnotarunt alii. De *sero sanguinis* jam diximus; sed et *cutis* ictericorum (ad jugulum, pectus, abdomen et brachia potissime) non modo flavet, virescit, et solam per transpirationem perque sudores, bilis in ipsis indusiis vestigia crocea relinquit; sed, perantiquo experimento, *strigili* scalpta, biliosum humorem, ejusdem cavitati insinuat. Testante *Romanorum* medico quondam celeberrimo, homini icterico, sanguinis loco, e naribus, e scarificatis, sub cucurbitulis, vulnusculis cutananeis, *aqua solummodo flava* prodivit. Sub tam universali vero bilis suffusione, non modo *linguam*, in plerisque ictericis, nisi gastrica, saburra refertis, pulcherrime rubentem, — sed et *oris cavum*, in plurimis eorum, *saporis amari expers*, mirati sumus. Lingua interim subinde, maxime in senibus, ad radicem, *quasi atramento* oblinita est.

Inter omnes autem corporis partes, *cutis*, princeps scilicet tactus ut organon, a bile vel maxime plectitur et, in plerisque saltem ictericis morboque jam satis adulto, *pruritum tempore noctis* inprimis, saepe prorsus et ad desperationem usque, intolerabilem, experitur. Non modo flava, sed, prae aliis, *flexilia* ictericorum cadavera manere, illustris *Galliae* anatomicus et medicus docuit.

Sub tanta vero tamque generali corporis a bile inundatione, colores objectorum veros, ictericorum ab oculis, exterius licet flavissimis, probe distingui, mirati sunt, qui contrarium visus in aurigine errorem nunquam observaverant, viri celebres; atqui tamen ipse organi visus hic error, jam antiquo *Romanorum* proverbio, « Lurida praeterea fiunt, quaecunque videntur arquatis », — et *Germanorum*, de tristibus illo, « quasi ictericis, ita et illis, singula

flava esse videntur », sancitus fuit. Qua demum occasione tale proverbium, plerumque nunc temporis erroneum, jure civitatis instructum fuerit, nescimus quidem; suspicamur tamen, oculorum illud sub ictero vitium, vel unum, vel et alterum apud populum, quondam observatum fuisse *epidemicum*. Aliorum nempe scriptorum, de hocce oculorum apud ictericos, raro nunc, vitio, testimoniis, et nostrum accedit: ut qui, millenos inter ictericos, quinquaginta quatuor annorum spatio, a nobis examinatos, hoc idem oculorum vitium, *quinquies* modo observare potuimus. Virginem, ex scirrho hepatico ictericam, in *Vindobonensi* Instituto clinico, a. 1799, tractavimus, quae puella simul a *nyctalopia periodica*, bis in die recurrente, correpta fuit. Simile icteri, cum *nyctalopia* connubium, jam a. 1785, *Ticinensi* in clinico, nobis oblatum fuit.

Quantumvis autem icteri, a solo colore petita divisio, morbi ejusdem *gradus* modo diversos ac varietates referat: ita, ut singulae species colorum, uno eodemque in icterico simul adfuisse, et facies, *viridis*, et dextra pars, *atra*, sinistra vero, *lutea*, conspectae fuerint; *dimidiati* tamen icteri, a nobis nunquam conspecti (in quo scilicet *corpus hominis* dimidium, ab aurigine ita divisum fuisse legitur, ut et nasi medietas terminum agnosceret), a pluribus facta descriptio, explicatu non parum difficilis est (§. DCXV.).

Ictericorum *urinas* plerumque a bile, quod et a rhabarbari radice assumpta partim contingit, profundius flavas, bruneas, quasi a sapone admisto spumantes, et lintea immersa, quod nullo alio in morbo, ac nequidem in typho, faciunt, crocco colore tinctas esse diximus (§. CMXI.). Jam a. 1787, in clinico Instituto *Ticinensi*, secretionum, in morbis variarum, analysin chemicam instituі curavimus; quae vero tunc nova in *urinis*, vir egregius et nunc celebris chemiae in academia *Ticinensi* professor, reperiit, ea, publici juris ab eo jam facta, etsi dignissima, hîc tamen haud repetimus. Saepius autem ab ictericis, cutis, plerumque aridioris, simul pruritu affectis, post urinas vel maxime obscuras, mittuntur et aliae, quae, urinis sanorum similes, clarae, vel pallidae,

et nullo, quod lintea tingat, principio instructae sunt. Magnus omnino ictericorum numerus, post excretionem lotii vel maxime turbidi et crassi, *pruritum* cutis sibi *imminui*, — alii vero, non pauci, eumdem *augeri*, nobis declararunt. Urinas in aurigine spissas, et magis a bile saturatas, frequenter a cuticula, iridis fere colores spargente, obtectas observavimus. Sedimentum aliquando nullum, saepe furfuraceum et luteum, interdum lateritium, illae deponunt. Vasa, in quibus ictericorum urinae aliquamdiu collectae fuerunt, a pinguedine flavente, difficulter abstergenda, obducta sunt. Lotium saturatum, sub aurigine missum, citius, quam multis in morbis aliis, corrumpitur.

Majori quidem numero ictericorum, faeces esse griseas, cinereas ac, prae ariditate, difficiles, docet observatio; haud raro interim excrementorum colorem, in ictero, a sanis nec quidquam abludentem, quidquod aperte croceum, cum aliis vidimus. Quidam, sanato licet jam ictero, nulloque istius symptomate alio superstite, faeces cinereas excernere, nihilominus continuant.

Praeter haec excretionis alvinae incommoda, non pauca primarum viarum, in ictero adgravatarum, symptomata, appetitus saepe deletus, ciborum adeo fastidium, nausea, ructus acidi, ventriculi oppressio, cardialgia, hypochondriorum, inprimis dextri, inflatio, tensio, spasmi, dolores, ad regionem epigastricam extensi, praecordiorum anxietates, spirandi difficultas, interdum singultus, flatus, borborygmi, dolores colici, occurrunt.

Etsi vero ictericorum multi, febris sat diu expertes maneant; frequenter tamen iidem, vel prius, ac ad albugineam, ad cutem, in urinis, prima morbi vestigia compareant, vel mox ab ejusdem invasione, de inertia virium conqueruntur, — tristes, morosi et anxii incedunt, — horrores, calores intercurrentes patiuntur, — noctes inquietas transigunt, ac habitum cachecticum praeseferunt. Quod si vero, pro varia icteri natura, in longum trahatur hic morbus; febrem porro, ejusque pedissequa symptomata, in aurigine facile suspecta, eidem supervenire, haud rarum est.

Graphice, ut solet, *icterum nigrum* seu *melasicterum* descripsit, qui summa, pingendis in morbis, auctoritate hodiedum etiam gaudet. *Cappadociae* medicus. « Quicunque, hic inquit, *nigro arquato* laborant, in his ater color, viridi commistus, apparet; iidem frigent, imbecilli, desides, tristes, atque demissi animi sunt; tetrum odorem exhalant, gustatum amarum habent, spiritus non facile ducunt; in ventriculo morsum percipiunt; alvi excrementa porracea, subnigra, arida sunt, aegreque descendunt; urina bene colorata est, ad nigrius vergens. Ad haec, eruditate laborant, cibum detestantur; — in utrisque (icteris) corpus pruriginosum est ». Singulare autem phaenomenon icteri, quod nunquam nobis apparuit, idem hic scriptor commemorat, dicens: « Gustus (ictericis) amarorum quidem non amarus, quod mirum est, non tamen dulcis; dulcium vero amarus ».

§. CMXIV. *Symptomata specialia. — Calculi fellei. — Bilis stagnans. — Icterus calculosus. — Difficultas diagnosis. — Icterus spasmodicus. — Icterus hepaticus, et a compressione. — Icterus infantilis? — Icterus plethoricus, et febrilis.*

Atque haec sunt praecipua, quae icteri naturam et incessum *in genere* concernunt, rerum momenta! Superest igitur, ut specierum quoque auriginis potissimarum symptomata, nisi *specifica*, quae saepe non parum sunt ambigua, saltem ordinaria, et nostra quoque experientia confirmata, recenseamus.

Ac primô quidem, de *ictero calculoso* locuturi, notabimus: has concretiones vel in ipso hepatis *parenchymate*, qualem, propria in cystide, ac in steatomate, ex hepatis substantia formato, jacentem, descripsimus (§. DCLXV.), vel in *ductibus hepaticis*, *choledocho*, *cystico*, vel in *vesicula fellea*, vel istius inter tunicas, generari. Cum nulla sit pars corporis, in qua concretiones, adspectu lapidescentes, seu calculi, quondam reperti non fuerint; tales utique et in *hepate*, quod vera calculorum fodina est, reperiri, exspectabitis. Hos autem calculos, sine exceptione, *felleos* dicendos esse, dubitare nobis licebit. Externa quidem facie, quadam flavedine tinguntur omnes,

quos hepar progenuit, calculi; sed eosdem singulos a *bilis* principiis conflari, haud credimus. Huc saltem, ut opinamur, calculi crystallini, ex albo pulchre candicantes, qui nec in alcohole, nec terebinthinae in oleo, solubiles, nec inflammabiles, nec aqua leviores sunt, ut quorum et nos duo specimina, museo pathologico *Ticinensi* commisimus, et alii mentionem faciunt, pertinent. Calculis felleis fere omnibus aut pauca bilis inspissata, aut lymphae, ex praevia phlogosi, coagulum, pro centro fuit, illorumque incrementum, ex materiae *adipocereae* in felle contentae, appositione striata, crystalliformi, pendet. Hi calculi, leves, oleosi, et sine foetore inflammabiles, modo ex parte, in aqua, — potissime vero ab alcohole, ab alcali caustico, a saponis solutione, nec minus ab oleo terebinthinae, — quidquod ab oleis fixis, emolliuntur, dissolvuntur. Fere idem in illos, acidi nitrosi, et partim aetheris, effectus est; amarescit vero plerumque eorum nucleus. Materia adipocerea, his in calculis pura est, et in laminis magnis, albis, crystallinis, micaceis, splendentibus ac fere pellucidis continetur; in aliis vero flavescit, aut viridescit, atque materiae bilis magis intermista, hinc, nisi in alcohole calido prius fusa, ac denique per frigus praecipitata, minus crystallina, minusque conspicua est. Forma calculorum felleorum, ex loco, quem occupant, arctiore, ampliore, — ex mollitie, duritie diversa, varia, nec facile certa satis, ad *genera* reducenda est: minores ex illis, plerumque rotundi, saepe friabiles, plerique obtuse ac inaequaliter triangulares, alii ovales sunt. Magnitudo eorum, a grano hordei, aut a piso, ad illam ovi columbini, ac adeo gallinacci, ascendit, — in ductibus biliferis, plerumque solitarii, in vesicula fellea saepe numerosi sunt ita: ut aliquando fel ipsum exclusisse, vel, rarius, hanc cystidem, quod nos ipsi vidimus, perforasse, vel ad diruptionem usque extendisse, conspecti sunt. Quantum vel ipsi ductus hepatici, choledochus, ac cysticus possint expandi, in « Interpretationibus clinicis » nostris, exemplo delineato, ostendimus. Non ita pridem, clarus « adnotationum medico-practicarum » scriptor *Mediolanensis*, calculum, in ductu

choledocho nidulantem, descripsit: qui calculus ad ovi gallinacei magnitudinem increverat.

Calculosa dici necdum potest; sed *calculorum mater* felleorum est bilis, inprimis illa, quae, in cystide hepatica stagnans, nec unquam hunc lacum deserens, nec fellis recentis affluxu renovata, parte sui aquosa continuo resorpta, in paludem exsiccatur homini infestam. Vel sana *bilis cystica*, periodicum quasi fluxum et refluxum experiri solita, ubi per horas non multas quieti committitur: amarior mox ac lutea magis redditur, et ubi, per icteri causas, (§. CMXV.) retrogradum ad sanguinem iter suscipere cogitur; creandae auriginis partem sibi potiorem assumit. Quid igitur, ubi, ad retentionem longiorem condemnatum hoc liquidum, in atram, et piceam quasi amurcam convertitur, et ubi haec magis magisque corrupta, vel proprio flammas habitaculo admovet; vel ad cruorem transvehitur; vel, solutis tandem vinculis, in duodenum intestinum praecipitatur; vel ipsum adeo in ventriculum irruit? Nec est, cur tantum bilis, vel in ductibus biliferis, vel in cystide fellea stagnantis, resorptioni adscribamus auriginem; sed, prout *de ictero infantum* dicemus, ubicunque bili, in duodenum largiter effusae, atque hoc in canali, altera quasi in cystide, detentae, obstaculum sat longum ponitur: ibi et resorptioni ad sanguinem abundantiori, et ictero, locus dabitur. Num igitur calculi omnes biliosi, vel sponte per anum excreti, vel post mortem in intestinis reperti, ut tales, ex hepate, in ista delati, num vero in eorumdem recessibus geniti sint? nisi ipsum hepar de morbo loquatur; aliquando haud tam injuste dubitari licebit.

Non quivis certe calculus felleus, suam in hepate praesentiam adnuntiat; ac multa hominum, qui nunquam aurigine laboraverant, cadavera, has concretiones, et aliis, et nobis obtulerunt. Vir celebris, et primus ex nostris in clinico *Vindobonensi* antecessoribus, quinque per annos matronam tractavit, quae, licet *ictero* nunquam laboraverit, in vesicula tamen fellea, immaniter extensa, post obitum, plus quam mille calculos exiguos, plerosque quadrangulos, obtulit. Eximius quondam *Daniae* chirurgus, ac diarii

medico-chirurgici scriptor, reginae exemplum adducit, quae multos omnino calculos felleos, sine ictero praegresso aut secuto, excrevit. Vir ex nostris quondam auditoribus egregius, in femina triginti et octo annorum, ex phthisi pulmonali defuncta, et quae, dum viveret, de appetitu ciborum deleto, de cardialgia, de vomituritione, ac de alvi constipatione conquesta erat, quadraginta quinque calculos felleos reperiit, quin ideo haec femina, icterum unquam experta fuerit. Saepius, quam creditur, minores calculi, faecibus commisti, clandestine secedunt; et non pauci homines, nullius antehac morbi sibi conscii, conspicuos etiam ex illis, non parum attoniti, per anum excreverunt. Quotiescunque vero hae concretiones, aut majores, aut angulosae, aut asperae nimis, sub nixu corporis, sub compressione hepatis, vel ex rationibus adhuc incognitis, teneras aut ductus hepatici, aut cystidis felleae internas tunicas irritare, pungere ac, ut vias bilis angustiores sequantur, loco moveri incipiunt: toties in istis, utpote vel minoris diametri, vel spastice constrictis canalibus, immotae haerent, eosdem occludunt, sub quovis novo impulsu, hos ipsos violenter extendunt, nervos, ipsorum parietibus irretitos, potenter exstimulant, omnesque illis affines in auxilium evocant. Quod si igitur calculus, ductui vel cystico, vel choledocho impactus haeserit, doloresque in dextro hypochondrio subitaneos, acutos, scindentes, lancinantes induxerit; primi, qui, evocati, exsurgant, sunt nervi ventriculi: qui nauseam illico, cardialgiam et vomitum effrenem evolvunt. Hos motus non modo caeteri abdominis nervi fideliter secundant, ventremque omnem sub doloribus efferri tendique inducunt; sed universi quoque systematis illi conspirant, et arterias contrahi, pulsusque exiles durosque, sicut extremitates frigidas, offerre cogunt; convulsiones, anxietates, ipsamque interdum lipothymiam provocant. Interea, quousque abdominis hae turbae subsistunt, effluxus bilis, ad cutem nunc conversae, ad intestina omnis suspenditur; faeces proinde albescunt ac, aridiores, longas in crassis intestinis inducias agunt. Est vero, ubi sub tam vigorosa, unum, nec semper tam voluminosum,

in calculum actione, hic obstacula sibi opposita feliciter superet, atque nunc per ventriculum (quod magnis quondam *Germaniae*, *Galliae*, ac *Angliae* a medicis quidem, nunquam tamen a nobis ipsis, conspectum est), nunc intestinalem per tubum ejiciatur; quo in casu, restituta libertate choledochi, bilis hunc multa simul, ac alvi fluxus, colore huic similis, sequuntur. Etsi vero nunc aeger, tanto tamque arduo a labore, sudoribus diffluens, quiete sat longa gaudeat, ipseque adeo icterus e cute disparuerit; — vel quod calculum ille, ut diximus, expulerit; vel quod, exhaustis jam viribus, omnis in hunc obicem impetus omnino cessaverit; non tamen ideo completa huic misero securitas conceditur; sed certis, nec tamen exacte *periodicis*, temporibus, aut eumdem in calculum, novis ejusdem sub ausibus, aut in alterum, qui huic successerit, forsitan majorem, novi ac saepe vehementiores excitantur impetus, ac repetita bilis in sanguinem effusio. Nec idcirco mirabimur, si tantis in unum idemque viscus sub insultibus, aut cystidis felleae, quod alibi descripsimus, aut vero ductuum biliosorum, vel acutum, vel chronicum incendium, ac ipsa tandem suppuratio, gangraena sequantur. Quadraginta jam abhinc annis, diruptae, ex calculis, in parturiente femina, vesiculae felleae exemplum, non infelix, in Actis *Moguntinis* adnotavimus. Ab abscessu, ex calculis, diruptam vesiculam felleam, a. 1787, *Ticinensi* in clinico, demonstravimus. Vesiculae ejusdem diruptionem, unde fistula ad os ilei exorta est, describunt Acta chirurgorum *Parisina*.

Perdifficilis interim icteri a calculis felleis, nisi enarratorum a nobis symptomatum, simul sumptorum, consideratio succurrat, et hujus indolis concretio ab aegro jam secesserit, diagnosis est. *Periodicus* icteri decursus, sicut subitanea doloris ad hepar, ad ventriculum accessio, cessatio, haud raro et in ictero *spasmodico*, aut *intermittente*, observatur. Faciem calculoso in ictero haud semper esse luridam ac terream, feminae principis *Vindobonensis*, pro qua et nostrum consilium a. 1790 petitum fuit, exemplum nos docuit: ut quae illustris matrona, calculos jam plures excreverat felleos, cardialgia vero ac vomitu

saepius affecta fuerat, oculos etiam flavos semel ostenderat; nihilominus tamen faciem semper albam, nitidam et pulchram, genas vero colore roseo tinctas, nobis exhibuit.

Icterus in homine vel modo nimis irritabili, vel hypochondriaco, hysterico, nulla caeterum in hypochondriis duritie, aut flavedine in oculis, in facie, antehac notato, mox ab animi excandescentia, a magno terrore, summa tristitia, a rigore febrili, a natatione in frigida, a concussione aut laesione, fractura cranii, a morsu animalis venenoso, vel pro tali habito, incarcerata ab hernia, ab emesi, drastico a remedio, a colica, rheumate, vel a sola geminis humani in utero conceptione, exortus, ac secretioni, excretioni urinae pallidioris, frequentius aut plurimae junctus, *spasmodicus* audit. Hanc icteri speciem agnoscere detrectavit quidem *Angliae* medicus; frequens interim auriginis proventus, manifeste in spasmodica ductus choledochi contractione fundatur. Summus quidem *Helvetiae* physiologus, hunc ductum biliferum *irritabilem* haud esse defendit; admissa vero, nec tamen concessa, tali assertione, cum ductus choledochus inter duodeni intestini tunicas oblique incedat; quotiescunque hoc ipsum intestinum, vel a flatibus, spastice incarceratis, multum distenditur, — vel nervoso influxu diutius constringitur: oportet, ut fellis, ab hepate, hunc in canalem decursus interrumpatur; ut hoc fluidum vel ad fontem, unde scaturivit, vel ad cystidem felleam, motu retrogrado et novae, ex hepate venientis undae contrario, refluere tentet, et his in viis retenta, *polycholiam* in illis. et omni in hepate inducat, quae bilis copiosae, a vasis lymphaticis resorptioni occasionem subministret. Sic, a morte ictericorum, cum alia auriginis causa nullibi comparuisset, ductus biliosi, principales, admodum dilatati et laxi reperti fuerunt. Alterum icteri spasmodici argumentum, in venaesectionis et remediorum solventium, evacuantium, non inutili modo, sed noxio usu, — in bilis, a spasmo, vel sponte, vel per artem, cessante, effluxu ad intestina et excretione per alvum adauctis, — maxime vero in prompta auriginis, nisi complicatae, aut saepius repetitae, disper-

sione habetur. Sic *Angliam* hic icterus, sub fine saeculi decimi septimi, referente ejusdem aevi summo medico, infestavit, et post colicam biliosam, ut nominat, spuriam, subjecta laxa, debilia, irritabilia, infantes, feminas hystericas, viros hypochondriacos, prae caeteris, periodice invasit. Remedia solventia, evacuantia, venae sectio, quidquod ipsa enemata, aegris nocebant; sola vero emollientia his opem ferebant. Icterum spasmodicum, saeculi decimi octavi sub initio, in *Anglorum* exercitu, post atroces ventriculi dolores et nauseas familiarem, descripsit ejusdem exercitus celebris medicus. Maximi autem momenti *icterus infantum spasmodicus Essendiae*, anno 1772 epidemiens, est, cujus historiam clarus *Germaniae* medicus tradidit. » Haec aurigo intermittens et periodica, tenella et sensibiliora subjecta, prae aliis, invasit, et singulis remediis, aliâs in ictero opportunis, aperientibus, solventibus, evacuantibus, haud solum non cessit; sed ab istis, etsi lenissimis, aegro porrectis, morbus manifeste auctus fuit. Infantes praecipue hic icterus adoriebatur, cui, post unum alterumve paroxysmum, subinde vero tardius, dolores infimi ventris atroces, colici, sub totius corporis rigore, sese jungebant. Hi sensim ab inferioribus ascendentes, in cardialgiam desinebant vehementissimam, ad mentis alienationem, artuumque spasmodicos motus haud raro pertingentem. Brevi post, pectoris constrictio asthmatica, dyspnoea, et ominosa anxietas succedebant cum pulsu parvo, contracto, tardo et intermittente. Omnibus his, nisi scenam prius mors subitanea clauderet, socium se praestabat *icterus*, oculi albugineam, omnem cutim, foeda aurigine tingens. Non obstante omni auxilio, rebelle hoc malum, post solutum paroxysmum, in principio, brevi cessabat; dein vero diutius superstes erat, tandem pertinacissimum. Quibusdam dysuria accedebat, stranguria aliis perquam molesta, prodiensque guttatim lotium tenue, decolor et aquosum erat. Faeces alvinae, siccae, griseae, in scybala rotunda, parva, caprina, formatae excernebantur. Sudor profusus, alvique et urinae profluvium largum, quemlibet paroxysmum, semel, bis terve in die redeuntem, sol-

vebat. Ingens hoc tempore pusionum grex, libitinae cessit, praesertim e gente rustica, serius medicam opem implorante. In cadaveribus, nullum signum affecti hepatis, vel cystidis felleae, aut ductuum biliosorum visibile vitium apparebat: hinc solam cystidis ejusque excretorii ductus stricturam convulsivo-spasticam, effluxum bilis in duodenum praepedientem, icterum hunc produxisse constat. Immortalis *Italiae* » de sedibus et causis morborum « scriptor, duorum juvenum exempla refert, quorum unus, a certa animi perturbatione, — alter a terrore, ob sclopetum pectori impositum, mox deliriis et ictero affecti, post paucos dies mortui sunt. Ex magna bonorum jactura, in sanissimo, aliâs viro, icterum venisse observavit *Daniae* scriptor egregius. Icterum ex rheumate spasmodicum, *Ticinensi* in clinico, a. 1788, solius balnei ac emollientium ope, feliciter sanavimus. Icterum ex *morsu venenoso*, nos needum observavimus, atque de venenorum diversorum in corpus actione interna, parum nimis novimus, quam ut aliam, ac *nervorum* e stimulo specifico, originem huic ictero adsignare valeamus. Idem *gravidarum de ictero* judicium ferimus: qui nempe icterus, si medium praegnationis ante terminum exoritur, neque vel ex *compressione* per ampliorem jam uterum, neque ex *saburrarum*, in intestinis arctatis, distortis, collectione scaturiat, *spasmodicam ad auriginem* haud raro et ipse pertinebit. Ingentem certe auriginum, a spasmis inductarum, numerum observavimus; cum interim praescripti huic operi limites, potissimarum ex illis historias hîc tradendi, locum haud offerant, et quae hoc de argumento jam attulimus, omnino sufficiant; in aliam has, si longior vitae provectae terminus ac vires id nobis concedant, occasionem reservamus.

Jam sub *hepatitidis* consideratione (§§. CCXLV. — CCLIV.), ac in tractatu de *retentionibus mucoso-lymphaticis* (§§. DCCCXXVIII. DCCCXXXVI.), plura de cystidis felleae ductuumve biliferorum affectionibus secundariis, ac de impedito bilis ad intestinum duodenum effluxu locuti sumus; cum interim his aliqua hîc addendi nobis sit animus; lectores praevenimus: nos, huic icteri speciei, quam *hepaticam* nosologi vo-

carunt, et illam, quae a *compressione* jecinoris a partibus vicinis producitur, subjungere. Frequenter enim nimis, sicut morborum aliorum, ita et icteri culpa, in *jecur* insons, a medicis et hodiedum conjicitur, etsi hoc summae dignitatis argumentum, a magno *Galliae* medico, cui tanta jam in arte salutari debetur, in Actis academiae regiae scientiarum (a. 1777.) eximie tractatum fuerit.

Cum hepar variis in locis inflammari, suppurari, indurari, aut comprimi possit, quin exinde sequatur icterus; de illis modo jecinoris partibus hîc sermo faciendus est, a quarum affectione morbosa, bilis secretae normalis effluxus coërcetur, et aurigo producitur. Huc igitur pars hujus visceris *concava* pertinet, ut cujus a sinu, *ductus hepatici*, *choledochus*, *cysticus*, et *fellis vesicula* foventur. Uno quidem, aut altero ex ductibus hepaticis, a causa quacumque, impervio, suppleri hic potest ab alio; hoc vero supplemento, ductus tam choledochus, quam cysticus carent; et siquod cystidem felleam, in suae functionis exercitio impediat, obstaculum: non est pars alia hepatis, quae illi auxilio succurrat. Hinc tumor quivis, aut acutae, aut chronicae indolis, in horum canalium, aut in hujus receptaculi viciniis haerens, et vel illos, vel istud, mechanice comprimens, mox bilis, has per vias, effluxum intercipiet, ac eorum, quae ex retentione, stagnatione istius fluidi sequi diximus, origo erit. A steatomate, meliceride adipisque collectione circa hepar, in loco, quo vasa illud adeunt, lethalem icterum observavit vir celebris, quondam *Daniae* medicus. Quod jam (§. CCXLIX.) monuimus, non semper volumine auctum, sed parvam in molem contractum, exsuccum, aridum et, corii instar, durum hepar, ut icteri, ex ductuum biliferorum obliteratione exorti, causa, repertum fuit. Icterum ex praegrandi hepatis scirrho, a. 1785 *Ticini*, in clinico Instituto tractavimus, et hunc ultimum, illius academiae museo pathologico commisimus. Auriginem, cum dyspnoea et anxietate magna, ex hepatis tumore, viginti sex libras ponderante, lardo vetusto simili, descripsit clarus *Galliae* medicus. Icterici cadaver a. 1800 aperiri curavit filius, *Viennensis* tunc nosodochii medicus

primarius. Hepar in illo fuit scirrhosum; vesica fellea vero amplissima, et exterius, percusso abdomine, fluctuationem in ipso cadavere manifestavit. Sed ipsorum ductuum biliferorum, ac cystidis felleae, nec minus humoris retenti culpa, lumen illis proprium haud raro deletur. Membranae et cryptae mucosae, quae internam istorum canalium ac cystidis superficiem investiunt, a stimulo quocunque illis admoto, turgent, luxuriant, inflammantur, ac exitus, qui et alias corporis partes, hoc rerum sub statu, exspectant, patiuntur; nec rarum est, sub sectione cadaverum, hos ductus, cum ipsa fellis vesicula, a materia tophacea obductos, vel a calculis infarctos, vel concretos, deletos, vel diversa in sepimenta divisos, vel denique inermes, ac omni vitali influxu spoliatos, et pendulos in saccos extensos reperiri. Ductus hepaticos, choledochum, cysticum, impervios vidit amicus quondam et in cathedra *Vindobonensi* antecessor noster, post icterum ex hepatitide natum, a qua inflammatione, hosce canales, omnem per tractum, a materia solida, succum liquiritiae inspissatum referente, in aqua tamen solubili, occlusos detexit. Attentionem nostram meretur, quod hoc in aegro, sub morbi fine, alvus fuerit aeruginosissima. A tophis obturatus ductus choledochus adnotatur a « theatri tabidorum » scriptore celebri. Ab excrescentiis fungosis, hicce canalis, in ictero lethali, penitus obturatus describitur ab alio. Vesiculam felleam interdum a pluribus bilis viscidae, aut prorsus aquosae libris, in abdominis cavum adeo, ut fluctuaret, et ad os ilei protensa, abscessu haberetur, expansam, quidquod diruptam, et aliorum, et nostra exempla testantur. Vesicula fellea, immanis magnitudinis, quae in concentricos loculos, singulos bilem continentes, divisa, octo libras bilis spissioris continebat, habetur in Actis *Edimburgicis*. Cystidem felleam, ex quinque tunicis concentricis, quarum unaquaevis calculum fovebat, constantem, descripsit primus ex nostris, in cathedra *Vindobonensi*, antecessoribus. Hoc idem bilis receptaculum, unica particula vere ossea excepta, vidit alter, eamdem cathedram exornans, vir celebris. Duos in saccos divisam vesiculam felleam refert doctus *Galliae*

medicus. Plura, quae huc spectant, de vesiculae felleae morbis, in primo « Interpretationum clinicarum » volumine exposuimus, neque hîc ea repetimus; hoc unum interim meminisse juvabit: vel ipsam in vesicula fellea, ex inflammatione et calculis, *gangraenam*, late per hepatis quoque substantiam extensam, nullum tamen in aegra icterum produxisse. Sed ne majorem, quam par est, ipsos in ductus biliferos ac cystidem, malorum hepatis culpam conjiciamus, *vermes* hîc accusandi veniunt. Quamvis nempe haud paucae de vermibus, in hepatis ductibus, et cystide fellea repertis, historiae, fabulas utique oleant; quae tamen de *distomate hepatico* exempla retulimus (§§ CMV. CMVI.), ea nec recentioribus ab helminthologis negari potuerunt. Praeter ista, *hydatidum*, in ictero, per alvum excretionem salutiferam, *Danus*, « bibliothecae medico-chirurgicae » scriptor bene meritus adnotat. Plura vermium in hepate repertorum exempla, illustris quondam *Galliae* medicus, in « historia anatomica » recensuit. Celebris quondam *Italiae* medicus, *hydrophobiae spontaneae* in homine casum retulit, in cujus aegri cadavere, vermis, ductum cysticum opplens, repertus fuit. Quamvis autem et absque vermis ullius praesentia, et ex sola hepatis, in parte concava, inflammatione, hydrophobiam sponte secutam esse legamus; helminthum saltem, de quo hîc quaestio est, in ductu cystico haesisse, praedictum exemplum commonstrat. Qui obsoletas de obsessionibus daemoniacis fabulas quondam, haud sine vitae propriae magno discrimine, pro dignitate, primus, et acriter perstrinxit, clarus *Germaniae* medicus, hic etiam vermem, qui peresa hepatis substantia, capite suo usque ad vestientem externam hujus visceris, in gibba ejus parte, membranam penetraverat, commemorat. Fuerunt, qui ascarides lumbricoides, nonnisi *a morte*, ductum choledochum intrasse praetenderint; qui interim hos vermes, vix frigescente hominis cadavere, jam ipsos rigere ac viribus destitui noverit: vix ille eosdem, jam semimortuos, penetrandis hislocis tam angustis pares esse dixerit; nec symptomatum, vivente adhuc aegro observatorum, rationem aliter reddere poterit.

Ad firmum vero de ictero *hepatico* judicium, partium quoque, magno huic visceri adjacentium, ventriculi, omenti, intestinorum, mesenterii, pancreatis, renis dextri, ovarii hujus lateris, ipsiusque uteri, consideratio requiritur: ut quae partes, volumine, duritie auctae, aliquando scirrhosae, steatomatosae, suppuratae, hydropicae, suaque haud amplius sede contentae, hepar ipsum, ductus ejusdem biliferos, ipsamque vesiculam felleam, mirum in modum comprimunt, atque coarctant. Sub media mulieris salute, uterus, praegnationis jam provectae sub mensibus, diaphragmatis saepe ad arcum extensus, in hepar ejusque vesiculam, forsitan morbose expansam, ut tristi, ejusdem diruptae exemplo in Actis *Moguntinis* quondam ostendimus, despotice agit. Frequenter duodeni intestini et pancreatis durities, partem ductus choledochi, quae intestini illius inter tunicas oblique incedit, comprimendo, bilis, ut jam diximus, exitum praescindit. Sic feminae, ex ictero insanabili, *Ticinensi* in clinico defunctae, cadaver, lobi pancreatis minoris scirrhum, choledochum ductum, sibi proximum, perfecte occludentem, nobis obtulit. In alia icterica, cujus cystis fellea, summe dilatata, vivente in aegra, fluctuationem prodiderat, choledochi ductus intestinalis portio, scirrhosa, ejusque lumen prorsus deletum fuit. A pancreate indurato icterum vir celebris *Edimburgensis*, et ab hydatidibus, cystidi adcretis, ejusque ductum comprimentibus, alii, et Acta *Petropolitana*, describunt. Inter intestina, vel maxime *colon* est, quod, sub hepate ascendens, vel faeces permultas atque duriores pigrius elevans, vel a flatibus spasmodice coërcitis turgens, tam cystidem felleam, quam ductus biliarios comprimens, in gravida maxima femina, etsi antehac icteri nescia, auriginem, — a partu, et multarum a faecum excretione plerumque cito solvendam, facile inducit.

Non minus intestinorum apud foetum, a *meconio* obductio, bilis in duodenum depletionem prohibet, ac *icterum infantilem* inducit; ut igitur nulla sit ratio, cur ex hac auriginis varietate, speciem, ab *hepatica* diversam, constituerint nosologi. Est quidem, ubi, evacuato licet mox a partu hoc fomite conge-

nito, cutis tamen infantum, maxime vegetiorum, colorem, primô, rubentem, — post paucos autem dies flavescentem, induat icterumque mentiatur; ast vero nec oculi his pusionibus flavent, nec ab urinis eorum, lintea, tingens illud in ictero principium conservant: ut igitur cutis ille rubor, ac subsequens flavedo, a primo atmosphaerae in illam stimulo proficiscatur, et magis *erythema*, quam veram auriginem, quod jam *Anglus* « de morbis infantum » scriptor subodoratus est, sistat. Nec tamen ideo foetus, vix utero exclusus, atque mox aëris frigidi ambienti expositus, a *spasmis* intestinorum, qui icterum non minus producere queant, semper liber est. Quod vero ex viri illustris *Galli*, jam a nobis celebrati, experimentis elucet: quod nempe infantes, mox a partu icterici, et brevi post mortui, dum alias apud proles hujus aetatis, vesicula hepatica bile turgere solet; ipsam hanc cystidem bile fere vacuam ostenderint; quod vero his in casibus, haec bilis, in duodenum intestinum copiose effusa, et per vasa lactea resorpta, auriginem his in pusionibus produxerit; quod intestino duodeno in canibus, infra locum, cui ductus choledochus eidem inseritur, ligato, post paucas jam horas, istorum animalium oculi flavi facti sint; a morte vero eorum, bilis sincera in vasis lacteis, in cysterna chyli, ac in ductibus thoracicis reperta fuerit; — hoc certe, non modo *infantum*, sed *adultorum* quoque *icterum*, ex bile plurima, ob faeces globosas et aridas, aut alias ob rationes, collecta, in suo descensu impedita, et ita copiose resorpta, posse provocari, ostendit.

Qui sanguinis venosi ex abdomine per hepar adscensum laboriosum, — qui obstacula huic fluxui, sub nixu, cursu, clamore, cachinno, suspiriis, et pulmonum sub affectionibus variis, — ac demum qui thoracum, fasciarum, in pectus ac ventrem injurias perpenderit; non mirabitur ille, vasa jecinoris saepe cruore redundare, turgere, ac vera plethora locali, sub qua et bilis per ductus hepaticos decursus circumdatur, laborare. Hoc rerum sub statu, saepe et icterus in conspectum venit, et superaccedente a stimulo quocunque, inprimis ubi menstrua, vel hae-

morrhoidum secretio suppressa fuerit, ignis, sub cineribus dolosis latens, in flammas prorumpit, ac febris accedit, et hepatitis, vel acuta, vel chronica (§§. CCXLVI. — CCXLVIII.) accenditur.

§. CMXV. *Causae icteri. — Calculi.*

Consideratis ita potioribus icteri speciebus istarumque symptomatis, *causas* auriginis praecipuas simul exposuimus. Quemadmodum vero vel aequissimum de assertionibus aut falsis, aut saltem haud adeo certis, dubium, saepissime novi, ac haud raro crassioris, in judicio erroris mater est, quae, ut *Germanorum* proverbium haud male id exprimit, « ipsum infantem cum balneo ejicit »: ita quoque *cutis flavedinem* in ictero, non tam a bile resorpta, quam a cruoris ipsius, in vasis metamorphosi, aut combinatione, si Diis placet, chemica, aliqui derivant. Sic, eheu! hypothesis, in rebus medicis, hypothesin trudit, et montem, qui praeoccupatos ante oculos prominet, in acervi formicini favorem, arenae pro grumulo declarat. Experimenta cum sero sanguinis non minus, quam cum urinis ictericorum, etsi flavis, instituta, bilis in illis, ut aliqui asserunt, praesentiam, nec *odore*, nec *sapore* confirmant. Concludunt ex istis: quod *color flavus*, ad fellis naturam proprie haud pertineat; quod color iste, a caeteris biliosi humoris partibus separatus existere, atque hocce sub statu, absque fellis ipsius praesentia, sanguini flavedinem conciliare solus etiam queat. Haud interim semper aequalem, sub hoc seri urinarumque in ictero examine, eventum obtinuerunt chemici; sed, licet nec amarorem, nec specificum bilis odorem prodiderint et aliis haec liquida; *materiae* nihilominus *resinosae ac viridis* principia, felli scilicet propria, in iisdem apparuerunt. Atqui haec ipsa sunt, quae de facta, in ictero, bilis resorptione, illa, quae et sano in homine necessario contingit, majore, testentur, principia. Quam sortem bilis, in sanguinis torrentem suscepta, et ab isto potenter commota, subacta, subire soleat; hoc certe ignoramus; neque istam, condemnatus ad solam mortuorum analysin, nos unquam docere valebit alembicus; sed quae specificum bilis cha-

racterem *tinctorium* constituunt, principia: haec, sui vestigia cuivis mox corporis parti, tam solidae, quam fluidae, quod morbus alter, quam *icterus*, non potest, tenaciter imprimunt ita, ut nutricis ictericae *lacte*, quod non minus flavedine tinctum conspeximus, nutriri, infantes, etiam tenerrimi, qui tamen organo gustus adhuc satis obtuso instructi sunt, non sine horrore recusent. Quod si vero talis pusionum, ictericarum a lacte aversatio, de *amarore* istius haud satis testari videatur; nullo tamen alio nos in morbo, nec typho quidem excepto, aequalem a pabulo materno lactentium horrorem observavimus. Cum igitur auriginem, *non ex bile, ipso in sanguine enata, sed ex felle, ad sanguinem resorpto*, derivemus (§. CMXIII.); advertimus ultro: quod nec ipse venae portarum cruor ulla bilis indicia praebeat; et quemadmodum nec seminalis in sanguine materia deest, quin tamen, absque testibus, semen *eunuchi* habeant: ita nec materiam, quae ab hepate secreta haud fuerit, *bilem* vocabimus. Bilem *hepaticam*, ob non magnam ejus amaritudinem, producendae aurigini imparem, — obstructo ductu cystico, ubi sola bilis *hepatica* ad intestina fluit, subactionem ciborum languidam esse, — obstructiones et calculos in hepate ac ductibus hepaticis, absque ictero conspectos fuisse, — hinc *habitum* quidem *cachecticum*, sed minime icterum, sola a bile *hepatica*, posse produci, alter defendit.

Fatebimur quidem, primò, ut cutis *intense* flavcat, majorem hepaticae, quam cysticae bilis quantitatem requiri; sed gradu modo, non vero natura, icterus subflavus, ab ictero luteo, viridescente, aut melasictero differt; ac tam in uno, quam in altero, praeter cutem, et serum sanguinis, et oculi plus minus flavescunt; urinae flavo colore tinguntur, et immersa his lintea tingunt. Quod si igitur aut multa fuerit, aut longius in tempus stagnaverit bilis hepatica, amaror atque tingendi potentia et in ea augmentum habebunt. Animalia, caeterûm, quae cystide fellea carent, ut elephas, equus, cervus et alia, bile modo hepatica instructa, cibos haud minus bene subigunt. Sic etiam a solius hepatici ductus compressione, icterum progenitum fuisse constat. Omni a bile vacua,

vel solis hydatidibus, vel calculis, vel aqua plena detecta fuit cystis fellea, praesente nihilominus ictero; quidquod summus *Lutetiae Parisiorum*, jam citatus, anatomicus, ex ligatis, in canibus, ductu hepatico et choledocho, icterum illico secutum, — nullam autem, ligato ex ductu *cystico*, comparuisse auriginem, observaverit.

Cum igitur ex bilis, vel ex hepate effluere impeditae, vel in duodeno intestino copia majore coërcitae, resorptione icterum nasci diximus; variae ac inter se diversae, aut illius impedimenti hepatici, aut retentionis intestinalis causae, breviter hîc repetendae veniunt. Ad *primum* ex istis, pertinent: 1.) intestini duodeni. quo loco ductus choledochus in illud hiat, apud infantes vix utero exclusos, a multo ac tenaci meconio obductio, — apud adultos, ex cibis indigestis, glutinosis, major oppletio; 2.) calculi fellei, alii, amurca biliosa, inspissata et picea, vermes in ductibus biliariis, aut vero in cystide nidulantes; 3.) ductuum istorum, per spasmos hystericos, hypochondriacos, ex iracundia effreni, vel alia animi agitatione, depressione majore, ex vermibus, ex uteri praegnantis prima evolutione, ex cranii, vel alterius partis sensibilioris, praecipue regionis epigastricae contusione, laesione, ex frigore febrili, periodico, ex morsu venenoso, contractio; 4.) eorumdem ductuum, per congestiones cruentas, per metastases, per hepatis inflammationem, suppurationem, obstructionem, steatoma, scirrhum, per viscerum propinquorum physconiam, repletiones ac morbos, volumen eorum augentes, per uteri gravidi seriorem adscensum, compressio et subsequens concretio; 5.) vesiculae felleae, et canalium biliferorum laxitas et inertia quasi paralytica. Etsi nempe fibras musculares, saltem pallidiores, cystidi felleae antehac a multis concessas, aetas posterior negaverit; solatium tamen non minus huic cystidi, quam foetus humani receptaculo, manet: quod, sicut hoc ultimum, creditum sibi foetum, aut molam, — ita et illa bilem, aut calculos, pro ratione influxus vitalis, aut normalis, aut vero nullius, nunc arcte amplecti, vel expellere, nunc autem deserere suaeque sorti, neglecta, committere queat. —

Quod vero, *secundò*, ad bilis, sub certis animi motibus, sub extremi ac diuturni caloris, et sub constitutionibus aliis, interdum epidemicis, largius secretae, ac in duodenum intestinum tumultuose effusae, retentionem hoc ipso in canali aequo longiorem spectat: hoc partim jam exposuimus (§§. C. CIII. CVII. CCXL. CCXLII. DCCCXXIX. DCCCXXX.), partim ex illis, quae nobis de *nevrosibus*, speciatim vero de *spasmodicis intestinorum perturbationibus*, dicenda supersunt, patebit.

Cur ictericis quibusdam, objecta, quae minime flavent, hoc tamen colore praedita esse videantur? solutionis haud facilis quaestio est. Arctissima vasa sunt, quae humores oculorum aquosos secernunt, ac ea haud facile tingens bilis principium admittere visa sunt. *Galliae* ophthalmicus quondam celebris, ab effuso in aqueum humorem oculi sanguine, rubrum aegro colorem apparuisse observavit; ac simile exemplum, in *Batavia*, magno viro se obtulit, unde hic, per analogiam, ad ictericos, omnia flava videntes, conclusit. Non tamen praeceptoris opinionem approbavit dignus ejusdem discipulus: « quod nempe flavedo, ab aetate viginti quinque vel triginta annorum, in omnibus fere subjectis, incipiat tingere lentem crystallinam, ita ut, post septuaginta annos, topazinum colorem, vel saturatum succineum assumat; quod nonnisi minus vivum reddat objectorum a se visorum colorem. » Accedit *Mediolanensium* medicus illustris nobisque amicus, qui visum clarum remanere defendit, licet non pellucidissimi sint humores oculi in senum bulbis. Vidit enim humorem crystallinum falconis, diaphanum quidem, sed rubro colore leviter tinctum. — Vitrum, inquit, viride, cum albo combinatum certa methodo, reddit imaginem distinctiorem; — alius interim *Galliae* quondam medicus ocularius, lumen opposuit oculis feminae, cataracta laboranti, et sensum haec non modo habuit rubedinis; sed extracta postea lente, rubro colore suffusa, hujus, inquit, phaenomeni ratio comparuit. Rarissimis modo in casibus corneam flavescere, summus « de sedibus et causis morborum » scriptor monuit. Atqui tamen in viri, de medicina bene meriti, *Tubingensis*, dissertatione « de tunica

cornea, » exemplum refertur viduae quadragenariae, quae, per plures hebdomadas ictero laborans, non solum utriusque oculi corneam flavam habuit; sed omnia quoque objecta, flavo colore, quem non habebant, induta esse credidit. Duplicem vero observationem refert medicus Italiae eximius: femina icterica, per quatuor dies, flava cernebat omnia; sed, ab ictero restituta, veros iterum colores distinxit. Altera, sexagenaria, sponte hoc oculorum phaenomenon singulare adduxit, et a celebri *Florentiae* anatomico dissecta est a morte. Epidermis leviter tantum ad internam superficiem tincta erat, ac in aqua facile naturalem colorem reacquisivit. Reticulum malpighianum valde flavum. Nec ungues tincti erant, nisi ad internam superficiem. Cerebri velamenta, excepta arachnoidea, flava erant. In glandula pineali, flava, flavi calculi minores. Omnes membranae nervi optici, oculi, lentis ipsius capsula, humor aqueus oculi, flava erant; sed non flavus humor vitreus; non flava ejusdem capsula. Flavebat substantia dentium medullaris; licet vitrea eorum tabula alba permanserit.

Ex relatis hucusque observationibus, satis inter se disparibus, videretur quidem opinio, ictericis subinde objecta, haud flava, croceo colore tincta, ex eo comparere: quod aut humores, aut vero membranae oculorum flavescant, probabilior esse; haud interim ea, quae nobis hanc rem adhuc problematicam reddere possent, hîc celabimus. Ac *primò* quidem, et nos ipsi corneam tunicam in ictericis pluribus omnino flavescere observavimus, quin ideo visus error, locum in istis habuerit; *secundò* vero, ictericis quibusdam, quos vel alii, vel nos ipsi, hoc visus errore correptos, conspeximus, objecta non flava, *per dies, aut per horas modo aliquot*, crocei coloris esse, apparebant; tempore vero intermedio, qualia erant, talia conspiciebantur: *tertiò* demum, nobilissimus comes nosterque amicus, qui *Vindobonae*, medicinam, ex sola, qua ardet erga pauperes, misericordia, per quatuor jam lustra, tam gratuito, quam felicissime exercet, anno 1811 feminam *typho* laborantem curavit, quae femina, licet ictero nunquam laborasset; objecta tamen singula, *per duos dies*, non suo, sed flavo colore tincta esse, crediderat.

Concludimus ex istis: visus, apud ictericos aliquot, errorem, de quo hîc agitur, posse quidem, ubi iste tam constans, ac icterus ipse, est, ex humorum, membranarum oculi flavedine, locum habere; interdum vero hoc ictericorum quorumdam phaenomenon, haud satis intellecto *nervorum* in morbis diversis a *lusu* venire.

Quae concretionum biliosarum calculorumque causae praesideant? has nobis esse ignotas, candide fatemur. Nec enim ciborum pastaceorum, glutinosorum, acidorum, et casei, nec potulentorum similium, ut cerevisiae recentis, aut vini, ex austero acidi, abusus, nec primarum atonia viarum, hoc nodo solvendo pares sunt. Calculorum felleorum proventus, post annum aetatis quinquagesimum utique frequentior, adeoque copiosior in *feminis*, quam in *viris* esse consuevit: ut quinque mulieres, pro uno ex istis, hoc malo affectas numeret *Angliae*, « de concretionibus biliosis » scriptor. Atque hoc saltem, homines laxioris compaginis, vitae sedentariae magis deditos, ac in iracundiam, aut vero moestitiam proniores, has ad concretiones magis esse praedispositos, ostendit; sed aetas, conditio corporis et animi, aut ratio vivendi nulla est, sub quibus hoc malum aliquando repertum non fuerit. Bilis ex hepate effluxus quacunque demum ratione interceptus, — longior hujus liquidi, suis in receptaculis stagnatio, et aucta continuo densitas, huc maxime conferre videntur; et quae pars hujus amurcae, inter caeteras, prima inspissata fuit: haec ipsa, concretioni futurae pro nucleo est; reliqua, vel appositionis lamellatae, vel crystallisationis a legibus pendent.

§. CMXVI. *Prognosis.*

Cum aliorum morborum vix non ubique *symptoma* sit icterus; haud aliam fere iste, quam illi, *prognosin* admittit. Ipsa interim bilis, ad sanguinem facta resorptio, quo brevius, aut quo diutius duraverit; quo minus, aut quo magis, et quo profundius ea cruorem singulasque partes saturaverit; qua ratione febrem aut nullam, aut vero acutam, aut lentam, sibi sociam agnoverit; quo facilius, aut quo diffici-

lius primarii causae morbi auferri queunt; eo mitior, aut severior auriginis *prognosis* erit. Adaequate igitur *Cappadox* medicus, « Si nullius visceris calefactio evidens fuerit, inquit, plerumque sine noxa arcuatus est, sed diuturnior, si perseveraverit, atque insuper viscus inflammatione vexatum fuerit; in aquam inter cutem, et malum corporis habitum ut plurimum desinit. Plerique et sine aqua inter cutem colliquati interiere. Id malum adolescentulis juvenibusque familiare est, quibus et minus officit. Pueris autem non admodum inusitatum, non omnino tamen innoxium. » — « Difficile utique in acutis malum est icterus : quo non solum ante septimum apparens, sed etiam post septimum infinitos necavit, raro autem ad extremum febrem bene judicavit ; ipse vero haud facile discutitur. » Potiora vero prognosis in ictero momenta jam *Hippocrates* tradidit: « In ictericis hepar durum fieri, malum est. » — « Quibus in febre, septima, aut nona, aut undecima, aut decimaquarta morbus regius supervenit, bonum est, nisi dextrum hypochondrium durum sit; alioquin non bonum. » De febre biliosa inquit : « Ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens, solvit febrem ; si vero sine rigore accedat, extra temporis accessiones, perniciosus est ». — « Quibus sexto morbi die icteri fiebant : his dysenteriae (diarrhoeae) supervenientes morbum solvebant ». — Quibus in febre morbus regius supervenit ante septimum diem, malum est: nisi confluxus humorum per alvum fiat ».

Hae interim divi senis sententiae, experientiis, maxime in *Graecia* captis, fundatae, nec alibi pro infallibilibus habitae fuerunt : unde jam historiae naturalis scriptor *Romanus* se scire affirmat : « Vixisse aliquos etiam ab hac desperatione » ; et conspicuus inter *Arabes* medicus, contra *Hippocratem* monuit : « Reprobatum est experientia in omnibus nostris terris, etsi veniat (icterus) in quinto die, laudabile multum est, viva ratione et maxime in temporibus calidis : ut haec sententia collegiorum medicorum omnium *Persarum* et *Indiae* majoris ». Jam diximus vero, icterum nobis, in febribus vere *criticum*, etsi in multis hoc auriginis febrilis symptoma observaveri-

mus, nunquam obvenisse; atque dum, qualicumque die febrium, arquatus se manifestaverit, exitum nunc bonum, nunc vero funestum obtinuerimus; dicendum esse credimus: non tam *ex numero dierum*, quam *ex causae*, quae icterum acutis in febribus genuit, *cognitione*, symptomatis istius prognosin esse formandam. Perfectam *icteri calculosi* sanationem, cum facile hic morbus revertatur, ne spondeat medicus! *Spasmodicus icterus* saepe sat brevi tempore sanatur; qui tamen ex capitis laesionibus comparet, nec primos istarum post impetus disparuerit, ominosus est icterus. Aurigo, quae feminam primis praegnationis a mensibus prehendit: ea, sicut nausea, vomitusque gravidarum, nisi aut vasorum plenitudo, aut error in diaeta magis in causa sint, et aptis remediis auferri queant; haud facile tollitur. *Icterus venenoso* animalis *a morsu* exortus, deleto sat prompte morbi fomite, sanatur; nec tamen propria nobis hoc de malo experientia est. *Hepatici* icteri, cui scirrhus, vel suppuratio profundior pro fundamento est, sanandi spes nulla habetur: unde potatorum aurigo, jecinoris aut ventriculi vitio organico tam saepe innixa, praecipue si aegri, non contenti, blanda et emolliente methodo morbum deliniri, remediis potentibus resolventibus utuntur: plerumque citius lethalis est. *Infantilis* icterus sat promptam sanationem plerumque admittit. *Intermittens* icterus, nisi ex classe perniciosarum, jam neglectarum febrium, sanationem felicem promittit. Quartana febris, ictero juncta, ob latens in jecinore vitium, autumnali inprimis tempore, medici etiam experti, curam subinde eludit. *Plethoricus* icterus, nisi neglectus ac hepatitidi vicinus, depletione vasorum et victu restricto, facili satis opera subigitur. Hinc fluentes haemorrhoides, antehac suppressae, ictericis saepe salutares. Si vero hae tardius atque copiosius fundantur: easdem perniciosas fore, maxime in melasictero, timemus. Sed hoc de ictero, jam *Hippocrates* dixit: « Icterici multum defoedati, pereunt: alba dejectio iis una secedit ». Urina nigricans, vigorem morbi, — ubi vero et faeces nigrae secedunt: mortem facile indicant. Solvitur aliquando icterus per diarrhoeam biliosam, per urinas crassas, foetidas, stranguriosas, perque su-

dores viscidos, foetentes atque croceos. Accedente ictero chronico febricula lenta: marasmus hunc, tympania, et hydrops exspectant.

§. CMXVII. *Cura.* — *C. icteri calculosi,* — *Icteri spasmodici,* — *Icteri ex morsu venenoso,* — *Icteri intermittentis,* — *Icteri ex capitis laesione,* — *Icteri praegnantium,* — *Icteri hepatici,* — *Icteri graviditatis serioris,* — *Icteri, ex culpa viscerum,* — *Icteri infantilis,* — *Icteri plethorici.*

Nisi *curam* morborum fere omnium, ex quibus auriginem proficisci docuimus (§. CMXV.), hoc ipso in opere jam satis exposuissemus; longiore omnino, de ratione, huic vitio medendi, sermone hîc indigeremus; sed breviores nos esse concedunt ea, quae de *febribus gastricis* (§§. L. — LXV. XCVIII. — CXIII.), — quae de *hepatitide* (§§. CCXLV — CCL.) — quae de *impetiginibus* (*in genere*) (§§. CCCLXXIII — CCCLXXV.) ac, demum, quae de *retentionibus abdominalibus* (§§. DCCCXXVIII. DCCCXXX. DCCCXXXII.) tradidimus. Ad ista igitur, quoticscunque de icteri hac, vel illa specie aut varietate pertractanda quaestio erit, ne lectoribus, eorum haud jejunis, nauseam moveamus, provocabimus. Pauca quaedam artis praecepta, quae icterum *in genere* concernunt, illis, quae modo unam alteramve hujus morbi *speciem* respiciunt, hîc praemittimus.

Non semper absque injuria functionis corporeae, jam diu perspectae, alterius, quae noviter innotuit, celebrari et extolli solet, auctoritas. Apud Veteres, priusquam circuitus sanguinei cognitionem haberent, nisi major *jecinoris* dignitas, — saltem illa *cordis*, haud minor fuit. Tam sanguinis, quam bilis fabrica, *hepar* apud illos fuit, ipsasque animi affectiones, hoc viscus cum corde dividebat. Apud poetas, « ab amore, jecur *torrebatur* »; — « Cum tibi flagrans amor saeviat circa *jecur ulcerosum* »; — « Si in jecore aegro nascuntur *domini* (affectus) ». etc. Iracundiae, — *bilis*, — morositatis vero, melancholiae ac furoris, — *atra bilis*, synonyma fuerunt: « Jussit quod *splendida* bilis »; — Meum fervens difficili bile *tumet* jecur; — » Uxor *atra bili* percita est »; —

« *Atra* bilis curanda est, et ipsa *furoris causa* removenda » etc. Etsi vero de jure hepatico, cruorem praeparandi, in cordis favorem, recentiores plus aequo detraxisse nobis videantur; et licet, ad animi affectus quod spectat, et cordi, et hepati nimis tributum fuerit; de bilis tamen in iracundiam, et istius in bilem et hepar, imperio dubitari nequit. Quanta igitur, sub ictero, cura aegrorum requiratur, « ne fervens difficili bile tumeat, et ira saeviat ulcerosum circa jecur », vel sponte elucet. Nec minor sane tam ventriculi, et nervis, et vasis, et positione hepati consanguinei, quam canalis cibarii, ne repleantur turgeantque nimis, et jecur aegrum comprimant, aut exstimulent, custodia ictericis imperanda est. Quare et vita, in aurigine chronica, nimis sedentaria, et corporis ad anteriora diuturna incurvatio, thoracis aeque ac abdominis, angustas per vestes coarctatio, cane magis fugienda sunt.

Sicut calculorum felleorum, nisi sub alvi excretione sese jam prodiderint, incerta diagnosis (§. CMXIV.): ita et therapia perambigua est. Inscio saepe homine, concretiones tales minores per alvum secedere, jam diximus; quoties autem illae, ductuum excretoriorum diametro ampliores satisque durae sunt: oportet ut eaedem vel ante transitum solvantur; vel ut hi ductus, appellenti calculo, per omnem tractum cedant ac, satis dilatati, eumdem dimittant. Priusquam vero haec ita succedant; ductus biliarii *diametro*, vel *normali*, vel *mechanice angustata*, vel *spastice* constricta, transituro hic calculo obicem ponet. Supposito autem, has conditiones, conjectura certe magis, quam sua in sensus actione, posse distingui! requireretur, ut hi canales, primis in casibus, per fomentationes emollientes, et similis naturae per balnea, unguenta, relaxarentur; sub ultima vero conditione, ut, praeter auxilia vix dicta, per illa, quae spasmos compescant, praepararentur ad calculi transitum.

Ad *solvendos* in hepate ac cystide fellea *calculos*, multa tentarunt. Ex observatione laniorum, constabat, quod in vesicula fellea *boum*, quousque haec animalia, a mense novembris ad martium, in stabulis detenta, foenu, modo arido nutriuntur: calculi in

illis saepius proveniant; quod vero, dum pascuis armenta viridibus vescuntur, hi calculi exsulent. Hinc succi recentes, extracta graminis, taraxaci, cichorei sylvestris, saponariae, gummi ammoniacum, sales medii diversi, mercurius ipse, solvendos ad calculos adhibita fuerunt. Cum vero nec istorum, constante licet, sub usu, calculi saepius, quam et absque his remediis faciunt, ab aegris secesserint; meliora *chemicorum* solertia spopondit: et istorum experimenta, extra corpus humanum instituta, vel solo a calore intenso, hujus generis calculos colliquefactos, ab alcohole vero calido, a terebinthinae spiritu, et aethere, solutos ostenderunt. Quotiescunque interim haec ultima, suam *viventis* in hominis viscera actionem edebant: toties fere disparuerunt in istis promissa chemiae miracula; et siquid tulerunt solatii: alia haec longe, quam hermeneutica ratione, profuerunt auxilia. Tale quidem, anno 1783, in Actis academiae *Divionensis* expositum, multisque celebratum fuit laudibus, remedium. Hoc nempe ex tribus aetheris sulphurici, ac duabus spiritus terebinthinae partibus, inter se commistis, compositum; praemissis, aliquot per dies, emollientibus ac solventibus, duos ad scrupulos, horis matutinis, cum sero lactis, aut solvente decocto, porrigendum esse, docemur. In solas ventriculi primorumque intestinorum in tunicas agere hoc genus remedii, nec per ductum choledochum ad hepar, aut ad cystidem felleam usque, ita, ut, immutatum, in calculos agere queat, pertingere, certum est. Aliquando et nos hoc usi sumus medicamine; sed, ob nauseam et ob ardorem, abinde exortum, aegri modo pauci, ut illud repeterent, induci potuerunt. Terebinthinae hinc, ingrato gustui, spiritu excluso, aetherem modo sulphuricum, tincturae anodynae portioni moderatae nuptum, utiliter quidem porreximus; haud vero calculum solvimus.

Sub tanta igitur artis in solvendo calculo impotentia, nihil superest, nisi ut viae, per quas ipsi transeundum est, praeparentur; et ubi spasmi, quos vel ipse calculus, vel causae aliae inducunt, easdem angustant: iidem, his causis sublatis, sedentur. Quousque hujus morbi phaenomena, toties ambigua, haud

urgent: tutius ab omni medicina, solius diaetae indicatae regimine contenti, abstinebimus; si vero dextri hypochondrii tensio, dolor, et alia calculorum felleorum symptomata opem efflagitent: ante omnia videndum est, num sanguinis circa hepar congestio, num primarum viarum repletio, impuritas, segnities, has turbas excitaverint? ac primo in casu, ad venae sectionem, vel saltem ad hirudines, hepatis regioni applicandas, — altero, vero, ad blandam, quae alvum sollicitet, medicinam, ex sero lactis cum tamarindis, ad enema emolliens, consilium dabimus. His praestitis, cataplasma emolliens ventri imponendum, hic ipse unguento simili illiniendus, vel et semicupium ordinandum est. Quo casu haeece subsidia aegrum haud sublevant, nec tamen febris impedit; ad aetherem ac tincturam anodynam, vel ad emulsionem arabicam, cum laudani liquidi aequa portione, transibimus; et hac methodo, calculis, quousque artis medicae limites concedunt, vias pandemus. Si vero febris urgeat, et hepatitidis, a calculo inductae, symptomata subintrent; aetheris et opii usu omni seposito, sub anxia prognosi, praecepta pro illa jam tradita observabimus. De *acido nitrico* diluto, in ictero calculoso quibusdam ab *Anglis* commendato, experientiam non possidemus. A mercurio vero, ad salivationem usque porrecto, solutionem calculi, quam alter ejusdem nationis medicus vix non promittit, non exspectabimus. Quamvis autem calculos felleos et per vomitum a quibusdam rejectos fuisse, haud ignoraverimus; *emeticorum* tamen usum, ne partibus, ab illis occupatis, violentia, periculis plena, inferretur, nunquam approbavimus.

Icteri spasmodici, nisi evidenter complicati, cura, quaecunque aut evacuando debilitare, aut stimulo nervis infenso illos exasperare possent, omnino respuit. Hinc, etsi oris amaror, et nausea et vomitus, abdominalis saburrae scenam luserint; aequivocis tamen his signis nulla fides praestanda est. Ipsa adeo *resolventia*, in ictero vix non omni praescribi solita, sub tantis nervorum turbis, noxia forent. Hac igitur sub rerum positione, illa modo ex anodynis remedia, quae, parca, sed repetita frequentius, dosi porrecta, nec

palatum ingrate afficiunt, nec sanguinem nimis exaestuant, indicata sunt. Haec inter, primum sibi locum vindicat *opium*: quod viginti circiter, tincturae anodynae sub forma, guttulis, aquae destillatae, cui mucilago arabica commista sit, unciis duabus superadditum gratoque syrupo edulcoratum, vel omni horae quadrante, ad quartam sui partem, donec mitescant symptomata, porrigitur. Qui volatilibus jam satis assueti sunt remediis, neque febricitant, hypochondriacis, hystericis: sub invasione, spiritum cornu cervi, aetherem sulphuricum, aequa tincturae anodynae portione remista, guttatim, et intervallis sat brevibus, in florum chamomillae infuso, porrigimus. Praeter ista, enema emolliens, inunctio abdominis ope unguenti nervini, cataplasma ex seminibus lini, vel similibus paratum, maxime vero semicupium tepidum, administranda sunt. Remotis jam ex ano, per enema emolliens, faecibus, clyster ex infuso chamomillae, aut asae foetidae, vitello ovi solutae portione, utiliter injicitur.

De *ictero ex morsu venenoso* agens *Pergamenus Hippocratis* interpres, « Imperialium servorum quidam, inquit, viperarum venationi destinatus, cum a *vipera* morsus esset, aliquanto tempore medicamenta, quibus uti consueverat, potabat: cumque universi corporis color mutaretur adeo, ut porri colorem referret, accedens, singula nobis enarravit: cui, epota *theriaca*, quam celerrime color secundum naturam restitutus est ». Decem licet per annos in *Italia*, ubi viperarum, scorpionum morsus haud est tam infrequens, commorantibus, nulla tamen nobis, icterum, horum animalium a morsu oriundum, observandi occasio concessa fuit; solius interim ratiocinii auctoritate suffulti, remedium, claro a viro, ex salis volatilis oleosi drachma dimidia, laudani liquidi Syd. guttis quindecim, syrupi diacodii uncia una, propositum, et omni hora ad unciam dimidiam, cum infuso theano, sumendum, nos quoque, oblato in casu, arriperemus.

Ubi icterus, ut *febris intermittentis* symptoma, periodice recurrit; apyrexiae vero tempore evanescit: rarior quidem, sed a claro *Daniae* medico descripta, haec auriginis species, nisi primarum viarum per sor-

des complicata, atque ideo prius in febris simplicis naturam, per evacuationem saburrarum convertenda, secundum praecepta circa hanc febrem jam tradita (§§. XXII. — XLIX.) pertractanda est.

Qui *capitis laesionem* pro causa agnoscit, icterus; ille majorem in calvariam, et quousque laesio istius procedat, quam in hepar, attentionem exposcit. In genere, hîc frigida capitis fomentatio, hirudines, et alia, quae chirurgia suggerit, requiruntur auxilia.

Rarissima, nec a nobis hucusque observata, *aurigo* est, quae feminam, caeterum sanam, *primis a conceptione mensibus* corripiat, et eandem, quam gravidarum plurimarum nauseae ac vomitus, scaturiginem agnoscat. Sicut vero communiora haec ultima praegnationis symptomata, a nullo artis conamine solamen habere, plerasque tamen apud gravidas, absoluto dimidio fere praegnationis termino, vel sponte cessare solent: ita nec magna dissipandi, hac e causa venientis icteri, spes nobis affulget. Interim si juvenis, florida menstruisque copiosis antehac instructa mulier, a bile non parum suffusa, plenitudinis atque coloris majoris signa offerret; venae sectionem posse utiliter institui, judicaremus.

Post ea, quae de hepatitide, de suppuratione, induratione jecinoris (§§. CCXLV. — CCL.) — de retentionibus, tam in genere (§§. DCXCIV. — DCC.), quam in specie de illis abdominis (§. DCCCXXXVI.), jam docuimus, de *ictero hepatico* pauca modo nobis dicenda supersunt. Non omnes has affectiones jecinoris, producendae aurigini pares esse, ex icteri spasmodici gravidarum et infantum historia elucet; sed major saltem auriginis, maxime chronicae, numerus, ex hepatis infarctu et obstructionibus pendet. In hac igitur icteri specie, praeter externa, balnea, scilicet, saponacea, unguenta althaeae, calendulae, quibus pauca unguenti mercurialis, et camphorae portio superaddita fuit, clysteres resolventes. — interna, sic dicta, resolventia, et quae alvum blande subducant, locum inveniunt. Huc igitur pertinent: succi expressi herbarum, radicum lactescentium, taraxaci, cichorei, graminis, non crudi, sed in jusculo vitulino, aut sero lactis leniter cocti, extracta iisdem ex plantis parata,

salis medii, ut terrae foliatae tartari, tartari solubilis, et rhei tincturae aquosae commista, sapo, gummi ammoniacum, extractis chelidonii majoris, saponariae, amaro, sub forma pilularum conjuncta, calomel, aquae Carolinae, Marianae, Egranae, Pyrmontanae. Saponem, nec tam larga in dosi, ac archiater *Austriae* quondam celebris laudavit, nec longo nimis tempore, itericis, — quod eorum ventriculus plerumque non rarum langueat, et quod sapo tam facile rancescat, praescribimus. Nec a *cicutae virosae* extracto, tantis quondam elogiis ornato, vel in hepatis obstructione, el in visceris ejusdem, aut alterius, scirrho, aut carnomate, emolumentum ullum experti sumus. Quod ero a magno quondam *Angliae* medico, in ictero epatico, ad omnia rebelli, pluries satisfecit, vetulae ondinensis, ex *ovi recentis vitello*, in frigidae cyatho oluto, ter quaterve in die porrecto, remedium doestieum est. Sub usu istius, non tam solius theoae, quod scilicet ovi vitellum, saponis speciem offrat, quam experientiae viri clari repetitae, rationem ibuimus. Multum quidem, ut icterus omnis hepatis huic cedat remedio, abest; sed nullum sane aulium, de quo hoc dici non debeat, cognoscimus. uorundam aegrorum stomacho, ova haud compeut, sed ponderis calorisque sensum eidem inducunt; d, his constitutionibus exceptis, alii hoc genus alienti sat facile perferunt.

Haud raro superior arte medica, icteri hepatici causa ., et scirrhosa, steatomatosa jecinoris durities, nullo iplius solubilis remedio, exasperatur solvente ac acuante a methodo, et aegri, quod antehac serius isscut, celeriter tabescunt ac hydropici pereunt. no quidem signo, dispersa jam cutis, oculorum flaline, urinis haud amplius adeo tinctis ac tingenti-s, faeces quoque cinereum colorem deponunt, flacunt, ac ab omni oppressione liberatur regio epitrica. Sicut interim sat saepe medio sub ictero, rementa nec alba, nec cinerea, sed sanorum illis t similia: ita quoque, soluta jam aurigine, quin rbus ideo revertatur, faeces, per tempus adhuc ereae redduntur, et aliqua in regione ventriculi ttitur tensio. Has debilitatis reliquae turbas, po-

tissime amara, ut lene decoctum aut ligni quassiae, cum aqua naphae, aut trifolii fibrini, cui radix acori infusa fuit, aër rusticanus, equitatio, sensim sensimque dispellunt.

Serioris graviditatis morbum regium, ex compressione hepatis ab utero praemagno inductum, modo partus plerumque discutit; aliquando interim, apud succiplenas, congestio cruoris ad hepar, — apud illas, quae gulae indulgent, primarum viarum saburra, pro qua, ob uteri molem, vix locus in abdomine est, huic morbo ansam praebent. Investigata igitur una vel altera ex his causis: aut venae sectio, aut blandum remedium, intestina evacuans, indicabuntur. Quod si peramplo ab utero solo producatur gravidarum icterus; cum interdum ab illo non tam hepar ipsum, quam ejus vesicula, ne bilis effluere queat, comprimatur, et haec igitur, bile supra modum extensa turgeat; ne ipso partus sub opere ac sub nixibus ad illum ultimis rumpatur, quod exemplo, etiam nostro illustravimus, cystis fellea, periculum est. Non enim in omni praegnante uterus, sub fine, ut in aliis, subsidet; sed saepe, vel ob amnii liquorem quamplurimum, vel ob foetus gemellos, vel ob prolis positionem perversam, superiorem uterus in abdomine regionem, ultimum partus in diem occupare continuat, et repletae nimis vesiculae felleae pericula adauget. Ne talia contingant; nisi venae sectio, enemata saltem, partum praecedant, oportet; et ipso sub partus labore, leniter suffulcienda est regio cystidis.

Vel ipso sub partus officio, aliquando subnascitur icterus, plerumque spasmodicus, ac turbis illius compositis, mox iterum solvendus. Non aliter viscera abdominis caetera, volumine nimis adaucta, repleta distracta, hepar versus compulsa, quam ipse uterus praegnans, in jecinoris partem nunc hanc, nunc illam agunt: cujus rei exemplum illustre, de muliere, hydrope peritonaeali exstincta, adduximus (§.DCCXLIII.) De intestini duodeni, quo loco eidem et choledochus et ductus pancreaticus inseruntur, ex coalitu, induratione, calculis, istorum ductuum vitiis, locuti jam sumus; et quam incerta, quam impossibilis saepe istorum sit diagnosis, jam indicavimus; unde malorum

imilium, ante aegrorum obitum nec cognoscendorum, ec auferendorum, medelam nullam superesse, cuivis atebit.

Non tam frequentem, ac multi credunt, *infantum*, ix utero exclusorum, esse *icterum*, sed cutis flaveinem, quae apud proles robustas, a prima atmohaerae impressione nascitur, ad *erythema*, cuticuae desquamatione terminandum, pertinere, nec ocuorum, nec urinarum colorem croceum, pro comitibus abere, jam docuimus (§. CMXIV.). Atqui normalis aec integumentorum, apud infantes vegetos, brevi ost partum conditio, haud alio, quam fotus, balnei epidi, lactisve materni, nec certe vel electricitatis, ictionis, vel illorum, quae meconium evacuent, auilio indiget. Sub eadem rerum directione, si forsitan usionis transpiratio, mox a partu suppressa, spamos, — hi vero auriginem produxerint; therapiae atisfiet indicationibus. Quod si meconii retardetur vacuatio, et ex illius retentione nasci videatur icteus; enemata emollientia, et medicina blanda, ex quae foeniculi drachmis sex, tincturae rhei aquosae rachmis tribus, et syrupi cichorei uncia dimidia, radatim porrecta, sufficient.

In *plethorico ictero*, ubi haemorrhoidum, menstruoum suppressio praecesserit: sub victu tenui, hirudies ad anum, ad pudenda; aliâs, ad regionem heatis; serum lactis cum tamarindis, aut calomel; — uod si vero hepatitidis imminentis vestigia se proant; ratio medendi, huic eventui opposita (§. CCL.) adicata erunt.

ORDO VI. GENUS III.

CALCULI URINALES.

§. CMXVIII. *Instituti ratio.*

Calculorum urinalium considerationem, ab illa *felleorum*, ob magnam amborum, quoad sua principia, differentiam, consulte separavimus. Cum vero de illis hîc agendi necessitatem, praescriptus huic operi ordo nobis imponat: quo plura jam, a conspicuis aevi nostri scriptoribus, tam chemicis, quam medicis atque chirurgis, hoc de magno argumento exposita fuerunt: eo breviores nos esse, ne crambem recoctam offeramus, licebit. Quae juveni medico, illorum, quae chemia non minus, quam pathologia hunc docuerunt, haud immemori, necessaria esse credimus: illa, contracto sermone exposita, eidem hîc offerimus.

§. CMXIX. *Calculorum urinalium frequentia.*

Si concretionibus, sub forma lapidea, humano in corpore, prae aliorum animalium illo, repertis, hoc nomen satis competeret; veram illud *lapicidinam* vocari, nihil esset, quod prohiberet. Sic nulla pars, a cerebro, ad minimum pedis digitum usque, in homine est, in qua non subinde calculum anatomici reperierint; et jam ab *Hippocrate*, de *calculis uteri* mentio fit. Flebilem interim organa, secretioni urinae

raefixa, miseriarum istarum primatum obtinent. Exceis autem tum felleis, tum urinalibus calculis, caerarum concretionum lapidescentium *analysis* (quod aidem dolendum, sed simul, ob haud numerosum leo illarum proventum, excusandum est) non ea dulitate et copia, quae *generalem de calculorum gesi doctrinam* locupletare multum potuissent, hanc que in diem instituta fuit.

§. CMXX. *Calculorum urinalium natura endemica.*

Ad nos quidem, calculorum urinalium, vel hoc vel iio sub coelo raritatem, aut vero frequentiam eruere, aud pertinet; hoc interim, quanti nempe interesset, omnium regionum cultarum medici atque chirurgi, uousque, et quibus sub positionibus, qua sub aetas, sexus, ac vitae conditione, hujus mali atrocis nperium sese in quavis illarum extendat, inter se onferrent, nosocomiorum commentariis suas obserationes insererent, medicisque collegiis quotannis ommunicarent, tetigisse juvabit. Rariorem quondam principatu, tunc *Spirensi*, calculorum vesicalium roventum esse, praetendebant illius provinciae meiei; cura vero artis chirurgicae majore habita, et ostquam vir hac in arte versatus, catheteris usum uditores docuisset; mox urinales calculos detegendi, aud infrequens occasio fuit. Ad *Italiam* transvecti, bi nullum fere urbium, vel quidquam conspicuarum, osodochium, abque experto lithotomo existit; vix num ex aegris, vesicae morbo calculoso detentis, ognitioni medicorum subtrahi, admirantes, observaimus. Frequentior quidem in *Italia*, *meridionali* in *Gallia*, in *Anglia* et *Belgio* calculus urinalis, quam n *Germaniae* provinciis est; sed minorem longe istius ifferentiae proportionem dici oportuisset, si major uondam, in hac ultima, chirurgorum investigandos d calculos sagacitas fuisset. Sic ipsa in *Austriae* meropoli, cum, 25 adhinc annis, dirigendo nosocomio, uod quovis fere anno sexdecim circiter millia aegroum suscipit, praefixi essemus: in isto, vix una, vel ltera per annos, et quidem raro felici sub exitu, sucipi soluerat calculi sectio; a quo vero summus *Veetiarum* tunc lithotomus, hanc metropolim acces-

serat, nostrisque precibus, ut suam, secando in calculo, eximiam methodum, — primô quidem in cadaveribus, postea vero viventibus quibusdam dicti nosodochii in aegris, publicam redderet, amice satisfecerat; cum nostrorum quoque chirurgorum, hac in parte scientiae suae difficillima, dexteritas mirum quantum evoluta, ac major tunc temporis, vel unius, — quam antehac viginti annorum in spatio, aegrorum numerus liberatus fuit a calculis, antehac plerumque lethalibus. Non minus in *Lithuania*, priusquam Institutum clinicum pro chirurgis, in academia *Vilnensi* floruisset, rari vesicales credebantur calculi, quos nunc saepe nimis catheter, ad artis praecepta adhibitus, detegit.

Non tamen ubique expertorum chirurgorum inopia, vesicae calculos, etsi praesentes, ignorari, *Goettingensis* agri exemplo docemur: in quo scilicet, calculi renales, aut vesicales, inter omnes morbos, infrequentissimi numerantur. Ducenta et triginta cadavera humana, variae aetatis, sexus, humilis, ut facile apparet, conditionis fere omnia, summus quondam physiologus, in illius Universitatis theatro anatomico secuerat; in eo tamen numero, duo tantum in viis urinariis calculi ipsi occurrerunt. Interim, dum viae urinales ibidem servantur a calculis liberiores: longe frequentiores illinc sunt *calculi fellei*. Inter *tropicos*, in viis urinalibus nullos reperiri calculos, *Angliae* medicus, qui multos per annos illo sub coelo artem exercuit, testatur.

§. CMXXI. *Generalitas.*

Nulli vero aetati aut sexui, urinales calculi parcunt. In embryonibus adeo, quinque, sex mensium, calculos renales, pene duros, detexit *Batavus*, « de nephritide » scriptor. Vir, ex nostris in academia *Goettingensi* antecessoribus, celebris, in suo « de calculis natalibus » opusculo, duos infantes, quorum unus, duorum, — alter, octo dierum erant, sub exitu parvorum calculorum convulsos periisse adnotat. Cum vero infrequentior omnino *calculorum felleorum* in prima hominis aetate proventus sit; tenerorum infantum, calculis *urinalibus* affectorum, exempla, nec in *Anglia*, nec in *Italia* rara sunt.

§. CMXXII. *Affinitas arthritidis.*

Praecipue autem *arthritici*, calculosis a morbis de-inentur prae aliis. Jam solae *podagricorum* urinae, ognationem inter arthitidem et calculum satis mani-estant; ac in pluribus, qui podagram, ac tophos ex sta, patiuntur: et calculi renales aut alii occurrunt. Nos ipsi tamen, qui, absque labe haereditaria, per 33 am annos, a pedum dolore, quotannis fere semel, rudeliter vexamur, nullos tamen *tophos* ad illos xperti, etsi urinae, sub accessionibus, ab illis alio-um podagricorum haud differant, nulla calculorum igna hucusque dedimus. Solent autem saepius in illis, ui calculo urinali laborant, et aliis in partibus cal-uli reperiri. Eidem feminae, et per cutis superficiem, t per vaginam, et per meatum auditorium, et ocu-orum per canthos prodivisse calculos, — ab his ipsis, t renes, et hepar, et pulmones, uno in aegro, oc-upatos fuisse docemur; unde, si calculorum istorum, odem in subjecto, et intra vias urinales, et extra re-ertorum, una eademque analysis foret; non adeo oci, quam ipsius *urinae*, aut *utriusque simul*, vitio, alculos nunc hîc, nunc alibi deponi, videretur.

§. CMXXIII. *Sedes calculorum urinalium.*

Concretionum interim, quibus, absque dubio, no-nen *urinalium* competit, *sedes* est vel in *rene*, vel in *retere*, vel in *vesica*, vel in *prostata glandula*, vel emum in *urethra*. His e sedibus, praegressa suppu-atione, laesione, calculi vicinas interdum petunt, ac i illis commorantur. Sic ad *perinaeum*, a lithoto-nia, — ad *scrotum*, ab erosione, perforatione ure-hrae, — ex simili, aut ipsius vesicae femineae lae-one, ad *vaginam*, — congenita, vel diuturna, sub himosi, ex lotio, suo in effluxu, impedito, sub ipso *raeputio* interdum nascuntur calculi. Pars tamen ma-or concretionum lapidescentium, in vagina, vel im-urorum sub praeputio virorum, repertarum, alte-us, quam urinalis, videntur fuisse indolis. Calculorum rinalium, forsitan plurimorum, incunabula, in *reni-us*, et quidem in *sinistro* longe frequentius, quam i dextro, ponuntur. Fuit, qui hocce phaenomenon,

in sua « de lithiasi, sinistro reni frequentius, quam dextro infesta » dissertatione, ex venae renalis sinistrae longitudine, ejusque super aortam ingressu derivaverit: alii, majorem renis dextri a calculis libertatem, ex ejusdem, per hepar incumbens, fotu et compressione repetunt. Qua vero ex parte rationum istarum, mechanices temporis acti principiis non parum innixarum, — an vero in nulla ex istis, — et in qua demum alia, stet veritas? tam quod in rebus, a natura prudenter ita dispositis, nihil mutare queamus, quam quod, inter multa alia, et hoc nos latere, non erubescamus fateri, nequaquam determinabimus. Nec tamen a calculis ren *dexter* prorsus immunis est, et, ne de aliis loquamur, jam primus Instituti clinici *Vindobonensis* celebris antistes, illorum ultra sex uncias in eodem detexit. Utriusque etiam ureteris, a calculis manifeste renalibus, obruti, exempla, non tam pauca, renem non modo unum, sed utrumque, hujus obturationis ut causam, accusant. Utrumque, eodem in homine, renem, a calculis obsessum, nos ipsi vidimus, ac in « Interpretationibus clinicis » nostris descripsimus.

§. CMXXIV. *Volumen et pondus.*

Quousque *pondus* calculorum urinalium interdum ascendisse refertur: nisi multorum, in diversis museis conservatio id evinceret; haud videretur verisimile. In *Insubria*, egregius nosocomii *Codognensis* medicus vesicales nobis calculos, quorum major, triginta et quatuor drachmas ponderis habebat, amice (A. 1787.) communicavit. Docto *Cremonensium* medico, calculum vesicalem unciarum decem et dimidiae, debet *Ticinense* museum pathologicum. Calculum vesicalem, ovi anserini volumen aequantem, ponderosum, cujus in medio invisibilis nucleus, quoties ille movebatur, sonum edebat, conspeximus. Tres adeo ponderis ad libras et ultra ascendisse hos calculos, constat. Calculi pondus ad aquam solet esse, ut 1 : 426.

§. CMXXV. *Calculorum urinalium forma.*

Calculorum urinalium *forma*, tam ob variam *nuclei*, quo singulos, ubi serra dividuntur, pollere ob

servatum fuit, quam ob *cavi*, quo primum exorti sunt, figuram, diversa, atque nunc rotunda, nunc ovalis, nunc inaequalis, angulosa, nunc ramosa est. Quasi corrosum et perforatum in medio fere sui corporis calculum vidimus, qui vesicae in ostio positus, atque hoc ipsum claudi impediens, incontinentiae urinae locum dederat. Ab Ephemeridibus Naturae Curiosorum, exemplum magni calculi refertur: qui calculus, praeviis abdominis doloribus, per *anum* excretus, et utraque ex parte foramine instructus, plures, per forum istud, ascarides lumbricoides, adhuc viventes, transmiserat. Superficies calculorum varia, atque nunc levis, nunc aspera, nunc tuberculosa, nunc vero, summo plerumque aegrorum tormento, prorsus spinosa est. Calculo ramoso, materies albida, vel alterius, pro urinae qualitate diversa, coloris, adjicitur circa nuclei corticem spinosum: qua demum ratione, cavitas, spinis interposita, donec calculus levis evadat, atque sic miseri, hoc ipso concretionis augmento, subleventur, impletur, deletur. Plerique, sed certe non omnes, urinae odorem spirant. Durities calculi, recte sic monente magno quondam *Bataviae* chirurgo, ab ipsa urinae indole pendet, haud vero tempori debetur. Plures quidem calculi, saepius uno eodemque in cavo collecti, nec tamen, ut quondam (divisione scilicet illorum per serram non usi) credebant, in unum coagmentati reperiuntur. Calculorum *color*, pro ipsius urinae, ex qua prodierunt, conditione, non parum inconstante, diversus est: nunc scilicet stramineus, nunc profundior, — nunc ex griseo — flavescens, aliquando bruneus, vel adeo nigrescens, aliâs cretaceus, vel ex albido griseus, vel ex griseo flavescens. Vel sola calculi ex vesica educti, aetas, colorem ejusdem permutat: quam nempe coloris sortem, et ipsae margaritae dividunt.

§. CMXXVI. *Calculorum nucleus.*

Pro *nucleo* calculorum inserviunt quaevis corpora solida. Haec nempe, dum cavo vesicae animalis viventis immittuntur, ibique per aliquod tempus detinentur, mox crusta calculosa obducuntur: quae, licet urina haud sit vitiata, indies tamen augetur. Catheter

flexilis, ob mictionis difficultatem in cavo vesicae relictus, nisi ad minimum altero die educatur ac mundificetur; crustâ calculosa circumdari incipit, quae retractionem specilli difficilem, ac saepe cruentam reddit. Festucam ligni, per aliquod tempus, vesicae, ab illa perfossae, inhaesisse, atque dum, ope sectionis, educeretur, jam conspicuis calculis fuisse cinctam, idem, quem vix citavimus, vir eximius. *Batavus*, refert. Observavit hic idem, in vetulae vesica, dentem molarem, pro nucleo calculi inserviisse. Circa aciculas, globulos plumbeos, clavos ferreos, in vesica humana collectos fuisse calculos, innumera, quae hîc afferri superfluum foret, exempla testantur. Fit autem materiae calculosae appositio ad corpora solida, eodem modo, quo spathum circa belemnitem, seu radiatim versus centrum, et circulariter ductu parallelo ad superficiem nuclei. Ubi urina eamdem indolem retinet: incrementum calculi manet aequale, lentum, substantia calculi eadem; ubi vero urina mutatur; contraria fiunt, ac tam coloris, quam duritici differentia accedit. Quamvis autem cuivis calculo *nucleum*, et quidem *solidum*, concessum esse dicamus; non tamen ideo, aut *muco* aut *lymphae*, aut *grumo sanguinis* condensatis, urinarum arenulis commisto, obducto, constituendi nuclei capacitatem omnem abnegabimus. Etsi nempe multi satis calculi, ope serrae divisi, solidiorem ac fere indissolubilem exhibuerint nucleum; major tamen longe calculorum numerus, necdum ita divisus fuit, ut calculorum quorundam nucleos, formato jam et firmo satis cortice, temporis mora, posse arescere, aut in pulverem fatiscere, dubitandum esse censeamus. Saltem calculus urinalis ille, cujus, a nobis concussi, nucleum, in medio concrementi mobilem ac resonantem observavimus, tale quid indicare videtur.

§. CMXXVII. *Incrustatio.*

Quae interim concretio, vivente in homine aliquando ab urina producta solaque forma a calculo diversa, *nucleo caret*: ureterum, vesicae ipsius, urethrae, tumoris aut scirrhi vesicalis per materiae calculosae strata, obductio, illi, quae ad matulam observatur, similis, seu *incrustatio* est. Quousque nempe haec or-

gana, smegmate suo mucoso, normali, obducta sunt: eousque calculosae materiae appositioni illa resistere, — quoties autem morbosa muci secretio, aut parietum uretericorum, vesicalium, forsitan siccitas, asperitas, excoriatio, inflammatio subintrant, et urina haec ad loca, sub longa corporis quiete, detinetur diutius: toties incrustatio talis timenda esse videtur. Sic internam, vesicae non minus, quam urethrae faciem, levi crusta, quasi calcarea, omni ex parte obductam observavit illustris « de corporis humani morbosi anatomia » scriptor *Anglus*. Has interim conditiones haud ita frequenter junctas incedere, incrustationum similium raritas testatur.

§. CMXXVIII. *Divisio.*

Praematura objecti scientifici, necdum satis intellecti, in libris scholasticis *divisio*, nisi solius ordinis gratia suscepta, juventuti, inprimis medicae, vel noxia, vel saltem inutilis est. Hinc et calculorum urinalium, secundum *chemiae* veteris principia, ex causis illorum petita distributio, prorsus erronea fuit, et, quod effari gravamur, ne recentior (§. CMXXXV.) quoque claudicet, timemus. Haec etenim scientiae *hermeticae*, quamvis in multis utilissimae, sors est: ut vix non quovis decennio, comparente forsitan novi cujusdam astri lumine haud raro deceptorio; vix erecti pars major aedificii corruat, suisque ruderibus, medicum, sub tecto istius, confidenter nimis, exstructum, domicilium oppleat. Pretii haud multo majoris, alicujus tamen, calculorum urinalium, secundum eorundem *colores*, ac ratione *sedis*, quam occupant, divisio est. Nec enim *extimum* calculorum stratum, quod radios lucis vel hos, vel alios, *solum* reflectit: stratorum internorum interpres semper fidelis est; nec ultima cujusvis calculi *sedes*, ejusdem incunabulum fuit. Hoc non obstante, calculorum, quoad loca, in quibus resident, distinctio (§. CMXXIII.), pro expositione symptomatum, unicuique ex illis specificorum, utiliter inservit. Calculi urinales, maxime in familiis, quas arthritis fixa tenet, aliquando, ut haec ipsa, *haereditarii* sunt. De calculis, quibusdam in regionibus *endemicis*, mentionem jam injecimus (§. CMXX.).

§. CMXXIX. *Calculi occulti.*

Cum effectus tam crudeles calculi, plerisque in aegris, ab iisdem prehensis, exserere soleant, est sane, cur eosdem interdum *occultos* mansisse, ac modo post mortem in conspectum venisse, miremur. Talem concretionem renalem, ponderis unciarum octo, quatuor ac dimidii pollicum longitudinis, latitudinis autem duorum pollicum, *Lugduni Batavorum* conservari legimus, de quo calculo, dum vixisset aeger, nec somniaverant quidem medici. Nunquam de renum molestiis conquesti fuerant duo homines, quorum tamen in renibus, post obitum, ingentes calculos reperit magnus quondam medicus *Romanus*. Ureterem dextrum, calculo refertum, quin ulla eundem symptomata prodidissent, descripsit summus *Helvetiae* physiologus. Calculum sine ullo incommodo, per triennium, in dextro *uretere* latuisse, observat celebris *Germaniae* anatomicus; ac plura hujus indolis exempla scriptores varii adducunt.

Atque hi quidem calculi, medicorum cognitionem, ob ipsius partis, quam occupant, de illis altum silentium, fugiunt. Alia vero ratio est, cur vel molestissimi hominibus calculi, *occultatione* tutentur. Hae enim concretiones, vel in vesica urinali, vel in urethra defixae, vel *nudae*, in illis jacent, et specillo percipi queunt; vel in *cystide morbosa* nidulantur, et catheteris attactui immediato, etsi plures id negaverint, se subtrahunt. Villosa nempe vesicae tunica, et quae inter fibras ejusdem musculares proserpit, tela cellulosa, sub compressione, irritatione a calculo, consumpta, absorpta, *foveam* calculo inter has fibras offert: in qua fovea ille, mediam sui ad partem, quasi sepultus, haereat. Quod si vero, hac sub calculi, forsitan asperi, positione, vesicae sequatur vel leve et chronicum incendium; *pseudomembrana* nascitur, quae calculum, haud ita magnum, amplectatur et obvelet. Aliquando, divaricatis vesicae fibris muscularibus, calculus intermedium ac profundiorem hunc locum sequitur, atque hunc ipsum in *crumenam*, aliquando peramplam, quae calculum recipiat ac celet, extendit. Tales *vesicas lacertosas* et alia, quae huc spectant, in primo « Inter-

pretationum clinicarum » volumine descripsimus atque, adjectis iconibus, illustravimus. Princeps *Polonus*, aetatis 54 circiter annorum, calculi vesicalis symptomata diu obtulerat; urinam quoque albam, copiosam, sedimento purulento, ponderoso, mox instruendam, semper et longis ab annis excreverat. Varii, tam *Varsavienses*, quam *Berolinenses* chirurgi, hunc aegrum pluries per catheterem exploraverant, atque eumdem a calculo vesicae liberum declaraverant. Mense Julii 1804, hic princeps, *Viennae*, sub perpetuo singultu, vitae miserae finem imposuit. Sub sectione cadaveris, calculus, unciarum septem cum dimidia et drachmarum duarum, in sacco haerere conspectus est: qui saccus, a dextro vesicae urinalis latere formatus fuerat. Forma calculi erat similis pelvi renali. Utraque pelvis renalis cum ureteribus, erat ampla. Ureter sinister, diametrum, normali sexies majorem, vesicae urinalis interna superficies gangraenam offerebant. Vel inter ipsas hujus receptaculi tunicas, interna earum illaesa, calculi reperti fuerunt. Calculos duos, forti membranae inclusos, et prope sphincterem adcretos, legimus in Transactionibus philosophicis.

§. CMXXX. *Symptomata calculorum renalium.*

Quae (§. CCLVIII), de *nephritide* symptomata recensuimus: ea, excepta febre acuta, sub *calculo renali* aut majore, aut acuto, hispido, spinoso, vix non singula et ita quidem obveniunt: ut eodem jam loco, calculorum istorum phaenomena, ob magnum nervorum renalium, cum illis ventriculi, intestinorum nexum, in dolore regionis renalis, in retractione testiculi, ac in torpore, stupore, spasmo, dolore, vel et oedemate cruris ejusdem lateris consistere, breviter dixerimus. Jam ipse *Hippocrates* haec calculi, in *renibus* latentis, phaenomena, pro artis medicae aetate, in qua cadaverum humanorum sectionem, si ullam, rarissime saltem, ac non sine vitae periculo, instituі licuit, pulchre exposuit, dicens: « Dolor acutus in renem, in lumbos, in testem, ad renis regionem incidit, frequenter urinam reddit, et paulatim urina supprimitur, et cum urina arena exit, vehementem in urethra dolorem parit: cum autem ipsam cum urina

ejecerit, remittit dolor; deinde rursus in iisdem jacet doloribus: cum vero urinam reddit, colem etiam prae dolore fricat. At plerique medici, ignorantes morbum, cum arenam videant, *vesicam* calculo laborare existimant: Haec autem minime, sed *ren* calculo laborat ». Nec tamen omni sine naevo hanc divi senis decisionem esse, aetatis posterioris culter anatomicus docuit. Calculi quidem in rene, simul et in vesica degentes, enarrata symptomata utique producent; ast vero, ubi in illo tantum, nec in ista, calculi latent: saepissime nec sabulum excernitur, nec urethra dolet, vel ardet, neque colem perfricandi, persentitur ulla necessitas. In procuratore quidem *Ticinensi* (quadringenti librarum homine) et renem sinistrum, calculis refertissimum, et vesicam urinalem, sine his. arenulis gravidam, et urethrae ardorem, dolorem observavimus; sed ad vesicae ostium abscessus, qui hos ultimos produxerat, latuit. Saepenumero sabulum in urinis copiosum absque ullo renum calculo conspeximus.

Nec tamen hoc diagnosis calculorum renalium, ex defectu arenarum in urinis, obstaculum, solum est, quod eandem saepe, praesertim ubi nullus unquam calculus excretus fuerit, reddat ambiguam. Non tam raro nempe lumbago arthritica, effectus, ab illis calculi renalis haud multum abludentes, exserit, ac urinae, hoc sub morbo, copiosas simul arenas deponunt; nec dolores, in omnibus, solos ad lumbos limitantur; sed aliquando et ureteres infestant. Sic vir celebris hominem, antehac fere semper ab arthritide vexatum, vidit, qui, octo per dies continuos, dolores in lumbïs vehementissimos persenserat, secundum ureterum descensum ad inferiora tendentes, urinas vero summe mucosas excreverat. Hunc vero aegrum, quasi spasmo arthritico ad musculum psoam laborantem, simplici anodyno ille feliciter restituit. Plures hujus indolis observationes, notatu dignissimas, in viri quondam illustris ac nobis amici dissertatione « de materia arthritica ad verenda aberrante », *Goettingae* (a. 1785.) exarata, quem libellum in « delectu opusculorum », *Ticini* recudi curavimus notisque propriis instruximus, legetis.

Oportet igitur non modo in unum, et hoc, ob-

scuro saepe, in morbo, symptoma, sed in plurima simul, praecipue vero in causas praegressas, fiduciam collocari. Inter illa, *nauseae* eminent ac *vomitus*, quem renes, a calculo vexati, prae irritatione ex lumbagine sola, in pluribus excitant. Eodem vero, vel et solius arenae, ex albo rubrae, copiosioris influxu, et spasmi, et atrocissimus intestinorum dolor, quem *colicam nephriticam* vocarunt, exoritur. Quibusdam, hacce sub colica, ex alvo mucus tenacissimus, albus et quasi lacteus, aut puri remistus exprimitur; aliis vero alvus pertinaciter supprimitur. Dolor vero ille extremus, a calculo renis inductus, continuus, stabilis, et uni loco affixus est. Cum rarum sit, utrumque renem simul eadem a causa affligi, quo tristi sub casu, perfecta *urinarum suppressio* nascitur: in una parte lumborum, qua scilicet calculus residet, magis urget hic dolor. Aliquando decubitus hanc in partem, dolorem mitigat; in contrarium, adauget. Sub summo a calculis tormento, urinae pellucidae, aquosae minguntur. Hoc vero sub cruciatu, lateris affecti *testiculus*, abdominalem versus annulum *retrahitur*, ac ejusdem lateris in *crure*, rarius in utroque (tam a consensu, quam a compressis, tumentes per renes, musculis, *psoae* sub nomine cognitis, per quos, nervos lumbales, ex quibus dein crurales exsurgunt, descendere novimus) *torpor*, aut *stupor*, aliquando et *dolor*, nascuntur. Quod si vero aeger, intervallo, quo symptomata mitius saeviunt, vel ab ingrato animi affectu, vel curru super strata saxosa, inaequalia vectus, corpore concutiatur: dolor mox insignem ad gradum recrudescit, et non raro *mictus*, sub illo, *cruentus* insequitur. Vir *Ticinensis*, quem a. 1786, calculo renum laborantem tractavimus, dum corpore erecto, urinas excerneret: eas, primò quasi *lacteas*, tardius vero *claras* mingere, — ubi autem supinus et in dorsum decumbens, lotium redderet: non lacteum illud, sed *pellucidum* solvere solebat. Saepe interim urinae, sub calculis renalibus emissae, post aliquam in vase quietem, sedimentum album, puriforme, tenax et graveolens deponunt. Omnis vero symptomatum, hucusque recensitorum, congeries, calculi renalis praesentiam eo magis denotabit: si neque ab haemorrhoidali, neque

ab arthritica affectione, partem illorum majorem vindicari, suspicio fuerit, ac ubi *foetor urinae specificus*, suum diagnosi sigillum impresserit.

§. CMXXXI. *Symptomata calculi ureterici.*

Post ea, quae de *retentione urinae ureterica*, et de causis ejusdem, in sexti hujus operis libri parte I. §. DCCLXVIII, ac praecipue in ejusdem libri parte II. §. DCCCXXXIX, jam docuimus, atque post nostras, de eodem argumento, observationes ac epicrises, » Interpretationum clinicarum » volumini primo insertas, de *calculorum uretericorum* collectione, descensu, et symptomatis, retulimus, nisi ingrata et inutili jam dictorum repetitione utamur, nihil fere nobis dicendum superest, et paucis monuisse sufficiet: quod, ubi ex renum infundibulis, in pelvim renalem, ac ab ista, in ureterem, plerumque majore sub corporis nixu, transit calculus: dolores fere intolerabiles, ductum ureterum sequentes, horrores, spasmi, singultus, vomitus, retractio testis, torporque cruris plerumque observentur; quod, utroque uretere, ut jam « Acta physico-medica naturae curiosorum » adnotarunt, ac aliquoties nos ipsi conspeximus, obstructo, et urinae in vesicam descensu intercepto: hoc ipsum lotii receptaculum, immisso cathetere, reperiatur vacuum et, nisi calculus simul in istis resideat; nullus fere mingendi stimulus aegrum divexet; et quod ad latera vesicae, ubi inter hujus membranas ureteres oblique in cavum istius aperiuntur, majore calculis opposito obstaculo, hi ipsi canales interdum ad ovi diametrum dilatati, anatomicis se obtulerint. Atque a calculi istius, inter vesicae, ureterem recipientis, membranas detenti, nulla chirurgo, per catheterem, perceptio conceditur. Virginis sacrae, nobilissimae, *Cremensis*, cui ureter sinister, peritonaeo adcretus, a calculo ita perfossus fuit, ut, nato abscessu, per abdominis musculos viam sibi aperuerit, exemplum jam alibi retulimus.

§. CMXXXII. *Symptomata calculi vesicalis,*

Calculi vesicalis symptomata, cum saepe morbi, ab illis prorsus diversi sub signis iisdem incedant; nisi

per catheterem confirmata, sine exceptione ambigua sunt. Quo plura interim ex illis inter se conjuncta se offerunt: eo major latentis in vesica calculi nascitur *probabilitas*. Principalia inter haec symptomata sunt: dysuria frequens, periodica, vel continua fere mingendi cupiditas; pruritus ac dolor ad glandem penis, vel ad praeputium, ita ut aeger colem mulgendo continuo pertractet. Huic pruritui, vel durities membri, absque erectione penis copiosiore, et pollutiones nocturnae accedunt; dolor vesicae ac in regione pubis; urinae, apud viros, nonnisi corpore ad anteriora inclinato, vel decussatis cruribus, facilior quidquam excretio; frequens urinae stillicidium; urina nunc alba, aquosa et pallida; nunc vero rubra, sub ardore excreta, et sedimento mucoso, tenaci, crasso et longos in filos ductili; foetor hujus sedimenti, nec minus urinae ipsius, aliquando mox ab emissione alcalinae, summe nauseosus ac fere specificus; subitanea interdum urinae, inter mingendum, suppressio; ponderis ad perinaeum, molesta et fere continua sensatio; desidendi conatus frequentior; sed alvus globularis et parca; nausea saepe rediens, et inanis ad vomendum inclinatio, aut vomitus ipse. Corporis positio frequentior, et motus ejusdem erectus, fere continuus, ad formas calculi, in vesica contenti, non parum contribuere videntur. Quamplurimi enim cystidis urinalis calculi, extremo uno, versus ostium vesicae, et quidem ita inclinant: ut, inaequali ratione ibidem aucti, haud raro in ipsum hujus visceris collum, — aliquando vero prostatarum in sinum, penetrent, et ostiorum uretericorum vestigia retineant. Calculos renales, post suum in vesicam descensum, aut calculos, in ipsa vesica exortos, haud semper mox tam *duros* esse, ex eo deducimus: quod, ubi plures hoc in receptaculo sibi vicini haeserint calculi; vel in uno, vel in altero ex istis, *fovea* conspiciatur, ex cujus praesentia, extracto tali calculo *socium* in vesica fuisse, eumdemque adhuc in vesica latitare, satis tuto concludi potest.

§. CMXXXIII. *Symptomata calculi prostatici.*

De *glandulae prostatae* morbis potissimis (§. DXXXIV.

§. DCCLXX.), maxime vero (§. DCCCXLIII.), ac in prima « Interpretationum clinicarum » parte, jam egimus; calculorum tamen hoc etiam in organo repertorum, mentionem, brevem licet, nec experientiae nobis propriae innixam, hunc in locum reservavimus. Frequentius, absque dubio, sicut aliis secretionum et excretionum in organis, ac ipsa seminali in vesicula, si magis sollicita foret anatomica eorum, a morte, investigatio, reperirentur calculi. Hos, a pluribus quidem repertos, et in dissertatione *Lipsiensi* « de prostatis calculo affectis », jam a. 1737 descriptos, accuratius nuper in *Anglia* exposuit ac, iconibus adjectis, illustravit, vir optime meritus et « Historiae calculorum chemicae » scriptor *Genevensis*. Cum vero diversae calculorum prostaticorum analyses haud inter se conspirent; dubium, num scilicet hi calculi omnes, suam *urinae* (prostatam, proprio urethrae in canali, modo praeterlabenti) originem debeant? nobis permittimus. Exigui ac fere lineares, aliquando pisiformes, vel et nucem avellanam aequantes fuerunt calculi, hac in glandula (et quidem mox in lobulo laterali, vel uno vel altero, vesiculae in speciem dilatato, — mox vero in ipso prostatae parenchymate, membranula propria obvelati) ab anatomicis reperti.

A prostatae tumore quovis alio, canalem urethralem angustante, nemo facile, in homine vivente, illum, qui ab his calculis pendet, distinguet. Quod aliorum experientia hucusque docuit, est: quod nulla interdum, hac a causa, nisi plures fuissent calculi, in viis urinariis difficultas exorta sit; quod vero aliis in casibus, haec utique major, vix interim alia, quam illa, quae prostatae morboso volumini adscribi potuisset, observata fuerit. Sub urethrae laesione, sub excoriatione ejusdem, vel sub ulcere venereo, aut alio, quo loco hunce canalem suscipit prostata, exortis, vel per ductus istius excretorios, ubi urinae effluxus hoc in canali obstaculum experitur: lotii in glandulam prostatam infiltratio, et calculi ex isto generatio, facile concipiuntur; ac tale quid in viro bajulo, cujus urethram, violento sub coitu, in prostatae vicinia, laceratam fuisse, ac urethrorrhagiae ominosae ansam dedisse narravimus (§. DCXXXVII.), locum habere po-

tuisset; quocunque interim alio, urethrae illaesae, in casu, calculorum ad prostatam glandulam genesin, *urinalem* vix esse, suspicamur. In genere, glandulae prostatae forma vitiosa, calculorum in vesica diagnosin difficilem reddit.

§. CMXXXIV. *Symptomata calculi urethralis.*

Ad forum magis chirurgicum, quam medicum, calculorum, tam *prostaticorum*, quam *urethralium* symptomata, diagnosis et therapia pertinent. Quam facile autem ab inexpertis chirurgis, et hoc urethralis genus vitii praetervideatur: ex laudati « Historiae calculorum chemicae » scriptoris relatione, urethrae scilicet calculum, pro ejusdem canalis *strictura* habitum, ac lapidis ope infernalis pertraetatum fuisse, docemur. De calculis, qui, aut e vesica urinali expulsi, aut ipsa in urethra nati, utroque vero in casu, a praeterfluente lotio indies aucti, hoc in canali, maxime *virili*, utpote, prae muliebri, longiore magisque angusto ad longas interdum miserias, stagnare ac defigi solent, jam §. DCCLXX. hujus operis egimus. Effectus peregrini, durioris, ac saepe asperi hujus corporis, ductum humoris acrioris excrementorium plus minus obturantis, praevideri haud est arduum: dolor nempe canalis tam sensibilis, ab extensione, aliquando summa, crudelis, inflammatio ejusdem, interdum suppuratio, parietum sacci urethralis morbosi, major densitas ac, praevia urinae, in ipsa vesiea, hinc et in ureteribus, et ipsis in renibus, retentione, subinde gangraena. Sub casu suppuratae, aut diruptae urethrae, calculus viam morbosam, saepe fistulosam subintrat, et ipsum in scrotum nonnunquam delabitur. Calculi urethrales, nisi antea expulsi. excisi, insigne aliquando volumen acquirunt. Inter plura hujus eventus exempla, quae exstant, modo pauca hîc adducimus: ad ovi gallinacei magnitudinem adscenderat calculus, quem incomparabilis « de corporis humani morbosi anatomia » scriptor *Anglus*, in urethrae sacco ampliore et condensato haerentem, detexit. Quinque unciarum, drachmae unius et dimidiae pondus habebat calculus, urethrae infixus, quem alio a medico repertum fuisse legimus. Calculi, uncias novem ponderantis, *Wittembergae*, a

puero, ex perinaeo ac scroto exclusi, exemplum refert dissertationis, « de insolita calculi ingentis per scrotum exclusione » scriptor. Exemplum duorum calculorum, ex parte in urethra, ex parte in vesica haerentium, atque per sectionem, super calculos factam, cum catheter applicari non potuisset, extractorum, narratur ab alio viro egregio. Ex urethra *feminae*, magnae molis calculos sat facile excretos, vel, absque artis chirurgicae tanto labore, extractos fuisse, ob illius canalis brevitatem non minus, quam diametrum majorem, haud adeo mirabimur; sed *virilem* etiam urethram, calculis, ad magnam satis molem adauctis, viam, quam vel sponte permearent, aperuisse: hoc certe fidem, nisi experientia et istud docuisset, vix non omnem superaret. Qui manu inexperta et rudiore catheterem urethrae intrudunt, chirurgi, ac eamdem non modo sauciant; sed aliquando quoque perfodiunt, ac specillum per vias non suas aberrare cogunt: ii has ipsas non minus urinis aperiunt, ac non modo fistulis, sed concretionibus quoque ex lotio, et quidem extra parietes urethrae, occasionem porrigunt. Primo quidem adspectu, impedimentum urinae, ex urethrae calculo natum, pro hujus canalis *strictura* haberi facile poterit; sed accuratiore sub examine, tam ex gradu doloris, haud sola urinae allisione ad locum semper eumdem recrudescentis; quam ex tumoris durioris ratione, nec minus ex specifico specilli, sub attactu calculi, sensu, rectior eruetur diagnosis.

§. CMXXXV. *Catheteris ipsius fallacia.*

Cum vero, nisi jam calculos aeger cum urinis excluserit; omne de illis judicium, ex signis hucusque expositis petitum, ambiguum esse monuerimus, ac soli *catheteri*, de calculi, in vesica urinali praesentia pronuntiandi, auctoritatem concesserimus; ne tamen huic digito metallico fiduciam aequo majorem adjudicemus, illa, quae (§. CMXXIX.), de *calculis vesicae occultis*, et (§. CMXXVII.), de *incrustatione* membranae illius, ac urethrae internae, jam diximus, in mentem revocanda sunt. Exempla hinc et nobis aliqua ipsius lithotomiae, ex nimia in catheterem fiducia, quin calculus vel unquam exstitisset, a viris, hac licet in ope-

ratione haud parum versatis, susceptae, nota sunt. Frequentior interim catheteris in eo latet vitium: quod ille, quamvis repetito applicitus, a calculo, nulla licet in cystide aut crumena vesicae, aut inter istius parietes sepulto, saepe aberret aegrisque securitatem, qua semper carebunt, promittat. Apex scilicet catheteris, monente jam praeclaro quondam *Bataviae* chirurgo ac « demonstrationum anatomico-pathologicarum » scriptore, in vesica circa calculum arcte constricta, quae, dum in altum ascendit, calculum simul secum elevat, *infra* hunc ultimum facile procedit, atque vesicam protrudens, quominus illum distincte percipiat, impeditur. « Sic et calculus, praecipue in sexu potiore, in sinu posteriore, — sequiore vero, praesertim ubi magna est vesica, in lateratibus hujus visceris cavis haerens, specillum facile fugit. Summa hinc jubet necessitas, ut, sub calculi vesicalis suspicione, non solius catheteris, sed digiti simul, per anum, aut per vaginam explorantis, utamur testimonio. Est etiam, ubi calculus vesicae, minoris adhuc molis, vel prurimo tenacique a muco circumvallatus, catheterem evitet.

§. CMXXXVI. *Calculorum causae. — Pathologia veterum de calculis. — Experimenta chemica. — Theoria aliorum. — Causae calculorum remotae, — Proxima.*

Terrent nos vestigia illorum. qui, aevo suo, in *causas calculorum* inquirendo, pro omni laboris peracti praemio, nisi jam filiorum, — saltem nepotum illo, vel commiserationem, vel risum moverunt. Ad *externam* testaceorum, ostrearum, limacum, cancrorum, protectionem, provida mater, natura, *succos*, ad operimenta et quasi scuta, vel periodice, vel pro necessitate formanda, reparanda, secernendos, — ad animalium majorum ipsiusque hominis fulcrum *internum*, trabes osseas, ad confringendos, conterendos cibos, cuneos, his fulcris duriores ac fere adamantinos, illis ipsis e succis, qui solida semper mollia efformant, generandos indulsit. Quod si vero haec ipsa, vel uno, vel altero animalium in genere, modo inverso absolvantur; ac margarita in ostreis, aut concretio, ossibus affinis,

lapidescens, in hominis visceribus generentur; morbus est. Atqui, cum nec *physiologi* quidem secretionum normalium, uno eodemque ex fonte, tam diversarum, rationem reddere queant; — quid *pathologorum chemicorumque* a ratiociniis, aut experimentis, omni ex parte ambiguis, exspectandum sit, cuivis patebit. Vel ipsa ossa, partes solidae molles, in rachitide, syphilide, scorbuto, emolliuntur, morbose solvuntur, ac vix non diffluunt; nec istius quidem phaenomeni rationes intelligimus; — intelligendi tamen conamen laudabile est.

Hoc zelo jam *Hippocrates* animatus, calculorum causas in lactis, aut casei vetusti abusu quaesivit. Animalium testaceorum, ut quorum succi lapidosi sint, ingluviem, — aquas, terris calcareis, spathosis, quarceis, multum praegnantes, potusque acidos, austeros, a quibus urina saturata magis et acrior generetur, accusarunt alii. « Nullum zythopotam, — oenopotas plurimos, a se ob calculum sectos fuisse, celebris quondam lithotomus, — oenopotas *Armenos*, calculum pati, quo *Persae* hydropotae, immunes sint, clarus *Galliae* geographus, testantur.

Haec argumenta, illustris quondam *Londinensis* medicus confutare adnisus est, monens: *animalem materiam* esse calculos, hinc minime aquis, calcarea, vel alia materia terrea impraegnatis, hoc posse adscribi. Ac revera, nec *Bado-Badenses* aquae thermales, quae omnes canales, per quos fluunt, crusta terrea densiore obducunt, et quas tamen ab harum incolis, ad coquendum, et ad ipsum etiam panem conficiendum, quin ideo calculis laboraverint, adhibitas fuisse, per annos nos ipsi vidimus; — nec aquae *Carolinae*, quae tubos ligneos non minus incrustant, calculos generant; nec demum aquae *Goettingenses*, quae tamen spatho omnes scaturigines inficiunt, aut renibus, aut vesicae inimicae sunt.

Non tamen *animalis* tantummodo *indolis* esse calculos, ex eo judicavit clarus *Angliae* medicus: quod nempe illi *terram absorbentem* saepe in se contineant; quae terra in corpore animali haud producatur; sed per potum et cibos ingeratur: cujus copiam scilicet *aquae*, sic dictae, *durae* habeant. Calculos vero haud

raro *terrae calcareae* participes esse, experimentis institutis comprobare, idem hic scriptor conatus est. Non prorsus improbabilem hanc opinionem fuisse, ex eo quoque deduci poterat: quod illud ipsum, quod *materia animalis* vocatur, non aliunde, nisi ex illis veniat, quibus nempe vescimur; licet variis oeconomiae animalis praeparationibus ita mutata sit calculorum materia: ut aliis a terris videatur differre. Hoc etiam hujus viri opinioni favere, videri posset, quod, sicut alios ad morbos, — ita et producendos ad calculos, *praedispositio* requiratur; et quod in illis etiam regionibus, in quibus *endemici* sunt calculi; numerus tamen incolarum vel maximus, quaecunque causa generalis endemico calculo subfuerit; immunem a calculis vitam degat. Si aquae similes, haud similem ubique effectum ediderint; ab alia vivendi ratione, causam eamdem reddi hîc inertem, alibi activam, notum est. Quod si etiam *calculi renales*, apud *Hannoveranos* rariores sint; non rari tamen apud illos *calculi fellei* sunt. Quamvis nempe haud exigua, inter istos et illos, intercedat differentia; calculosi tamen homines, ex una eademque praedispositione, utrosque facile calculos producunt. Accedit his et istud: quod illa ipsa, quam *animalem* appellant, materia, et ex qua, maxima ex parte, calculi constitui dicuntur, per urinas iterum ablegari soleat. *Vehiculum* vero illud, quo hanc terram animalem, ab ossibus solidisque a partibus abrasam, absorptam, suscipi, ac ad vesicam deferri oportet, in *aqua* consistit. Sinite nunc hanc aquam, particulis terreis jam nimis abundare! poterit illa omnino ex hoc jam minus apta videri ad materiam illam animalem in se recipiendam, et per urinas evacuandam. Omnes certe aquae *durae*, quae multum terrae continent, *legumina*, quae in iis ebulliunt, vix solvunt satis et coquunt; dum aquae *molliores*, ut dicunt, hoc opus longe perfectius absolvunt.

Fateamur interim, quod, jam ab anno 1776, per summi tunc temporis chemici *Sueci* industriam, singulae, de generatione calculorum hypotheses antiquae prorsus corruerint. Nostri haud est, viri illius clari, mox confirmatam ab altero, ejusdem nationis, chemico illustri, doctrinam, utpote ab aliis jam satis repeti-

tam, in longum hîc exponere, sufficitque breviter notasse: quod *acidum* ille urinalibus hominum in calculis detexerit, quod *lithici* nomine ab eodem insignitum, mox *urici* illo (jure, ut et nos opinamur, haud magno, cum et in tophis ad *arthriticorum* articulos nasci solitis, nec certe ab urina productis, hoc idem reperiatur acidum) donatum fuit. Hoc igitur acidum peculiare ac fere indissolubile, ab illustri quondam *Galliae* chemico, ejusque, haud minus bene merito, a socio, pro vero *acido borussico*, a quo scilicet, solius hydrogenis et oxygenis copia minore differat, declaratum, nullam in calculis concretionem *terream*, ut vulgo credebant, agnoscere ac, sali ammoniaco junctum, calculos constituere, definitum fuit. Ipse interea *Sueciae* chemicus alter, quamvis detectum *acidum lithicum* pro frequente calculorum principio admiserit; concretiones nihilominus urinales haud paucas, quae modo in *phosphate calcareo* consistant, reperiri observavit. Qui jam anno 1797 hanc speciem calculi, a *lithico*, seu *urico* diversam, perspexit, celeberrimus *Angliae* chemicus fuit: ut cujus experimenta circa vesicae calculos felicia primatu suo spoliasse, accusatus fuit vir quondam eximius, nec certe alienae indigens gloriae. Praeter haec acida vero, *lithicum* scilicet, ac *phosphaticum*, tandem et *oxalycum* et *oxydum vesicae*, aliquando formationi calculorum intervenire, — haec singula etiam acida, praeter albuminis et muci, condensatorum, materias, ut quae pro vinculo inserviant, nunc *ammoniam*, nunc *calcem*, nunc *magnesiam*, nunc autem *silicem*, sibi pro basi eligere, — quidquod vel unius ejusdemque calculi diversis in stratis, interdum coire, repertum fuit. Continuatis interea chemicorum laboribus, hanc usque in diem, calculorum urinalium species inter se diversae, ut ex viri eximii *Genevensis*, « Morborum calculosorum historia chemica », *Londini*, a. 1819 edita, comparet, praeter paucas alias, necdum satis perspectas, non minus, quam *novem* descriptae suisque characteribus insignitae fuerunt. Atque haec nobis, quantum, in cognitione calculorum, experimentis *chemicorum* debeant medici, quantum vero simul inconstantiae et hujus doctrinae principia patiantur, laconice hîc loci monuisse, ne

opus hoc nostrum, jam adeo extensum, luxuriet, sufficiant!

Jam fere quatuor abhinc lustris, *Angliae* medicus conspicuus, in opere « de calculorum origine atque principiis », theoriam de his concretionibus aliam, quam *chemicam*, nec certe tam inconcinnam condidit, quin illam, decem post annos, vir *Germanus* et chemicus celebris, in suo « de Pathologia enchiridio », arriperet, suisque ratiociniis ornaret. Partem ille, in calculis formandis, modo exiguam, saepe adeo nullam, *urinas* sibi assumere; sed vix non omnes hujus indolis concretiones, ex *membranae mucosae viarum urinalium secretione morbosa*, per stimulum, nunc hunc, nunc illum, hîc omni vesicae, illinc modo parti istius, illatum, inducta, pendere defendit. Istius doctrinae rationes petuntur ex calculis, inter parietes ureterum, vesicae, in glandulae prostatae parenchymate, vel in saccis, appendicibus cystidis, quousque urinae haud penetrant, nidulantibus, — ex tanta hinc inde vesicae incrustatione, ut illi, absque laceratione, ab ista separari haud queant, — ex vesicae irritatae effectibus, stimulo illius specifico, v. gr. arthritico, similibus, nec obsoletam *metastasis* per hypothesin amplius interpretandis, — ex calculorum symptomatis, non solo a pondere illorum, sed organorum simul urinalium a statu morboso derivandis, — ex lithotomiae, errore diagnosis, quin calculus adesset, institutae, ac nihilominus aegris proficuae, quibusdam exemplis, — ex eo, quod alcali causticum, haud paucis, qui calculos numquam excreverant, aut quorum calculi, forsitan excreti, nullum solutionis vestigium exseruerant, profuerit.

His vero argumentis adduntur et alia: quod scilicet *albuminosa*, quae nullibi corporis deest, *materia*, superaccedente eidem *oxygenio*, indurari ac in calculum converti facillime queat; — quod phosphorus, ex albumine, hydrogenio remisto evolutus, oxygenium vero albumini maxime infixum, concretionem promoveant, et quod causae calculorum remotae, maxime in *mucosis* abdominis et viarum urinalium congestionibus, apud infantes, senes, apud homines, vitae sedentariae deditos, valetudinarios, arthriticos,

haemorrhoidarios, scrophulosos, obstrictioni urethrali, tumori prostatae, indurationi, aut ulceri vesicae subjectos, consistant.

Etsi vero haud solas ad *membranas mucosas* restringatur calculorum generatio; ac licet paucae concretiones hujus indolis, suae scaturigini arcte adhaereant; nec multi, sicut praetenditur, calculi absque nucleo reperiri soleant; plura tamen sunt, quae nobis, *morbosae secretionis effectu calculos nasci*, opinionem obtrudant. Corpus scilicet quodcunque peregrinum, cavo animalis viventis vel huic, vel illi (quin de *vesica urinali* hîc loquamur) aut casu, aut arte intrusum, nisi promptius extractum, expulsum; post pauca minuta, ab humore, in coagulum prono, quem id ipsum, novi hujus hospitii vivis parietibus inimice elicuit, expressit, in istorum defensionem, cingitur, involvitur. Continuatis in longum injuriis, novae humorum albuminosorum copiae trahuntur in subsidium, novumque hosti infenso, nisi hic aedes, quas occupat, incendio destruxerit, vallum circuminjicitur. Hac igitur ratione suffulti, haud alia *urinarias*, quam alterius generis *concretiones*, nasci supponimus; ac sicut hae omnes, non adeo normali, quo alluuntur, — quam morboso humori, irritata per organa secreto, suam originem debent: ita quoque unus idemque calculus, pro mutata secretionis morbosae ratione, plura et saepe diversae indolis strata, quae unico sano e fonte haurire non potuit, offert. Urina quidem vel sanissimi hominis matulam, nisi sollicite repurgatam, jam paucos post dies crusta obducit; non tamen ideo similia receptaculis uriniferis, *vita* instructis, nisi vel siccitate, vel incendio, vel excoriatione, vel herpete, aut sic dicta vesicae scabie, vel ulcere peccaverint, contingunt; *sed*, exceptis canalibus, qui calculos, innocente cessione, transvehunt, *ipsum, quod istos genuit, organon, priusquam hunc partum monstrosum ederet* (absque alia *lotii* culpa, nisi quod suum morboso humori, vix secreto et adhuc liquido, sedimentum commisceat, et, facto hoc glomere, mox condensando, eumdem humorem morbose secretum, ac pro ratione stimuli percepti varie mutatum, — interdum adeo sanguinis portionem, eidem urinae sabulo

intime combinatam, nucleo centrali per intervalla adglutinet), *morbosum fuit.* Vel ipse, qui calculos ex urinae solius diversis elementis construi, cum aliis docuit, novissimus « Historiae morborum calculosorum chemicae » scriptor, ab *ureteribus*, nisi antehac morbo detentis, nullum unquam produci calculum, fassus est ; ac idem omnino de *renibus* ac *urinali* de *cystide* dicendum esse videtur. Sicut *podagrae*, — ita et *calculorum accessionibus* ventriculi languor, nausea, oppressio, ructus, borborygmi praecedunt, easque comitantur. Sub illius invasione, pedis dolor, mox tensio, rubor, tumor, et completa, plerumque asthenica, *reticuli* mucosi et cutis subjectae inflammatio. Ex his ipsis, apud podagrae veteranos, *concretio* quasi calcarea, vel ipsi *acido urico* juncta materia, urinali hinc a calculo, nisi majore duritie forsitan, aut forma, haud multum distincta, nascitur. Vesicae urinalis *membranam mucosam*, arthritis fixa, quae pedis ad pollicem, concretionem calcaream genuit, corripiat !... cur illo in viscere, jure aequali, calculorum mater non fieret ?

Testetur igitur, pace nostra, de calculorum principiis chemicis, ac ista *urinis* adscribat, retorta ! nec etenim inutilem prorsus et hanc naturae investigationem esse praetendimus, sed, ne illam, quae et prima ad calculum fundamenta posuit, et quae urinae particulas, modo sibi, adhuc fluidae, loco mortarii, commisceri permisit ac amplectitur, praetervideat, et hoc modo, *accessoriam* calculo materiam, pro fabricae istius principali elemento proclamet ! Sub ratione medendi, chemicorum hypothesibus innixa, minores aliquando cum urinis secedunt calculi; atque fatebimur, *alcalinorum* sub usu, frequentius illos excerni, aut illorum saltem, nisi malum jam nimis increverit, symptomata sopiri; sed qua ratione talem effectum remedia, quae et aliis in morbis chronicis, calculorum generationi saepius praeviis, prodesse novimus, praestare soleant? de hoc quidem sub judice lis est ; et nulli certe scientiae, nisi medicae, hypothesium imperium infensius esse, experientia nimis jam docuit. Huic igitur magno ac soli rerum magistro, et nostram, de ortu calculorum, opinionem, absque omni ejusdem

praedilectione, donec lux clarior affulgeat, submittimus.

§. CMXXXVII. *Prognosis.*

Qui jam primis infantiae annis vexantur a calculis, huic aetati ac puerili prae alia infestis: ii, vel doloribus, convulsi succumbunt; vel, sub vita longiore ac misera, vix unquam ab illis liberantur. Immanes hoc a morbo cruciatus, adulti diutius perferunt; sed, vel aucto indies concretionis volumine, vel positione calculi, effluxum urinae prorsus intercipiente: in primo casu, viarum urinalium inflammatio, suppuratio, aut callositas, — in secundo, ex urinae retentione, vesicae paralysis, gangraena extimescendae sunt. Nulla vero, sub calculo jamjam majore ac duro, nisi a *chirurgia*, recuperandae salutis spes, — et haec saepe dubia, superest. Qui calculis urinalibus subjecti vivunt: ii haud raro et felleis simul laborant. Si viros frequentius feminis calculosos esse, experientia doceat: id potissime ex eo, quod sexus sequior breviore simulque largiore urethra instructus, eosdem promptius atque felicius expellat, venire videtur. Calculum, uncias duas totidemque drachmas ponderantem, a femina, quin dolor et haemorrhagia, tantae peregrini corporis moli respondissent, excretum fuisse, in « Transactionibus philosophicis » legimus. Alterum calculi vesicae, uncias duodecim et drachmam ponderantis, sponte tamen, et superstite vita, a muliere excreti, exemplum Ephemerides naturae curiosorum conservarunt; ac spes adeo superest, recentiorum sub methodo, urethram femineam dilatandi, meliore minusque dolente, — lithotomiae, hoc in sexu suscipiendae, necessitatem non parum imminui. *Arenas* haud pauci homines, quin calculosi reddantur, mingunt; ac illae, solae, vix majorem in renibus, aut in vesica calculum produnt. Sabuli scriptorii loco, arenas ab aegro redditas, huic ipsi inserviisse, apud gravem « de colluvie serosa » scriptorem reperimus. Minores interim calculi, vesicae ad ostium facilius delapsi, majoribus frequentius urinae effluxum cohibent. Ubi sub calculis, urina plurimum mucosa simulque purulenta ac foetida excernitur: de viarum

urinalium suppuratione, vel scirrhositate suspicio, haud facile injusta, nascitur. Renes utrosque rarius simul infarciri a calculis, ac tali sub casu, vel ipsam urinae secretionem, lethali effectu suspendi, jam diximus. Utroque interim in uretere, calculi pari fere frequentia reperiuntur; quod satis ostendit: in rene dextro aeque ac in sinistro, calculos nasci; sed eosdem, e dextro, promptius in ureterem hujus lateris detrudi. Frequenter ex renis sinistri calculis, mole majoribus, ipsius hujus visceris substantia quasi resorpta, saepius a suppuratione, et quidem ita consumpta: ut, praeter cystidem et calculum, de illa nihil supersit, observatur. Casu satis infrequente, calculus renem una cum lumbis attollit, et ex rupto, vel inciso istius abscessu, ille, — fistuloso, ac tardius tandem lethali ulcere relicto, prorumpit, vel educitur. Simile quid *ureterico* etiam a calculo a nobis observatum fuisse, jam (§. CMXXXI.) retulimus. Uretere a calculorum transitu, crudeli dolore stipato, jam satis dilatato, ulterior illorum, nisi jam majorum, descensus facilior, dolorque sub eo aut minor, aut fere nullus est. Saepe non unus modo, sed plures calculi, vesicam urinalem, ut renem ejusque ureterem, occupant: atque in uno, vel in altero ex illis, haud raro *foveola*, eidem, a propinquo sibi, dum adhuc mollesceret, socio impressa, supermanet. A conatu, calculos e vesica pellendi, magno ac fere perpetuo, haemorrhoidum turgor, summusque dolor, intestini recti, ipsiusque uteri prolapsus, observantur in multis. Calculum vesicae, ejusdem parte postica, per inflammationem, intestino recto adcreta, ac tandem suppurata, per alvum fuisse excretum, haud inauditum est; ac ipse *Pergamenus Hippocratis* commentator, libro « de locis affectis », inquit: » Quod a forti excernendi conatu, praecedente dolore vehemente, aliqui lapides callosos *ano* dejecerunt, illis, qui in vesica nascuntur, haud absimiles: id quod ego neque vidi, neque alium, qui viderit, unquam vidi ». Quod si tamen tres illi aegri, quorum historias, in « Oratione academica, de vesica urinali ex vicinia morbosa aegrotante », jam a. 1786 *Ticini* recitata, publicavimus, — quorum nempe vesicas, exulceratas, in rectum intestinum ita hiasse observa-

vimus, ut faeces, ac flatus aegri per urethram excreverint, sua in cystide urinali simul et calculos gessissent: horum certe per alvum exitus, haud fuisset difficilior. Ipsa interim intestina, rariore, in homine, quam in equo, exemplo, concepisse calculum, non minus docuit observatio.

§. CMXXXVIII. *Cura calculorum. — C. per saponem. — C. per aquam calcis; — Per gas carbonicum; — Per injectiones. — Lithotomia.*

Post tanta, vel unum ad morbum debellandum, chemiae et artis salutaris conamina, rationem medendi, si *chirurgicam*, tam severam, quam ominosam, solique urinae e vesica extrahendae, et calculis ejusdem secandis circumscriptam, excipias, per tot saecula, modo parum provectam fuisse, animum deprimit. Erigebant hunc pridem, pathologiae humoralis, de *causis* hujus morbi, ac therapeuticorum, de efficacia *lithonthrypticorum* insomnia; his interim, tam rationis, quam experientiae luce tandem dispulsis; ars medica, vix egestatis propriae conscia, et hoc ipso securioris ineundae viae capacior, a nova splendidaque (*solvendorum* scilicet vivente in homine, calculorum, quos in phiala inanimi, certis a menstruis colliquefieri atque diffluere cernebat) chemiae hypothesi se abripi passa est.

Hac longe prius docuerat experientia: calculos minores haud raro, vel absque medicamentis, cum urinis secedere; et hoc ipsum, pro majore copia minusque aquosae aut spasmodicae hac fluerent: eo facilius contingere. Cum vero, secretionis urinalis augendae gratia, *diuretica*, sic dicta, in auxilium vocassent; docuerat iterum haec ipsa rerum magistra: a potentioribus ex istis, a salibus, a balsamicis et acrioribus, mox augeri morbi symptomata, ipsumque haud raro sanguinem renibus exprimi; a potu vero liquidi, blandius in istos agentis, copiosiore, nec tamen ventriculo molesto, sicut a balneis, modo tepidis, frequentius obtineri solatium. Jam sine ulla medicorum admonitione, aegri calculosi observaverant: quietem, qua interdum a calculis sat longa gaudere illis licuerat, toties turbari, ac ventriculum, aliunde jam languidum, et colluviei mucosae acidaeque obnoxium, cibis vel

nimis copiosis, vel subactu difficilibus, acribus, onerassent; aut potu spirituoso, irritante usi, aut animo violenter commoti fuissent; aut veneri incaute sacrificassent, aut corpus quocunque modo exaestuassent; aut vitam nimis desidem duxissent. Accessit his et altera, medicorum scilicet observatio: praeter haec diaetae praecepta, praeter potum blandum, satis uberem, — victum, exclusis vegetabilibus, parum nutrientibus, flatulentis, facile fermentantibus, animalem eumque sobrium, praecipue illa, quae ventriculi functiones absque majore stimulo secundarent, quae pituitosam acidamque in illo crambem corrigerent, alvumque liberam servarent, maxime conduxisse. Ad lenia hinc remedia, stomacho amica, antacida, et alvum blande subducentia, sub magnis vero a calculo spasmis, ad anodyna subsidia, nec non ad clysteres, fomentationes emollientes, magno satis fructu confugerunt. Nec observandi occasio defuit medicis, aegros scilicet a calculis obsessos, haemorrhoidibus, haud raro, — aliquando urinis sanguinolentis laborare, vel in renum inflammationes, vel in colicas nephriticas, vel in vesicae urinalis incendium pronos esse, redeunte vero fluxu haemorrhoidum, aut menstruo, non parum sublevari. In hirudines proinde, vel ad renis affecti regionem, vel ureterum circa decursum, saepius ad perinaeum, vel ad venas ani applicandas, vel in ipsam venae sectionem, suam, his in casibus, fiduciam posuerunt.

Tam cautis medicorum conaminibus, feminae sat felix audacia empyricae accessit: quae arcano diu, tandem vero a. 1740, a supremi *Anglorum* Gubernii munificentia, decem aureorum millibus ducto, ex testis ovorum calcinatis, et ex sapone veneto aut hispanico constante remedio, majorem conaminibus medicis applausum obtinuit quidem; sed post paucos jam annos, experientia, nulla opinionum auctoritati subjecta, calculosorum aegrorum non paucorum salutem, ab ipso hoc pingui, facile rancido, et non parum acri remedio, laesam, ac haematuriam provocatam fuisse, testata est. A combinato interim saponis cum *aqua calcis* usu, majora nunc promiserunt; ac ab ipso, qui primus Instituto clinico *Vindobonensi* prae-

fixus fuit, magni nominis medico. saponem venetum, aegro, septem per menses, quotidie ad unciam integram in pilulis porrectum, aquae vero calcis vivae, quatuor libras, aequali cum lactis portione, quin ullum ab his damnum perceperit, quidquod calculorum symptomata toto hoc tempore cessaverint, propinatas fuisse, legimus. Fatetur interim hic vir, non minus veridicus, quam doctus, perseverantem calculi in vesica praesentiam a fido nimis cathetere semper detectam fuisse. Per annos quatuordecim, vir calculo vesicae affectus, assumpserat quotidie saponis unciam dimidiam, et aquae calcis libras tres. Per omne hoc tempus, symptomata quidem minuebantur; post obitum interim, calculus ponderabat adhuc uncias undecim.

Saponis tandem usu in morbis calculosis vix non seposito, et illo *aquae calcis* non parum restricto, fiducia medicorum majore, *aër*, ut tunc vocabant, *fixus*, seu *carbonicus* potitus est. Ad hunc, sine temporis jactura obtinendum, medici *Angli* consilio, *salis alcalini vegetabilis fixi* drachmas duas in aquae destillatae unciis duodecim solvebant suoque numero signabant. Quantitate vero *acidi sulphurici*, ad salis alcalini illius perfectam saturationem necessarii, reperta, hanc ipsam cum aquae destillatae libra medica miscebant, suoque signo muniebant. His ita dispositis, omni bihorio, solutionis alcalinae vasculum dimidium, — mox vero ab isto, eamdem mediciuae acidae portionem, propinari jubebant. Cum vero idem hoc principium carbonicum, in aquis soteriis, salis alcalini mineralis portione simul impraegnatis, plus minus abundet, et *aquarum Carolinarum*, tam hepatis, quam viarum primarum, et urinalium diversis in morbis efficacia, a longo jam tempore innotuisset: tum in istas, tum *selteranas*, *fachingenses* ac similes in aquas, maxime vero in illam, quam *alcalino-mephiticam* vocarunt, spem omnem collocarunt. Eadem ratione *sodam carbonatam*, in aqua destillata, selterana, aut acidula alia solutam, bis terve in die aegris propinandi, usus invaluit.

Experientiae saeculi dimidii, et quod excedit, innixi, fatebimur: nos medicamentorum vix exposito-

rum, inprimis ultimorum, utpote longe blandiorum, sub usu, urinarum secretionem ipsiusque in iis arenae copiam, sat multis, sed certe haud omnibus, in aegris, non parum adauctas, lotii quoque mittendi ardorem, aliaque calculorum incommoda plura, per dies saltem aliquot, sat saepe imminuta, — *calculorum interim, nisi natura sua friabilium, solutionem nunquam observasse.* Nec nostrae dissimilem, virorum, in arte medendi clarorum, experientiam fuisse novimus. Exigui quidem calculi et istorum sub administratione interdum secedunt; sed iis etiam illi, ab aegris, qui, aut solis *diureticis* mitioribus, largo satis potu comitatis, seminibus dauci sylvestris, cynosbati, ligni juniperi, radicis ononidis spinosae decoctis, aut uvae ursi, vix diureticae, infuso aut pulvere, — aut adeo nullo prorsus remedio, usi sunt, non minus secesserunt. Conclusio ex floccis, aut foveolis asperis, in superficie externa calculi excreti, aut in cadavere reperti, obviis, ad remedii porrecti virtutem solventem ducta, ex eo, quod facies, calculo, ante remedii usum, propria, observatorem necessario fugerit, ad minimum hypothetica et arbitraria dicenda est, ac idea menstrui, solvendo calculo paris, a vasis lacteis impune suscepti ac, licet per sanguinis torrentem in immensum divisi aliisque cruoris principiis varios in modos combinati, suam nihilominus, calculum solvendi, potentiam intactam conservantis, sanae rationi, si quid aliud, repugnare videtur.

Senserunt hoc in *Gallia* viri primi nominis chemici, atque hinc menstrua, solvendis calculis cujusvis speciei paria et, cavi oris judicio, satis, ne ipsam vesicam laederent, diluta, hoc in urinae receptaculum injicienda, laudabili quam maxime zelo, proposuerunt. Sed, *primò*, haec menstrua, principale calculorum in emporium, *renes*, quidquid in illos *vesicae* praestarent, haud agerent; *secundò*, cum sensatio ab illis, etsi non parum dilutis, oris cavo impressa, sensibilitatis, quae cystidi urinali *specifica* est, judicem satis competentem, minime constituat; *tertiò*, cum nec forma, nec color calculi, sat fidum de ejus compositione testimonium suggerant, unus vero idemque calculus hinc inde vix non ex singulis principiis, quae

diversas alias inter se concretiones distinguunt, conflctur, et hinc plura sibique propria menstrua requireret; cum, *quartô*, injectio, ut quidquam sponderet, multoties per diem et per menses, depleta prius vesica, instituenda, menstruumque injectum, aliquo saltem tempore, retinendum, aegris, jam solo a calculo tam infelicibus, miserias, siquas ferre ultra valerent, majores superadderent; ac saepius vesica, circa calculum, ita, ne pro ulla injectionis materia spatium supermaneat, contracta sit; cum, *quintô* denique, aegro cuique, ad vesicam calculoso, medico-chirurgum, qui septies octiesve per nycthemerum, et plures per menses, injectiones, saepe haud parum laboriosas, instituerct, et qui in chemico calculorum examine non minus, quam in menstruorum, unicuique ex istis adaptatorum, selectu, satis versatus esset, adsignari oporteret; — quid de proposito hoc novo artis subsidio exspectandum sit, facile satis comparet; nec ullus, quod hucusque nec ipsa in *Gallia*, nec alibi locorum, quod sciamus, eodem quis uti tentaverit, mirabitur. Oleum quidem lini, aut aliud, a pluribus, sub summis ob calculos vesicae doloribus, huic ipsi, interdum non sine aliquo symptomatum levamine, injectum fuit; sed hoc opus magis ad obducendam et fovendam vesicae internam superficiem, quam ad calculi dissolutionem, de qua hîc sermo est, susceptum fuisse, intelligitur. Qui aquam calcis, vesicae, calculo praegnanti, injiciunt: ii, praeterquod propositum sibi solutionis finem vel minime attingant; receptaculi istius superficiem, a calculo ipso jam nimis vexatam, ac inflammationi vicinam, magis adhuc exstimulant, ad vesicae parietes, ad strictiorem circa calculum contractionem, excitant.

Brevem eorum, quae contra *lithiasin* hucusque tentata fuerint, mentionem fecimus, et ex illorum historia, medicae artis, hoc in morbo, *radicitus exstirpando*, inopia jam nimis eruitur. Sub deploranda hac situatione, si saltem nossemus, in quo *praedispositio*, calculorum ad genesin, consistat? solatio id foret, ac melioris quondam successus spem nobis inspiraret; sed, excepta *causarum remotarum*, quae, hac opportunitate praesente, calculorum evolutionem promoveant,

et jam evolutorum effectus exasperent (§. CMXXXVI.), caligant oculi. Si tamen hos angustos scientiae inter limites, miserorum sortem sublevare, nobis haud raro concessum sit; *chemicorum* hoc minus, quam *Hippocraticae*, illorum, quae aegris, omni ab aevo, aut nocuerunt, aut profuerunt, observationi tribuendum est. Qui praeterea lithonthrypticorum, communem aetate elapsa in calculis usum et secuta abhinc damna consideraverit; qui aegrorum trium historias, a claro quondam viro relatas, perlegerit; quorum scilicet primo, *guttularum Goddarti* (ex spiritu salino, ope ignis, ex *serico* elicitarum) ter in die, uncia integra, eo effectu propinata fuit: ut sequente jam die, haematuria, sub horrendis doloribus convulsiones, ac mors demum ipsa, accederent; — quorum reliquis duobus, cum spiritum terebinthinae, plures in dies, ad scrupulos duos hausissent, inflammato mox abdomine, lethalis gangraena successit: ille certe, tam perversam calculosis medendi methodum tandem aliquando exsulasse, non aegris modo, sed et arti medicae, cui, nunc temporis, blandiorum longe medicaminum selectio facilis est, gratulabitur.

Prima certe ac principalis *indicatio*, apud illos, qui vel ex parentibus arthriticis, aut calculosis descendunt, aut qui calculorum quaedam signa jam exseruerunt, in strictiore corporis et animi regimine, ac in causarum remotarum, a quibus, apud praedispositos, facile evolvi calculos diximus (§. CMXXXVI.), fuga consistit. *Altera cura*, in eo ponenda est: ut stimulus ab arena, vel a calculo promotus, quousque licet, auferatur, aut saltem sedetur. In superioribus jam satis monuimus: calculorum urinalium dolores saepe per intervalla quiescere atque, sub morbo necdum nimis provecto, periodice quasi redire; sed mox, aut abundantis, aut nimis commoti a sanguinis aestu, a cruore menstruo, haemorrhoidali, retento, a potu spirituoso, vel aliis rationibus, inducto, magna sub ferocia evigilari, atque mox renum, mox vero ureterum, vesicae, inflammationem ejusque effectus minari. Hoc igitur in casu, antequam de promovenda calculorum evacuatione cogitetur, ad venae sectionem, vel ad hirudines, quo loco dolor maxime urget, aut quo

sanguis coërcitus, vasa nimis expandit, nec minus ad regimen debilitans, transeundum est. Sic etiam ab errore, in ciborum assumptorum quantitate, qualitate, commisso, saepe renovantur a calculo dolores, qui sibi enemata, et blanda, quae sordes collectas, aut forsitan simul vermes inquietos, intestinis educant, evacuantia, non tamen salina, requirunt. Frequentius, perturbato violenter ab animo, calculorum revocantur furiae, quas demulcentia et lenia, ex antispasmodicis, ac opio ipso, remedia compescunt. Haud raro tamen et absque causis, saltem cognitis, vel a sola partium per calculos irritatione, crudelia istorum nascuntur symptomata: sub quibus, oleosa, tam extus, quam intus adhibita, emulsio arabica, decoctum radicis salep, althaeae, saturatum, fomentatio, semicupium emolliens, ac opium, cauta quidem, non tamen avara nimis, manu porrectum, solatium saepe indulgent. Ad *tertiam* indicationis therapeuticae partem, difficillimam sane, ut quae in concretionis per urethram promotione versatur, absolvendam, remediis locus est, quae lotii, calculorum naturalis ut vehiculi, secretionem, sine magno stimulo, augeant, simulque in membranae villosae ventriculi, effectum, tunicae quoque mucosae vesicae urinalis amicum, exserant. Huc certe mitiora, quae supra recensuimus, subsidia, aquae calcis, acidulae, alcali simul fossili gravidae, *carolinae, selteranae*, alcalino-mephitica, natrum, soda carbonata, illis in vehiculis propinata, pertinent. Haec saltem remedia (quod nequidem illi, qui calculos, his a remediis chemico processu dissolvi praetendunt, negabunt), haud raro vel antequam vesicam urinalem attingere, vel suos effectus in calculos edere potuerint, dolores ac mingendi difficultatem diminuunt. Haud alia saltem ratione, quam in primas vias, et ex istis, in omne corporis systema operando, secretiones muci morbosas, a ventriculo longe distantes, in medorrhoeis chronicis, phthisi pulmonum pituitosa, vesicae catarrhis, sanandas adgredimur. Ad *quartam*, quam aliqui, illis, quas hîc exposuimus, adjungunt, *indicationem* quod spectat, « ut scilicet nova calculorum praecaveatur generatio »: fatebimur candide, *specificam*, quae hanc calculorum reproductionem, a

praedisposito homine avertere valeret, a nobis ignorari. Quae vero *convalescentibus*, ut remanentem, ex morbo vix superato, adynamiam dissipent, — quae *sanitate* caeterum florida instructis hominibus, ut hunc vitae thesaurum diutius conservent, praecepta incumbant: ea hîc loci repeti, superfluum foret.

Quod si exposita hucusque, calculis medendi, imperfecta, eheu! methodus, atrocia ex iisdem symptomata haud mitiget: ne tantam illi aliquando ad molem, quae eorum a vesica extractionem, per sectionem chirurgicam, ambiguam et arduam reddere, nec non vitia tam vesicae ipsius, quam alia, nulla amplius arte auferenda, producere posset, augeatur: ad *lithotomiae*, ominosum quidem, sed nostris diebus non parum excultum, subsidium, perveniendum est. Sectio *renalis calculi*, non videtur unquam profuisse, ac pro nimis crudeli habita fuit, quamvis ab ipsa natura calculos renales, excitata ad istos suppuratione, ejectos fuisse, exempla non desint. Quae vero *chirurgicam* calculosorum *curam* respiciunt; ea vobis ab aliis exponentur subsidia.

EXPLICIT NUPERRIMAE HUJUS EDITIONIS

VOLUMEN QUINTUM ET ULTIMUM

INDEX

ORDO IV.

RETENTIONES CRUENTAE.

ORDO IV. GENUS I.

AMENORRHOEA.

ORDO IV. GENUS II.

RETENTIO LOCHIORUM.

ORDO IV. GENUS III.

ISCHAEMIA NASALIS.

ORDO IV. GENUS IV.

ISCHAEMIA HAEMORRHOIDALIS.

ORDO V.

RETENTIONES ADIPOSAE.

ORDO VI.

RETENTIONES HETEROGENEAE.

ORDO VI. GENUS I.

RETENTIONES HELMINTHICAE.

ORDO VI. GENUS II.

RETENTIONES HEPATICAE.

ORDO VI. GENUS III.

CALCULI URINALES.

INTERPRETATIONES CLINICAE

OBSERVATIONUM SELECTARUM

QUAS

EX DIARIIS SUIS ACADEMICIS

AD

PROPRIAM EPITOMEN DE CURANDIS HOMINUM MORBIS
ILLUSTRANDAM COLLEGIT

JOANNES PETRUS FRANK

EDITIO ALTERA ITALICA

CURANTE N. M. SORMANI

MEDICIN. UTRIUSQ DOCT.

MEDIOLANI

EX TYPIS GASPARIS TRUFFI ET SOCII

M.DCCC.XXXII

L. B.

EDITORIS MONITUM

Quum nuperrimae hujus editionis condendae munus mihi delatum esset; Typographis suaseram, ut quae exstabant posthuma Auctoris tum ad *Epitomen*, tum ad *Clinicas Interpretationes* suapte spectantia, quaeque primûm Vindobonae, curante Praecl. *Josepho* Filio, dein Taurini iterum impressa fuere, in hacce Mediolanensi editione item Tibi consignarentur. Ast, quod legibus cautum est, communi desiderio satisfacere vetuit jus librarium Viennensis cujusdem Bibliopolae, cujus proprietas aere effuso acquisita, sicuti per omnes Austriaci Imperii ditiones longe lateque viget, ita et a nobis ipsis religiose veneratur.

Haec dicta sunto, ne inscius rei quisquam accidiosae omissionis mihi culpam inurat. Valeas, ac amantissimum Tui artisque communis amare pergas.

N. M. S.

LECTORIBUS

Mirabantur quondam non pauci, exprobrabant aliqui, nos, etsi clinicis Institutis in quinque Academiis, per totidem fere lustra praefixos, nec illorum tamen annales evulgasse, nec medendi rationem nobis propriam exemplis publice expositis illustrasse. Nec tamen aut Boerhaavius, aut Burserius, aut Tissotus; meliori nobis exemplo fuerunt; nec si Haënius, Stollius, aliique celebres scholarum medicarum antistites, cum gloria hoc dederint, nulla igitur nobis excusatio conceditur. Ac primô quidem, artis, quae his in Institutis sequebamur, praecepta, quod ultimi hi viri non fecerant, in Epitome, quae universam morborum curandorum doctrinam amplectitur, exposuimus. Secundô, cum tirones nostri in Italia, librorum, inprimis exterorum, copia minus essent instructi, stylum illum laconicum, praelectionibus academicis praescriptum, hinc illinc deserentes, historias morborum, in ipso Instituto clinico quondam pertractatorum, non paucas illi operi, aut integras intertexuimus, aut saltem levi calamo tetigimus. Nec minor observationum nostrarum numerus, in diversis, quas seorsim publicavimus, orationibus nostris academicis prodivit (1).

(1) Continentur istae in XII. delectus nostri opusculorum, Ticini editi, voluminibus.

Tertiô, Scriptores rerum medicarum, ejusmodi in scholis occurrentium, non aliis, iis gravissimis, ut nos constanter fuimus, ab officiis distracti, interrupti, impediti fuerunt. Fateamur interim, ab aliis nos etiam rationibus, ne ejusmodi in annalibus, operam collocare ambiremus, abductos fuisse. Quod si nempe Haënii ac Stollii (ut qui, praeter aegros Instituto clinico susceptos, nosocomii amplioris simul illos ipsi curabant) rationes, ut vocant, medendi excipiamus; ex duodecim aut viginti lectulis, in usum academicum occupatis, vel morborum epidemicorum historiae parum lucis accendi potest; aut morbos unius modo speciei, hinc instruendis in omnibus, unius anni scholastici spatio, tironibus parum accommodatos, in ejusmodi Instituta clinica suscipi oportet. Accedit et istud, quod clinices antistes, scriptoris his de rebus non ignobilis sibi vices periodice assumens, morbos ordinarios atque populares, pro discentium necessitate longe praeferendos, posthabere, rariores potius, et doctorum attentionem magis ferientes venari, ac pharmaca saeculorum auctoritate coronata, novis, plerumque tamen ephemerae celebritatis, remediis sacrificare assuescat. Sed criminationem hanc annalium scriptor clinicorum refutat, morborumque pro generali magis tironum instructione debite selectorum historias elaboret! has quidem juventus medica cum fructu meditabitur; viris autem in artis exercitio jam satis versatis, rari natantes in gurgite vasto videbuntur, ac medicae incrementum scientiae abhinc aut nullum, aut paucum saepe erit.

Atque haec, ne nobis ipsis magis, quam ne aliis annalium scriptoribus succederent, ad aetatem usque senilem, quae cribro in rebus medicis transmittendis quidquam angustiore atque rariore uti solet, veriti sumus. Cum vero insignem observationum, quas vel nos ipsi instituimus, vel quas amici auditoresque nostri nobiscum communicare voluerunt, copiam percurrendi occasionem nacti sumus; inter illas non solum rariores, sed eas quoque selegimus, ex quibus major in scientiam salutarem utilitas redundet.

Saepe vero in mentem nobis venit, auditores nostros, ex illis, quae ad lectulos, circa morbos susceptos, vel ex propria, vel ex aliorum experientia, absque

omni affectatae eruditionis ostentatione, extemporali potius locutione usi, adducere solebamus, messem saepe uberiorem, quam quidem primo intuitu casus nobis oblatus promittere videbatur, fecisse; atque in hac nostra docendi methodo, tirones pretium quondam majus, quam in singularium morborumicciore ac abstracta nimis consideratione posuerunt. Credebamus igitur, historias morborum quas hic tradimus, eadem face, qua quondam ad lectulos utebamur, illustratos, ac, omissis aut facilioris indaginis, quae tirones solum respiciunt, explicationibus, aut doctis magis quam utilibus commentariis, brevi modo sed nervosa dictione cum epicrisi expositas, academicos Instituti clinici labores posse quadantenus supplere; ut igitur, quod nobis, ob aetatem, ad lectulos ulterius non licet, in scriptis praestare conaremur.

In ea quidem opinione semper et nos sumus versati: medicum jam provectae quidquam aetatis, ideo non posse ab artis exercitio sese, absque propriae laesione conscientiae subducere, quod errores in aetate juvenili, ob majoris experientiae defectum, commissi, in senili aetate resarciendi, et ea, quae caro saepe pro civibus pretio didicimus, in damni restitutionem convertenda sint. Etsi vero flebili nimis physicae fragilitatis argumento nostrum a publico artis exercitio secessum excusare valeamus; credimus tamen, indefessa et fideli eorum publicatione, quae nos ad meliorem rerum medicarum cognitionem perduxerunt, nos posse magis, quam si paucis adhuc aegris opem nos ipsi ferre vellemus, de humano genere mereri.

Cum vero doctrina de sedibus et causis morborum artis medicae progressus eximie promoverit; observationes, cadaverum sectione illustratas, hoc in opere primo fere loco habendas esse censuimus: ac praeceptis circa morborum historias circumscribendas a nobis quondam propositis (1), *fideles, ut Lectorum otio, saepe haud multo, parceremus, brevitatis maxime rationem habuimus.*

Quamvis opus hoc illustrandis variis locis Epitomes

(1) De circumscribendis morborum historiis oratio academica, Ticini Reg. 1791 recitata.

nostrae de curandis hominum morbis destinatum sit; modo parum tamen, in referendis observationibus, ad ordinem in illa nobis praescriptum, nos restringere voluimus; sed ubi vitam nobis viresque Superi prorogaverint, uni vel alteri, quae hoc primum interpretationum clinicarum volumen sequentur, libris, indiscriminatim nunc has, nunc illas, Lectorum judicio ordinandas committemus.

Cur latino magis, quam patrio idiomate utamur, nisi dignum sit, quod et ab Exteris legatur, opus nihil nos praeter justum desiderium, ne lingua viris doctis per omnem Europam quondam communior, tandem prorsus inter nos obsolescat, in propriam excusationem adducendum habemus.

Inconsultam Viennensis polyscriptoris, avidique typographi, praelectionum nostrarum, ex quorundam auditorum nostrorum calamis festinanter et absque judicio decerptarum, editionem, sicuti nostro pro labore haud agnoscimus, ita bonorum omnium justo vituperio exponimus.

Dabamus Friburgi, in Brisgovia, die 15 mensis aprilis 1811.

I. *Febris quartana duplex rebellis cum balneo sanata.*

Anno 1786 in clinico Instituto *Ticinensi* puella degit, quae febre quartana duplici per quatuor menses laboraverat. Menstruorum fluxus huic virgini suppressus erat. Dolor ad scrobiculum cordis urgebat cum oris amaritudine. Emetica, alvum purgantia, salia diversa, resolventia omnis generis, — et cum dolores quasi arthritici simul in scena essent, vesicantia, antimonialia, geum urbanum, corticem peruvianum, opium, incassum praescripsimus. *Purpura* tandem, ut vocant, rubra, comparuit in cute; febrem tamen ea sola non fugavit. Hinc tepidum ad balneum confugimus, atque tam hujus ope, tam vini antimoniati auxilio, morbum curavimus, qui ultra tres menses aliis remediis restiterat.

Epicrisis.

Inter quamplurimas febres intermittentes, quae medico practico quotannis curandae veniunt, sunt quaedam, ut in *Epitomes* L. I. §. XXVIII. monuimus, hoc vel illo anno copiosiores, quae nos memores reddere possunt fati, quo veteres medici, ante corticis chinae notitiam, dum febribus paulo pertinacioribus mederi debuissent, premebantur. Quare *Galenus* memorat: quod febris *quotidiana* saepe sexaginta circuitus habeat et periculosa sit; *quartana* autem medicorum scandalum vocabatur. Utplurimum scilicet ex *quartanarum* familia sunt, quae subinde artis operam cludunt. Ipse *Sydenhamus* monuit: dari aliquos, quorum corpora, ob frequentem febris recursum, contra corticem quasi communita, salutife-

ram ejus vim perpetim eludant (1); et *Monrous* in epidemia *Bremensi* 1761, 1762, multas intermittentes longaevas vidit omni medendi methodo renitentes. Talis fuit epidemia, quam *Lautterus* descripsit (2). Nos ipsi talem in *Insubria* epidemiam vidimus, in qua, etsi cortex optimae qualitatis minime defecerit, per omnes tamen ejus regionis provincias non minor quantitas ejus remedii, quam novem unciarum aegrotis, ut febre intermittente liberarentur, porrigi potuit. Summum aliquando remedium in febre rebelli est, *nullum*, praeter aëris mutationem, experiri; ac semper affinitatis, quam febris intermittens cum aliis *morbis nervosis* agnoscit, memores esse debemus. Magna hinc in utroque morbi genere est utilitas peregrinationum, pietatis gratia quondam copiosius, quam nostris temporibus institutarum. Quemadmodum vero *balnea tepida* in affectionibus nervosis praecipua se virtute commendant; ita quoque in febre intermittente rebelli, illa utique tentari frequentius, quam solent, merentur. *Antimonialium* in febre periodica virtus, etsi multos ante annos comprobata (3), nostris tamen temporibus venenosis, ac inprimis insidioso hominis naturae arsenico magis propitiis, plus aequo vilipenditur.

Cum vero temporum injuriâ chinae cortex aut alto nimis pretio veniat, aut multis in locis acquiri nequidem queat; fatemur omnes, remedium, quod illum quodammodo suppleat, humano generi auro potius habendum fore. Tantae interim, seu aequalis virtutis, huc usque nos fugit febrifugum; hinc nullum, quod experientia, multis saltem in casibus, ut efficax comprobaverit, ex praeconcepta opinione spernendum est auxilium. Revocabimus huc, inconcinnae quidem compositionis, ac hodiernae chemiae minime consonum, sed in provinciis quondam *Mantuana* ac *Venetis* communissimo in usu positum hinc publica fiducia san-

(1) Epistola responsoria.

(2) Hist. med. biennalis. p. 10. 11.

(3) Dr. *Millars* de exploratione Kermes mineralis, sive pulveris Carthusianorum, in medendo efficacia. Argentorati 1752. = *Unzer*, Amburg. Magazin. viii Th. S. 356. = *Klein*, select. medicam. pag. 269.

citum, in febribus tertianis, remedium. Adscribitur hoc celebri quondam in urbe veneta (*Rovigo*) medico, Doctori *Calabria*, atque sub nomine *aquae amarae* hujus medici, sub formula sequente, cognitum est:

R. Aquae cardui benedicti unc. X.
Salis amari, unc. I.
Spiritus salis ammoniaci
—— sulphuris per campan.
ana gutt. XV.

Tempore apyrexiae semel iterumque propinatur adultis haec compositio.

Radicem *gei urbani*, seu cariophyllatae, et nos in febribus periodicis constanter vidimus inutilem. Ab egregio medico *Insubriae*, ac nosodochii incurabilium, in loco *Abbiategrasso*, physico, Doctore *Magni*, *geum rivale* Lin. longe majore cum successu adhibitum fuisse novimus.

II. *De febribus periodicis perniciosis animadversio.*

Per viginti annos artem medicam, primum *Bitis*, in Gallia; dein, apud Germanos, *Badenae*, *Rastadii*, *Bruchsalis*, *Goettingae*, exercuimus; atque toto hoc tempore, etsi insignem febrium intermittentium numerum tractaverimus, *perniciosam* tamen *periodicam*, praeter tertianam *apoplecticam* unicam, prope rheni paludes, in pago *Huttenheim*, Spirensis ditionis loco, a nobis a secunda accessione, sanatam, ac praeter *algidam*, *Rastadii* tractatam, ac primo jam insultu lethalem, nullam conspeximus. In Italiam transvecti, ac ibidem decem fere per annos inter morbos innumeros versati, frequens nobis febrium reapse perniciosarum omnis generis, in Insubria hinc illinc inter paludes et campos oryzae colendae dicatos endemicarum ac epidemice aliquando furentium, observandarum occasio fuit; atque brevem quidem, sed succinctam istarum descriptionem in *Epitomes* L. I. §. XXXV. dedimus. *Vindobonae*, in Austria, duo fere per lustra medicinam docentes, quamvis circa paludes, ab inundationibus Danubii productas, magnus intermittentium numerus succrescat, rariores tamen *perniciosae* sunt, ac praeter unam, et quidem *tertianam amauroticam*, quam anno 1804 in clinico Instituto

feliciter sanavimus, nullam vel hoc in loco, vel ipsa in metropoli, tractavimus. Quatuor per annos tum in *Lithuania*, tum *Petropoli*, Professoris clinici officio fungentes, perniciosas quidem his in regionibus non prorsus inauditas esse percepimus; nullas tamen illinc aut vidimus, aut nos ipsi tractavimus. Atqui dum perniciosarum historiis a summo viro, *Tortio*, a *Mortono*, *Werlhofio*, *Casimiro Medico*, aliisque, ac nuperrime ab egregio *Aliberto* (1), expositis, nihil hîc superaddere contendimus; id saltem hîc monendum esse ducimus: vel illis ipsis in provinciis, quae terrificis his febribus abundant, non paucos medicos, vel nimiae culpa formidinis, vel captandis sanationis gloria et lucro, denominatione *perniciosarum* abuti. Ac de frigore quidem in febribus intermittentibus aliquando, in quartanis autumnalibus praeprimis, diuturno ac per plures horas extenso, jam alii cum nobis monuerunt: non semper aut calorem his *rigoribus* aequalem, aut symptomata quaecunque *maligna*, subsequi. Generaliter satis tamen admittitur, frigus febrile validius et longum, quod nullus calor aut sudor insequuntur, ad febres perniciosas, quas *algidas* vocarunt, spectare; atque sic, usus, quo febri, ex potiore ejus symptomate, epitheton impertiri amant, ut de febre *lipothymica*, *emetica*, *cardialgica*, notum est, prognosin morborum aliquando satis innocentium, cum illa perniciosorum, malignorum, non exiguo curationis nimis tumultuariae damno, confundit. Pauca, quae reprehensionem nostram confirment, exempla referemus.

III. *Febris algida*, *non perniciosa.*

Catharina Tagliacarne, virgo septemdecim vix annorum, optimae constitutionis, necdum tamen menstruata, *die* 29a mensis martii 1793, post meridiem, derepente per duas horas artubus doluit; postea vero *per sex horas rigore* magno prehensa fuit: qui rigor absque subsequente calore aut sudore, adventante *die* 30a, prorsus evanuit. Matutino tempore perfecta apyrexia virgo gavisa est; ast vero eadem hora po-

(1) Traité des fièvres pernicieuses intermittentes. Paris 1809.

meridiana iterum a frigore intenso et sex per horas exporrecto, absque caloris aut sudoris satellitibus, invaditur; atque sic per quinque dies, aequali semper typo, res incessit. *Die 5a* aprilis 1793, aegra clinicum Institutum *Ticinense* intravit; ac vespere observatum fuit, febrem vix ullam, amarorem oris nullum, nec nauseam aut vomendi conatum accusari, linguam puram et nitidam, abdomen molle esse, alvum quotidie deponi, appetitum ciborum vigere. Pustulae modo aliquae ad frontem comparent. Nihil, praeter infusum sambuci, praescribitur.

Die 6a, nec rigor, nec ulla febris observanda occurrunt.

Die 7a. Nox hesterna inquieta fuit. Rigor per tres horas magnus comparuit; pulsus erant frequentes, contracti. Cortex nunc peruvianus omni hora ad drachmam sumendus, atque haustus salinus propinantur. Nulla febris ad vesperas accessit.

Die 8a. Nox fuit placida; pulsum nunc offert naturalem: de fame conqueritur; augetur victus: in iisdem continuatur remediis.

Sic per plures adhuc dies observata, nihilque amplius morbi manifestans virgo, quin a rigore tam intenso, aut calor, aut sudor unquam essent insecuti, ac sine urinis hypostaticis, perfecte restituta, ac tandem ad suos dimissa fuit (1).

IV. *Febris lipothymica, non perniciosa.*

Vincentia Giorgi, Ticinensis, annum aetatis decimum quintum attingens, ac necdum menstruis instructa, vermibus ex ascaridum lumbricoidum familia ab infantiae tempore saepe saepius affecta, duobus abhinc annis febre tertiana simplici, ob neglectam curam, per octo menses et ultra laboravit. Vires abhinc prostratae fuerunt, omneque corpus intumuit. Febris interim sponte tandem cessavit, atque auctis sensim sensimque viribus corpus simul, absque omni medicina, detumuit; et aegra, si vermium aliqua hinc inde symptomata excipias, pristinam salutem adepta est.

(1) *Iosephus Fiocchi*, Med. Doctor, aegrae adstitit, auctor historiae.

Nulla data occasione, haec virgo *die* 6a mensis aprilis 1788, ad noctem a frigore sat intenso correpta fuit; accesserunt huic calor universalis, cephalaea, oris amaror, nausea, sitis, pruritus ad nares, pondus ad ventriculum, alvus tarda, aliquis dolor lienis, sub ejusdem attactu. Post aliquot vero horas, laxata cute ac sudore oborto, febris symptomata remiserunt, ac 7a mensis, penitus profligata fuerunt. Eadem interim hac die, post meridiem, frigus iterum summum per quatuor circiter horas invasit aegram. Hujusmodi intensum frigus, constrictionis primum ad guttur sensum, dein *lipothymiam* per tres adeo horas extensam, produxit; a calore tandem dispersam. Symptomata vermium hoc etiam sub paroxysmo hinc inde comparebant, sub sudore dissipanda. Ad noctem, aliquot horarum libertas a febre successit; post dimidiam vero noctem, praecedente levi frigore, calor aegram urebat, matutino tempore per sudorem difflatus.

Die 8a post meridiem, iterum tum a frigore etsi minus violento, tum a *lipothymia*, aegra correpta fuit; manente autem sudore, haec ultima quoque dispulsa, et perfecta apyrexia secuta est. Simili vero modo, ac nycthemero elapso, leve frigus mediam ad noctem aegram invasit. *Die* 9a, clinicum Institutum haec petiit; atque cortex hîc chinae ad unciam dimidiam, duabus horis sumendam, praescriptus fuit. Post meridiem, frigus moderatum, cum calore satis levi, nulla vero animi deliquia secuta sunt. Cum vero et gastrica et verminosa symptomata urgerent; pulvis rhei electi, seminisque santonici, chinae superadditus fuit. Ad vesperas alvum deposuit et somno aegra gavisa est; sed *die* 10a ad horam secundam matutinam, absque praecedente frigore, calor exortus est, paucas post horas per sudorem sublatus. Hora 9a matutina, os amarum, pondus ad ventriculum, summus dolor ad caput, accusantur. Evacuans hinc alvum medicina, quae sexies effectum habuit, porrecta fuit. Post meridiem, iterum miti a febre, absque frigore, et absque lipothymia correpta fuit. Gastrica symptomata quamplurimum imminuta sunt.

Die 11a. Nocte, parva febris accessit; sudavit, bis alvum, duosque vermes ascarides deposuit aegra. Cor-

tex chinae iterum porrectus fuit. Febris post meridiem emansit, nec nocte quidem, qua ter alvum cum tribus vermibus excrevit, ea accessit.

Die 12*a*. Iterum pulvis ex cortice, rheo, ac cina porrigitur. Vermes duo secedunt.

Die 13*a*. Nulla febris. Vermis iterum excretus est; pluries alvus deposita fuit. Cortex iterum solus porrigitur.

Die 14*a*. Parva febris hora undecimâ hoc mane secuta; vermis unicus expulsus est.

Continuato nunc chinae cortice, febris fugata, et 21*a* mensis aegra, perfecte restituta, ex clinico decessit (1).

V. *Febris cardialgica cum typo quartanae.*

Joannes Boydoson, Faber Ferrarius, 27 annorum, *Hungarus*, in loco patriae paludoso a febre intermittente, autumnali tempore endemica, corripitur, quae primum quidem typum intermittentis tertianae, dein quartanae, ac tandem quotidianae servabat. Frigus sub paroxysmo erat intensissimum, calor levis, sed sudor copiosus. Durabat haec febris circiter per sex menses: cui amara sine effectu opposuit. Cessabat tandem sponte quotidiana; et post octiduum aeger, timens lienis obstructionem, huic febri saepius illinc pedissequam, spiritus vini camphorati uncias circiter duas, ter in die, pro dosi hausit. Tertia die hujus usus, magnus *ventriculi dolor et constrictio* per totum fere nycthemerum continuarunt. Quinque abhinc annis, paroxysmus *die jovis* et *lunae*, cum materiae mucosae, flavescentis, frequente per alvum depositione ac dolore abdominis, redibat. Tempore apyrexiae, si parvam interdum oppressionem a pastu excipiamus, perfecta aegrotus libertate gaudebat. *Die* 2*a* *junii*, 1801, vehementior accessit paroxysmus. Sumit aeger sal amarum, unde alvus, quinquies, absque levamine, solvitur. Nosocomium *Viennense* tunc petit, ex quo, *die junii* 12*a*, pro Instituto clinico electus, sequentia sub ipso paroxysmo symptomata nobis exhibuit:

(1) Joannes de *Piccioli*, Med. Doct., posthinc Veneti status protomedicus, ante annum ex phthisi pulmonali defunctus, historiam morbi contexuit.

Compagem corporis sat firmam, cephalaeam, linguam siccam, sitim magnam, ructus, borborygmos, dolorem, tensionem, constrictionis sensum ad ventriculum, ab attactu non auctum, anxietatem, copiosam descriptae materiae per alvum ejectionem, urinas subrubras, turbidas, lassitudinem, cutem aridam, anserinam, pulsus frequentes, debiles, sudorem copiosum.

Die 14*a* ad vesperas, quo febris accessionem averteremus, aquae menthae uncias quatuor, aquae cinnamomi vinosae unciam dimidiam, ac tincturae anodynae viginti guttas, de quibus aeger omni hora unciam semissem assumeret, praescripsimus.

Die *lunae aut* 15*a*, mane paroxysmus febrilis, sed mitior, accedit cum descriptis symptomatibus. Exhibentur extracti taraxaci, et arcani duplicati, in aquae unciis septem solutorum, ana drachmae duae.

Vespere hucusque aeger quinque modo cardialgiae insultus, ac totidem alvi depositiones mucosas, flavescentes, cum torminibus passus est. Calor erat adauctus, pulsus quidquam irritati sunt.

Die 16*a*, a paroxysmo liber est. Praescriptus est pulvis seminum phellandrii aquatici ad scrupulum unum, quem pulverem omni bihorio assumat.

Die 17*a*, nulla febris occurrit, neque cardialgia comparet.

Die jovis aut 18*a*, mane. Ab hora quinta ad octavam, aeger ter insultum cardialgicum, absque aliis febris symptomatibus, expertus est; alvum bis liquidam deposuit. Vespere sine doloribus ad cardiam ac sine diarrhoea, quam optime se habet.

Die 19*a*, levis dolor ad ventriculum comparet, a quo ter alvus deposita fuit.

Die 21*a*, hora quinta matutina, insultus subintrat cardialgicus, ac alvus frequenter deponitur.

Die 22*a*, seu die *lunae*, quatuor cardialgiae insultus accedunt, sub quibus toties alvus liquida, pauco sanguine commista, deposita fuit. Cum igitur nullum aeger a phellandrio fructum perciperet; corticis peruviani flavi drachma dimidia, omni trihorio repetenda, praescripta; praeter hanc vero, aquae menthae unciae tres, aetheris sulphurici guttae viginti, de qui-

bus unciam dimidiam singulos post pulveres hauriat, traditae fuerunt.

Diebus 23*a* et 24*a*, nec cardialgia, nec diarrhoea subsunt.

Die jovis, seu 25*a*, pro prima vice, nec cardialgia, nec alvi profluvium comparuit.

Diebus 26*a*, 27*a*, 28*a*, nihil morbosi observavimus; alvum aeger compactam deposuit.

Die *lunae* seu 29*a*, altera jam vice, a paroxysmo liber est aeger, nec dolorem ad cardiam, nec diarrhoeam percipit. Per aliquot adhuc dies amaris aeger usus, ac tandem sanatus ad suos dimissus est (1).

VI. *De febre intermittente inflammatoria.*

De febris *intermittentis* indole aliquando *inflammatoria*, vernali tempore inprimis occurrente, per venaesectionem cum evacuantibus alvum remediis, absque corticis peruviani usu felicius sananda, ac in *Epitomes* nostrae de curandis hominum morbis, libro I. §§ LXVI. — LXXI., exposita, dubia quaedam mota fuerunt (2); ac notum est, a *Brunone* omnem intermittentis naturae febrim, soli *astheniae* adscriptam fuisse. Cum diversis in Europae regnis ac provinciis artem medicam per novem lustra exercuerimus; fatebimur quidem, indolem febrium periodicarum in multis locis, coelo minus benigno instructis, praecipue apud illos, qui frugali magis victu, et pro potu, non tam vino, quam cerevisia utuntur, raro esse *energicam*. Convenimus adeo, vel sub coelo etiam magis tepido, aut calido, has febres vernales, uno magis anno, quam altero, prout nempe genius morborum diversus dominatur, frequentius aut rarius vestem sanguineam induere; sed certe in *rhenanis* provinciis felicioribus, praecipue vero in *Italia*, verno tempore

(1) *Joannes Scharcher*, Med. Candidatus, historiam morbi exaravit.

(2) Jenaische allgemeine Literaturzeitung 1794. No: 212 p. 820. » Unmöglich können wir dem Verfasser Beyfall geben, wenn er behauptet, dass *Frühlingswechsel Fieber* selten nur der Fieberrinde bedürfen, und dass man sie weit öfter mit Aderlassen und antiphlogistischen Mitteln aus dem Grunde heilen kann. »

magis sicco atque nunc tepido, nunc vero frigidiusculo, dum omnis hiberno e somno natura reviviscitur, frequens nobis fuit has febres, vere, ut vocant *inflammatorias*, seu *energicas*, observandi occasio.

Quod vero nihil hac in re docuerimus, nisi quod et propriae et aliorum experientiae innixum sit; tum paucis aliquot observationibus, quas facile augere possemus, hîc confirmabimus; tum virorum in arte medica clarorum testimonio illustrabimus. Sic *Donaldus Monro*, tam in *Anglia*, quam in *Germania*, venaesectionis, aliquando etiam repetitae, utilitatem ac necessitatem in febribus periodicis, apud milites robustos et succi plenos, observavit, inprimis ubi fortiores essent insultus, ac ubi pulsus apyrexiae etiam tempore frequentiam majorem conservarent (1). Sic apud *Mannheimenses*, vel in ipsa febre perniciosa tetanode, quo citius ad usum corticis pervenire liceret, venam semel, et aliquando bis, cum fructu secuit *Casimir. Medicus* (2). In febribus intermittentibus pertinacioris indolis, si modo vires subsisterent nimiae, *Burserius* utilitatem venaesectionis tum ex aliorum, tum ex propria experientia, confirmavit (3). In omni certe *Italia*, praecipue meridionali, in febribus periodicis, vernalibus maxime, si vires aegrorum juvenilium superabundent, venaesectio instituitur (4). In *India occidentali*, febres intermittentes comitari solent vehementes vomitus et inflammationis symptomata, quae sibi, testante *Lindio*, sanguinis missionem requirunt (5). Similis medicorum in *Gallia* observatio est (6); nec *Germaniae* medici ab ista dissentiunt (7). Clinices

(1) Observations on the means of preserving the health of soldiers. Vol. II. p. 104. 108.

(2) Sammlung von Beobachtungen, I. Theil, § 84.

(3) Institut. med. Vol. I. pag. 119.

(4) *Baglivi* prax. med. Lib. I. c. 2. §. 1.

(5) Vid. *Lind*, Versuche über die Krankheiten, denen Europäer in heissen Klimaten unterworfen sind.

(6) *Riverii* observat. Centur. IV. num. 83. = *Myron*. Ergo in febribus intermittentibus venaesectio remedium. Paris 1597. = *Pietre*, Ergo inclinante febris intermittentis accessione peropportuna venaesectio. Paris 1637.

(7) *Stoll*, ratio medendi P. IV. p. 493. = *Werfel*, in *Hufeland's* journal der pract. Heilk. IX. B. 3. St. S. 196. Vid. *Trnka*, de febrib. intermittent. p. 322.

Vilnensis nunc antistes, *Josephus Frank, Vindobonensis* antehac nosocomii medicus ordinarius, febrem quondam rebellem periodicam in isto nec per corticem chinae, nec per opium dispellere potuit, quam sola dein venaesectio feliciter devicit. Crebrius nos, *Bruchsaliis*, verno tempore, tum febres continuas inflammatorias, una alterave sanguinis missione adhibita, in periodicas intermittentes quasi dissilire, et paucis tandem alvi evacuationibus per artem excitatis, dissipari protinus conspeximus.

Etsi vero testimonia hîc allata, confirmandis illis, quae quondam docuimus, sufficerent, paucas tamen, quas in *Italia* publice instituimus observationes, eundem in finem hîc subnectimus.

VII. *Observatio prima.*

Rusticus, annos triginta numerans, forti fibra instructus, initio mensis aprilis 1791, derepente noctis tempore a calore, per tres dies continuato, atque per largos sudores dissipato, correptus fuit. Post septem, vel octo dies, horis matutinis, horrores eum invadunt, in frigus trium horarum mutati. Calor insecutus est, ad noctem eum sudoribus absolutus. Sic per mensem quotidie a febre correptus, donec Majo mense, post assumptum remedium, quod alvum copiose eduxit, a febre simul liberatus fuit. Mense septembris nova febris, quotidiana, quindecim per dies hunc virum vexavit, iterumque evanuit.

Sub fine mensis aprilis anni 1792, febris denuo recruduit, ad sextam maji mensis, eodem typo incedens. Hac die vero fortior paroxysmus accessit. Octava, febris eadem, cum vomitu, redivit, et aeger sub medio paroxysmo in clinicum Institutum *Ticinense* translatus fuit. Pulsus erant frequentes, pleni ac duri, facies rubra cum cephalaea. Urina quidem clara, sed cum urethrae ardore deposita fuit. Hypochondrium sinistrum ab attactu doluit. Decoctum radicum graminis pro potu, et cremor tartari cum exigua portione tartari emetici porrectum fuit. Ad vesperas semel alvum deposuit. Febris quidem tunc nulla; sed pulsus adhuc duri ac pleni. Venaesectio ad uncias decem instituitur, et potio alvum laxans porrigitur. Die nona,

febris nulla. Die decima, pauca. Cremor tartari cum nitro propinatur. Die undecima, febris minime accessit, atque sic in integrum fugata fuit (1).

VIII. *Observatio secunda.*

Joannes Modolli, juvenis 19 annorum, robustus, duris laboribus adsuetus, haemorrhagiae narium frequenter, nec minus Bacchi imperio subjectus, aestate praeterlapsa, a febre intermittente correptus fuit: quae, institutis aliquoties venaesectionibus, corticisque peruviani administrationi cessit. Hoc a tempore perfecta gavisus est valetudine, excepto, quod aliquoties in hebdomada sanguis e naribus prorumperet.

Die 20a mensis martii, versus meridiem, interno a frigore, tres per horas extenso, invaditur hic juvenis. Excipitur illud a calore, per reliquum diei, et per integram noctem protenso, largo tandem sudore cutem inundante.

Die 22a, mane, nulla febris; versus meridiem vero, frigus denuo revertitur, calore ac sudore iterum terminandum.

Die 23a, apyrexia; sub meridiem vero, eadem redierunt symptomata. Vespere, pulsus pleni, duriusculi, nullus capitis dolor, tussis aut dyspnoea nulla, os minime amarum, alvus bene mota. Praeter potum ex graminis decocto, victumque tenuem, nihil fuit praescriptum. Nox insomnis, calor, sudor.

Die 24a, cutis adhuc madida, pulsus plenus ac vibrans. Pulvis ex cremore tartari cum nitro, et serum lactis pro potu porriguntur. Febris eadem, ut aliâs, hora aegrum invadit, eodemque modo absolvitur.

Die 25a, a febre liber est juvenis. Praescribitur sequens remedium:

R. Salis ammoniaci,
Nitri puri, ana drachm. jβ.
Solve in aquae destill. unc. viij.
Adde Sacchar. albi drachm. ij.
M. capiat omni bihorio unciam.

(1) Adstitit huic aegro medicinae candidatus *Joannes Baptista Giudici*, qui morbi historiam conscripsit.

ebris iterum eum iisdem symptomatibus eomparuit. ox insomnis, calor magnus, sudor multus.

Die 26*a*, mane. pulsus plenus, admodum vibrans it. Sanguinis unciae decem trahuntur e vena. Suam bris iterum scenam ludit, frigus tamen nullum, et alor duas modo per horas aegrum affligunt. Sudor rgus insequitur.

Die 27*a*, pulsus minus plenus, atque pacatus. Feris nulla accessit.

Die 28*a*, febris non rediit, ac integra demum valeado restituta fuit (1).

VII. *Observatio tertia.*

Antonius Salamoni, *Ticinensis*, vir 30 annorum, ortis. ac bene nutritus, *die* 17*a* mensis aprilis 1793, ostquam humidas vestes diu gestasset, circa horam eptimam matutinam a levi frigore prehenditur, per uas horas caloribus intermixto, cui dein calor solus, ed modicus, successit, decem circiter per horas exensus, subsequente copioso sudore. *Die* 18*a*, liber omino fuit a febre; sed circa mediam noctem ejusdem liei friguit iterum per duas horas, deinde fortius ac intehac incaluit usque ad vesperas *diei* 19*ae*, quibus ub copioso sudore liber quievit. Nox placida fuit; ed hora matutina undecima *diei* 20*ae*, frigus iterum cceessit leve, non ultra horam perdurans, quod mox alor longe major, quam aliâs, excepit, ad meridiem usque *diei* 21*ae*, eontinuans, sudore profuso, non penitus, sed majorem ad partem dissipatus. Ad clinicum nstitutum *Ticinense* delatus aeger febrilem adhuc iritationem, ealorem corporis, pulsum quidquam frequentem, plenum ae durum manifestavit. Post meriliem eomparuit etiam dolor ad inferiora et anteriora inistri lateris, sub inspiratione profunda exacerbandus, quin igitur aut dyspnoea, aut tussis, aut in hoc vel llud latus decumbendi difficultas subessent. Nulla quoque doloris sub attaetu exaeerbatio, dolor capitis nullus, sitis pauca, urina cruda, sub paroxysmo flammea; lingua pura, os non amarum, abdomen molle,

(1) Adstitit aegro, et historiam morbi consignavit *Georgius Morbeck*, Germanus.

alvus modice aperta. Aegri constitutio robusta, tempus vernum, pulsuum conditio febrem anomalam intermittentem, eamque *energicam*, seu inflammatoriam, facile in febrem continuam, si stimulus accederet, convertendam, adesse docebant. Venaesectio hinc ad libram instituta, serum lactis pro potu, et cremor tartari cum nitro porrecta fuerunt. Continuatis per tres dies his remediis, febris, quae primo jam nycthemero emanserat, perfecte sanata fuit. Reliquum ad latus dolorem linimentum volatile fugavit (1).

Epicrisis.

Sic tum ad *Rheni* superioris ripas, tum in *Italia*, centenas certe febres periodicas, inprimis vernales manifeste *hypersthenicas*, absque incitantium, aut corticis chinae, aut amarorum usu, deprimentem modo per methodum felicissime dissipavimus. Rarior harum febrium *Vindobonae*, per decennium, proventus fuit. Nullas autem hujus generis vel in *Lithuania*, vel *Petropoli* observavimus. Non paucae intermittentes, quae, vernali tempore inprimis, post quinque sexve paroxysmos, infracti modo per largos sudores febremque ipsam stimuli ratione, vel sponte, et absque ullo alio auxilio disparent, ad febris plus minus *energicae* genus spectarunt; atque hinc in *Epitomes* L. I. §. LXX. diximus: « Nisi limites haec febris excedat, et nisi » calidorum, stragulorumque abusu exasperetur; ra- » rum est, eandem diutius vel ipsius naturae resistere » moliminibus. » Atqui haec omnium nationum cultarum medicis non ignota esse jam diximus. Minus vero communis est febris *energicae*, quasi *subcontinuae*, sed ad veras intermittentes pertinentis, atque *cum locali* partis aut visceris *inflammatione periodica* incedentis, cognitio, cujus febris, ex multis quae possidemus, aliqua modo hîc exempla referimus.

VIII. *Febris tertiana inflammatoria cum pleuritide.*

Georgius Morbeck, medicinae candidatus, corpore satis robusto, succipleno, ac fibra irritabili instructus,

(1) Historiam hanc redegit, aegroque adstitit medicinae candidatus *Thomas Monteggia*.

a prima juventute *Mannhemii* transacta, febribus in-
ermittentibus, hîc loci endemicis, nonnunquam epide-
nicis, frequenter subjectus, crescentibus annis ab
dontalgia rheumatica haud raro vexatus, adolescen-
ae vero annis, interdum a vertigine, sopore, per
enaesectiones dissipandis, correptus, *die* 9^a decembris
791, dum aestuante corpore se frigidae aurae expo-
uisset, hora quinta vespertina, a frigore, tres per horas
aeviente, invasus fuit. Sequuntur hoc intensus calor,
ephalaea atrox cum deliriis, summa respirationis dif-
cultas, cum pungente ad latus sinistrum thoracis do-
ore, tussi aliqua, et deglutiendi labore.

Die 10^a, horis matutinis, dolor capitis, deliria ces-
ant; caetera symptomata continuant. Alvus a biduo
lausa, lingua sicca, impura, nulla tamen oris amari-
es, ructus nulli, accusantur. Pulsus duri admodum,
leni ac frequentes sunt. Sanguis ad uncias quindecim
nittitur; decoctum hordei propinatur cum nitro et
xymelle; clister injicitur. Potus, ob faucium dolorem,
nte secundam a meridie horam ingeri non potuit.
minuebatur tunc quoque dyspnoea, dolor lateris;
ussis nulla fuit. Pulsuum frequentia, durities, conti-
uant. Vespere, sanguis eductus, etsi densus et siccus,
orio tamen non obtectus est. Alvus ab enemate soluta,
omnus noctu aliquis concessus fuit.

Die 11^a, mane. Dolor lateris punctorius vix non eva-
nuerat; reliqua continuant. Potio alvum laxans ex
pulpa tamarindorum et cremore tartari solubili prae-
cribitur. Ad noctem prorsus insomnem, exceptis solis
deliriis, ea ipsa, quae ad noctem diei 9^{ae} contigerant,
succedunt symptomata. Sudor nullus, nullum in urinis
sedimentum observantur.

Die 12^a. Continuant quidem pulsuum frequentia,
durities; caetera vero morbi symptomata mitiora sunt.
Unciae sanguinis tredecim educuntur, alvum laxans
medicina repetitur. Hora pomeridiana secunda, re-
crudescunt morbi phaenomena, et quidem cum eadem
vehementia. Venaesectio tertia instituitur; qua factum
est, ut, respirationis difficultate ac dolore lateris dis-
pulsis, non nisi pulsuum continuarent et plenitudo et
frequentia. Alvus ad vesperas bis fuit soluta, faecu-
lenta. Cognita nunc febris intermittentis subcontinuae

indole, cum simul febres periodicae regnarent, hinc inde cum pneumonia et laterum dolore infestae; corticis peruviani uncia, binis vicibus intra duas horas, remissionis insecuturae tempore, assumenda, dein vero ejusdem corticis drachma una, cum octo granis nitri, omni hora ingerenda, praescribuntur. Nocte sequente somnus, per horas duas extensus, aegrum restauravit. Nihil sudoris, nil sedimenti in urinis observari potuit.

Die 13*a*. Febris continuat, pulsus iidem sunt; alvus bis excernitur. Sequitur nox insomnis, animus diversis ab ideis obruitur; sudor nullus, nullum in urinis sedimentum.

Die 14*a*, iterum corticis chinae uncia una, cum nitri drachma, medicinam constituit. Ad noctem somnus languida membra refecit, quin sudor, aut in urinis sedimentum, comparuerint.

Die 15*a*. Febris imminuta. Medicina eadem. Nox insomniis, agitatione corporis perturbata.

Die 16*a*, idem rerum status; sed noctem aeger quietam transegit. Nec sudor tamen, nec sedimentum in urinis se produnt.

Die 17*a*. Pulsuum vibratio, frequentia cessant; eorundem mollities atque tarditas redeunt. Apyrexia plenaria noxque tranquilla succeduut; sudor tamen ac sedimentum in urinis defuerunt.

Ab hesterna die febris in totum siluit. Corticis drachmae duae per aliquot adhuc dies adhibentur, post quos valetudo integerrima restituta fuit (1).

IX. *Peripneumonia periodica.*

Felici compage instructa, decimum nonum aetatis suae annum agens, puella, rite semper menstruata, a peripneumonia tres ante annos conflictata fuit, debilitante sub methodo fugata. *Die* 22 mensis maji 1794 haec virgo clinicum *Ticinense* Institutum ingressa est. Ante quinque dies, ut refert, nulla data causa, hora quinta pomeridiana, illa per bihorium intense friguit; vomitus materiae amarae, viridescentis, cephalaea, et ad lumborum regionem dolor una apparent; calor

(1) Morbum proprium aeger ipse descripsit.

subsequitur, atque tunc vomitus dolorque silent; ast his, difficilis respiratio, dolor ad sinistrum thoracis latus, sub mamma, tussis sicca, decubitus in sinistrum latus difficilis, succedunt. Hac sub rerum positione vena secatur, et medicina alvum evacuans administratur. Aliquot post horas, leviter aegra sudat, symptomata singula mitiora fiunt, et remissio ad tertiam usque diem morbi persistit; in qua, hora quinta antimeridiana, frigus sat validum denuo per bihorium revertitur, iterumque vomitus, cephalaea, dolor ad lumbos sese adjungunt, dolor thoracis exacerbatur, respiratio redditur difficilior tussisque recrudescit. Vesperascente die, aegra quidquam sudavit; remissio inde per integram diem conceditur, sed febris non omnino evanuit; atque thoracis dolor, licet mitior, tussis, anxietas persistunt. *Quinta* morbi die, ad horam eandem, ac nudius tertius, frigus aegram prehendit, et singula iterum, quae supra recensuimus, symptomata comparent. Absoluto tandem frigore cum ad clinicum Institutum aegra venisset, sequentia observari potuerunt:

Facies rubra, cutis calor sano major, respiratio difficilis, dolor sub mamma sinistra urgens, sub attactu, et sub inspiratione profunda exacerbatus, decubitus utroque in latere possibilis, in dorsum vero commodior, tussis mitis, exscreatio nulla, pulsus frequens, plenus et tensus, lingua impura, os non amarum, sitis summa, alvus aperta. Libra una cruoris emittitur; decoctum hordei cum oxymelle, fomenta ad locum dolentem emollientia praescibuntur.

Vespere, remissio manifesta se prodit, dolor mitis est, respiratio facilior, pulsus sunt pleniusculi, alvus clausa, os amarum, lingua impura. Cremor tartari cum pulpa tamarindorum, praevio enemate, porriguntur.

Die 23*a* mane. Hac nocte quievit aegra, dolor mitis, tussis fere nulla, respiratio felix, febris pauca est, pulsus vix frequens, alvus ter mota. Vespere, dolor levis est.

Die 24*a*. Febris accessit, praeeunte per bihorium frigore; anxietas levis, tussis aliqua, dolor auctus, pulsus frequens, pleniusculus, sat vibrans: caput dolet.

Vespere, paroxysmus cessavit. Praescribitur nunc chinae cortex ad unciam, cujus, sex in partes divisae, portio una quovis bihorio porrigitur.

Die 25*a*. Levis paroxysmus accessit: dolor thoracis quidquam auctus, pulsus frequentes, non tamen duri sunt, tussis pauca, sudor ad vesperas, pulsusque molliores sunt.

Die 26*a*. Febris nulla, dolor mitis. Ad meridiem vero paroxysmus levis, absque frigore accessit.

Sic res *ad* 29*am* optime, sine febre ingressa est. Hac vero die, aliqua febris, levi praeeunte frigore, et capitis dolor accessit.

Die 30*a*. Ventris quidam dolores adsunt. Suspenditur pulvis ex cortice, ac ejusdem decoctum, cum laudani liquidi guttis xji. propinatur. Per plures nunc dies symptomata hystericis communia sequuntur; quibus solita ex volatilibus remedia opponuntur. Die 7*a*, junii, virgo, perfecte restituta, clinicum Institutum deseruit (1).

X. *Observatio prima.*

Rustica mulier, 44 annos nata, mater octo liberorum fuit, quos omnes feliciter debitoque tempore peperit. Per multos annos ea bene valuit; ast sex vel septem abhinc annis, modo unum, modo alterum morbum passa est, bis fore lethiferum. Anno 1787 scilicet in hoc ipso Instituto clinico a gravissima peripneumonia, anno vero 1790 ex simili morbo, non minus ominoso, restituta fuit. Duobus interim ab annis, fluxus menstruus, quin igitur pejus se habuisse videretur, non rediit mulieri.

Die vero 27*a*, vix elapsi mensis januarii, 1792, post inordinatas frigoris et caloris atmosphaerici successiones, post sudorem saepe saepius suppressum, matutinis horis haec mulier horrere incoepit, ac dein magnum frigus experta est, cui calor successit cum dolore capitis, amarore oris, tussi, difficultate spirandi, ac dolore in dextro latere ac dorso, ad regionem scapulae, nec non inferius ad primas costas

(1) Adstitit morbo, ac eundem descripsit *Petrus Beretta* Med. Candidatus.

spurias, ae legitimarum ultimas. Nausea praeterea, et ad vomitum eonamen aderant. Eandem seenam morbus lusit *die* 28^{a}. exeepto frigore. *Die* 29^{a} hoc ipsum sub febre rediit; siluit vero *die* 30^{a}, atque *die* 31^{a}.

Praeter venaeseetionem, potumque tepidum, nihil morbo primis diebus oppositum, tandem vero ejusdem sanatio ad vesperas 31^{ae} januarii Instituto clinieo *Ticinensi* eommissa fuit.

Instituto morbi examine, praeter ea, quae jam retulimus, sequentia notanda veniebant: facies eollapsa, oculi splendentes, subhumidi, genae rubentes, labia sieea, dolor eapitis, os amarum, lingua leviter a muco albo obteeta, sitis, spirandi diffieultas magna, respiratio seilieet alta, frequens, eum dolore ad eostas spurias, ad regionem hepatieam omnem, nec minus ad epigastrieam, et in sinistrum hypoehondrium exporreeto. Sub tussi, et profundiore sub respiratione, is dolor augebatur quamplurimum; augebatur etiam non ab attaetu modo, sed vel a solo stragulorum pondere. Sputa erant nulla, alvus obstrueta, urinae paueae. Pulsus erant duri, pleni, frequentes. Interius se uri referebat aegra, cujus interim cutis ealorem tam insignem non indieabat.

Venaeseetio mox ad libram instituta, deeoctum hordei eum nitro et oxymelle, fomenta emollientia et elyster praeseripta fuerunt.

Die 1^{a} februarii. Febris panea, paueus laterum dolor; tussis, respirandi diffieultas, multum imminutae: in genere, eonspieua admodum observatur symptomatum remissio. Sanguis heri emissus, corium eontraxit, ut voeant, pleuritieum; pulsus 98 ietus minuto primo absolvebant. Praeter deeoetum hordei, fomenta, clysterem, potio laxans, ex eremore tartari solubili ac pulpa tamarindorum, praeseripta fuit.

Ad meridiem ejusdem diei, frigus aegram invasit, et febris ab eo major sueeessit. Pulsationes arteriae 120 minuto primo numerabantur. Eodem, ae in ultimo paroxysmo symptomata urgebant. In omnibus itaque eontinuatum, et emulsio arabiea eum nitro praescripta fuit.

Die 2^{a}. Noete quievit aegra, alvum oeties deposuit, sudavit multum, dolor minor, ac magna febris re-

missio est. Arteriarum ictus 88 numeravimus. Dolor interim ad latus non in totum remisit.

Cucurbitulas igitur decem, scarificatas, loco dolenti applicuimus; sequentia vero praescripsimus:

R. Decocti cort. peruv. ex unc. I. parati, unc. IX.
Pulv. cort. ejusdem drachm. VI.
Syrup. cichor. c. rheo, unc. I.
M. capiat omni bihorio tertiam partem.

Vespere. Febris vix comparuit, dolor ad thoracem fere evanuit, alvus bis deposita fuit: vertuntur omnia in melius. Serum lactis pro potu est.

Die 3a. Nox optime transacta fuit. Multum aegra sudavit. Pulsus omnino sanis sunt similes. Decoctum corticis nunc omni trihorio assumitur.

Ad vesperas, nulla febris adsunt symptomata.

Die 4a. Res optime incedunt. Ob alvum non apertam, rhei portio decocto corticis infunditur.

Sic tandem paucarum spatio dierum valetudo mulieri optima restituta fuit. Urinae hoc in morbo, licet periodico, nunquam sedimentum posuerunt (1).

XI. *Observatio secunda.*

Joannes Baptista Cioca, vir 48 annorum, qui decem ante annos ex peripneumonia perfecte convaluerat, *die* 9a mensis januarii 1793, ex frigore, aestuante corpore suscepto, illico, ad horam secundam pomeridianam, corripitur a dolore circa jugulum, a tussi, et aliqua respirandi difficultate, simul a febre, in qua, praevio frigore sat forti trium horarum, subsecutus est calor per integram noctem extensus.

Mane *diei* 10ae dolor ad jugulum disparuit, ad scapulam et sinistrum thoracis ad latus conversus, cum manifesta febris remissione; donec iterum ad vesperas, eandem ad horam ac pridie, frigore, minus tamen forti ac diuturno, iterum reverso, insecutus est calor.

Sic etiam *die* 11a, concessa horis matutinis remissione conspicua, ad vesperas idem frigus rediit, nec vi quidem, nec diuturnitate alterne respondens; qua

(1) Historiam hujus morbi redegit *Aloysius Morelli*, Senensis, M. D. nunc praestans medicinae practicae in celebri Academia *Pisana* Professor.

die, nulla facta medela, in clinicum Institutum *Ticinense* delato aegro, sequentia in conspectum venerunt.

Facies pallida, dolor capitis summus, respiratio difficilis, tussis absque sputis, ponderis sensus ad pectus, pulsus frequentes, non tam pleni, nec duri, calor cutis sanum superans, dolor punctorius in latere sinistro thoracis, sub profunda respiratione adauctus, decubitus in latere affecto facilior, os amarum, lingua vix quidquam alba, sitis summa, alvus a tribus diebus non soluta, urinae jumentosae, lienis tumor.

Venaesectio ad libram, decoctum hordei cum nitro et oxymelle, fomenta emollientia ad locum dolentem, enema, praescribuntur.

Die 12*a*. Ad noctem aeger male se habuit; nunc vero febris manifeste remittit; tussis cum sputis aquosis, respiratio adhuc difficilis, pulsus quidquam pleni ac vibrantes, non tamen frequentes, dolor a latere sinistro thoracis ad latus dextrum extensus, alvus semel aperta, urinae sedimento lateritio instructae, sanguis heri emissus corio obtectus, observantur.

Cognito morbi charactere, pulvis corticis chinae ad unciam in octo partes aequales divisa, praescribitur, dosi una quovis bihorio sumenda.

Vespere. Parva febris accessit; dolor lateris, respirandi difficultas et tussis continuant. Pulsus vix frequentia peccant; molles sunt, non pleni. Alvum aeger non deposuit. Urinae sedimento lateritio instructae sunt.

Enema emolliens, linctus ex mucilagine arabica, oleo amygdalino, syrupo althaeae, fomenta circa locum dolentem praescribuntur.

Die 13*a*. Respiratio expedita. tussis pauca cum aliquo screatu, dolor ad thoracem imminutus, pulsus naturales, lingua quidquam alba, os amarum; alvus semel soluta, urinae turbidae, sedimentosae. Pulveris corticis peruviani drachmae duae, cum pulveris rhei electi drachma una, in quatuor doses divisae, quarum unam aeger quovis bihorio capiat, traduntur.

Vespere, febris non accessit; dolor a fortiore inspiratione adauctus, dyspnoea major, pulsus non frequentes, molles; os adhuc amarum; alvus his mota.

Linimentum volatile cum camphora loco dolenti inungitur.

Die 14ª. Respiratio pene libera, tussis minor, cum aliquo, eoque viscido, screatu; dolor ad latus, nisi sub profunda inspiratione et sub tussi, nullus. Pulsus non frequentes, molles; alvus sexies deposita, urina lateritio sedimento praedita. Praescribitur haustus salinus cum duabus drachmis extracti corticis.

Vespere, febris nulla, dyspnoea levis, tussis minor cum sputis quibusdam; dolorem aeger non persentit, nisi sub fortiore inspiratione, sub tussi; os adhuc amarum.

Die 15ª. Per noctem multum universo corpore sudavit; respiratio facilis, tussis pauca cum sputis viscidis; pulsus naturales. Vespere, nulla mutatio; os quidquam amarum; urinae magis tinctae.

Die 16ª. Per noctem sudavit; respiratio facilis, tussis pauca cum sputis viscidis.

Die 17ª. Iterum per noctem sudavit. Febris nulla. Convaluit (1).

Epicrisis.

In *Epitomes* Lib. II. §. CLXXXV. p. 162 « *peripneumoniam* interdum *periodicam* indolem ostendere » diximus. Quod si hoc tunc temporis (1792) novum protinus non fuit, pauca tamen hujus rei memorabilis exempla eousque ad nos pervenerant. Atqui tamen, jam ex hoc solo, quod nullus fere morbus sit, cujus faciem *intermittens febris* aliquando non mutuetur: ut cujus naturae centenas historias, praeter *Tortium* (2), collegit et *Casimir Medicus* (3); quam facile proteiformis haec febris et inflammationes partium ac viscerum subjugare sibi queat, concludi potuisset. Ac revera, intermittentis febris, una cum *pleuritide* incedentis, quamvis ea corticis efficaciam eluserit, specimen apud *Stollium* invenimus (4). *Pleuritidis periodicae* exemplum refert et Strackius (5), apud quem etiam scri-

(1) Historiam conscripsit medicinae candidatus *Pessina.*
(2) Therapeutice specialis.
(3) Von periodischen Krankheiten.
(4) Ratio medendi, vol. IV. p. 91. 92.
(5) Obser. med. de diversa febris continuae remittentis causa etc. p. 115. sq.

ptorem, febris *perniciosae*, et *ophthalmicae* (1), *arthriticae* (2), et, quae pneumoniae vicina est, *catarrhalis*, reperiuntur historiae (3). Non raro ventriculum in perniciosa *cardialgica* inflammari, lypiriamque morbum aemulari vidit *Burserius*, ita ut ante corticis usum semel aut binis vicibus venam in brachio secuerit (4). Eodem modo et *Bangius* vomitum inflammatorium; partim vero sanguineum, in *tertianis cardialgicis* descripsit (5). Varios quidem in gyros hîc theoria medicorum, quae huic explicando phaenomeno impar est, sese contorquet; sed facta, coram quibus ea toties, maxime in eruendis morborum periodis obmutescit, loquuntur, ac sub istorum imperio, incendia morbosa nunc aperte deflagrant, nunc sopiri, nunc protinus exstingui cernuntur.

Sic anno 1791, hiemali sub frigore, quo peripneumoniae in *Italia* quoque frequenter nimis dominantur, *Ticini* etiam dirus hic morbus epidemice, et, ut schedulae nosocomii mortuariae nos docebant, sub strage civium, quam antehac, longe majore, regnabat. Virum igitur quadragenarium, epidemica hac lue correptum, in clinicum Institutum suscepimus. Respiratio huic summe anxia, celer, ac prae dolore thoracis punctorio, ponderisque ad sternum sensu, vix non suffocans fuit. Tussis aspera aegrum vexabat, sputa hinc inde pauca, sed cruenta, expellens. Calor magnus, facies rubra, pulsus pleni ac duri, lingua sicca et rubra, sitis magna, alvus obstructa fuerunt.

Ex brevi et anliclosa aegri relatione experimur quidem, hunc morbum tribus abhinc diebus, horis pomeridianis magno cum frigore, calore, ac iisdem, quibus nunc stiparetur, symptomatibus incoepisse; horis autem matutinis eundem pro magna parte remisisse; sed ardua nimis pulmonum inflammatio hîc subesse nobis visa est, quin in morbo tot aliis nunc funesto, suspensionem symptomatum matutinam aut verisimi-

(1) L. c. p. 114 sq.
(2) L. c. p. 143.
(3) L. c. p. 128 sq.
(4) Instit. med. Vol. I. §. 165 p. 104.
(5) Acta Societ. Reg. Havniens. Vol. I. p. 8.

lem habere, aut adeo in aliam diem sperari posse crederemus. Ac ut verum fateamur, sub artis medicae exercitio, viginti quinque per annos tunc jam extenso; nullum nobis pneumoniae periodicae exemplum, pro tali nempe recognitum, occurrerat. Venam igitur, ad libram sanguinis, aperuimus, decoctum althaeae pro potu, fomenta lateri dolenti admovenda, et enema praescripsimus. *Altera die*, noctem inquietam fuisse, tandem vero, sudores successisse nobis referunt. Calor corporis nunc multum imminutus, respiratio longe facilior, tussis, dolor lateris leviores; pulsus, etsi adhuc frequentes, minus tamen pleni, vibrantes ac febriles sunt; loquela nunc liberior est. Mirantur omnes subitaneam tanti morbi tamque felicem metamorphosin. Hora pomeridiana, ejusdem diei, tertia, frigus magnum conquassat aegrum; respiratio mox anxia redditur, ac summe difficilis; tussis aspera dolorque lateris intensior redeunt, ac plenae discrimine peripneumoniae imago, qualis hesterna fuit, offertur. Nec tamen prima haec, a nobis ipsis facta tam conspicuae remissionis observatio, nos retinuit, quin, tam ob dictorum ferociam symptomatum, quam ob plenitudinem vibrationemque pulsuum novam, venam denuo ad libram tundere vel quidquam dubitaremus. *Tertia die*, horis matutinis, promptius subintravit symptomatum remissio, hesterna adeo evidentior. Sanguis heri eductus corio iterum denso obductus est. De periodica nunc indole morbi prorsus convicti, corticis optimi unciam unam, remissionis tempore sollicite ingerendam, praescribimus. Hora post meridiem consueta, febris quidem subintrat, sed hesterna longe levior, ac nullis fere pneumoniae stipata symptomatibus. *Die quarta*, mane, perfecta apyrexia observatur; tussis pauca, dolor nullus, respiratio libera est. Corticis drachma una omni hora porrigitur. Ad vesperas, nulla febris accessit; tussis, ut horis matutinis, levior, dolor lateris nullus fuit; in urinis sedimentum lateritium comparuit. Aeger post paucas dies, a tanto morbo restitutus, lares proprios petiit. Cum vero aegrorum in nosodochium susceptorum, nisi omnium, plurimorum tamen, similis esset conditio; similis quoque medendi methodus apud istos, non minus felici

sub omine, introducta fuit. Subsequente adeo anni 1792 hieme, non pauci, pneumonias periodicas passi, vel una, vel altera sanguinis missione praemissa, corticis chinae efficaciam, ut in febre intermittente quavis alia, experti sunt.

Ab eo tempore, pleuritidem *intermittentis indolis* epidemicam descripsit *Carolus Blom* (1). Peripneumoniae intermittentis historiam tradidit *von Hoven* (2); ut igitur, cur vir celebris nobisque amicus, de *periodica* pneumoniarum quarundam, nisi cum febre intermittente complicatarum, indole dubitaverit (3), non satis perspicere queamus. Quod si *Stollio*, qui, ut jam diximus, pleuritidem cum febre intermittente incessisse vidit, hanc ipsam cum cortice jugulare non licuerit; vel incendium adhuc nimium in thoracis cavo haesisse, vel febrem ad lentas, quae periodos haud raro assumunt, quin intermittentium ideo ad classem spectent, pertinuisse suspicamur.

Ulterior vero rerum experientia nos docuit; *peripneumonias*, *pleuritides*, vere *adynamicas*, seu, ut vocant, *nervosas*, interdum *periodice* incedere, ac, ut plura in *Viennensi* nosodochio generali exempla conspeximus, absque omni cruoris detractione, feliciter solius administratione corticis chinae dissipari. Aliqua tantum ex istis hîc adducimus.

XII. *Peripneumonia periodica, asthenica.*

Josepha Tschobler, femina caelebs, trigesimum octavum annum attingens, menstruorum quidem fluxu, debitum ad tempus, sed nimis abundante, ac vires non parum infringente instructa, dum vigesimum et tertium aetatis annum attigisset, a peripneumonia prehensa fuit vehemente, modo septem venae sectionibus fuganda. Ante quatuor annos a febre continua correpta, tres ultro menses decubuit, viribus per evacuationes tum sanguineas, tum alvinas, non parum exhausta. Ante duos annos de phthisi pulmonali su-

(1) In Meckel's neuem Archiv. der pract. Arzneyk. I. Th. S. 232.
(2) Versuch über die Wechselfieber. I. S. 143.
(3) *Reil*, Fieberlehre, II. §. 190. S. 430. §. 201. S. 467.

specta fuit, quae tamen pituitosa magis ex tabe constitisse videtur.

Die 27*a* mensis novembris 1800, hora nona matutina, invasit mulierem frigus ingens, quod ipsam per integram diem fortiter vexavit. Accessit dolor pungens in latere thoracis sinistro, sub inspiratione ac tussi exacerbatus. Hora octava vespertina. successit calor, vehementiae frigoris aequalis; post trihorium interim, sudor universo e corpore manat copiosus, per omnem fere noctem, cum virium jactura extensus. Cessante hac cutis secretione, se liberam a febre persentit aegra. *Die* 2*a*, horis iisdem, ac heri, frigus, calor et sudor eandem urgebant; sed majore cum saevitia dolor punctorius in sinistra thoracis parte miseram invasit cum tussi, ac impedito prorsus hoc in latus decubitu. *Die* 3*a*, cuncta symptomata, non mutato ordine, sed vehementia adhuc majore, redierunt. Eodem res tenore *die* 4*a* morbi, seu 24*a* novembris, qua aegra ad clinicum *Viennense* Institutum suscepta fuit, incesserunt. Publico vero examini hîc loci submissa, sequentia exhibuit:

Habitum corporis utcunque aspectu firmum, dolores capitis, ad frontis regionem, continuos, oculos ardentes, susurrum aurium, nares impervias, linguam siccam, mollem tamen, saporem amarum, respirationem, cum ponderis sensu, impeditam, dolorem, dum spiritus profundius educitur, magnum, punctorium, tussim frequentem, fere siccam, decubitum in latus thoracis sinistrum impossibilem, cutem mollem ac humidam, calorem longe maximum, pulsus frequentes, sat plenos, duriusculos, facili tamen opere comprimendos, lassitudinem totius corporis magnam; alvum apertam.

De latente in thorace incendio dubium quidem non fuit; nec fuit de indole febris adynamica; ob accessionum interim extensionem, num continua haec esset, num vero intermittens; satis id certum videbatur. Pulmonum status, a praegressis morbis non parum labefactatus, morbi prognosin satis anxiam reddidit.

Decoctum ex radice polygalae Senegae, ad drachmas hujus duas, aquosum, cum liquore anodyno *Hoffman-*

ni, ad drachmam unam, praescriptum fuit. Pro potu, decoctum salep, cum infuso liquiritiae propinatum; locus dolens thoracis cum linimento volatili inunctus; huic vero fomentum emolliens impositum fuit.

Die 25*a*. Calor ac sudor hac nocte, quam praeteritis, mitiores fuerunt; somnus interim nullus accessit. Alvum aegra his deposuit. Hoc mane perstabant cephalaea, oculorum ardor, aurium susurrus; linguae siccitas, tussis, lateris sinistri ad thoracem dolor, et respirandi difficultas disparuerunt. Vespere, licet capitis dolor, susurrus aurium ardorque oculorum adhuc vigerent.; lingua tamen mollis et madida fuit; peripneumoniae symptomata ex integro siluerunt. Febris per diem integram se nulla manifestavit. Fomenta hinc et linimentum volatile seponuntur; continuatur in caeteris.

Die 26*a*. De nocte, et quidem incipiente, accessit frigus sat vehemens, semialteram per horam exporrectum. Calor non longior, ac sudor hoc sequuntur. Lassitudo major haec excipit, ac somnus brevior conceditur. Hoc mane, dolore capitis, susurru aurium, et oculorum ardore exceptis, aegram ab omni insultu immunem reperimus; pulsus erant parum frequentiores, duriusculi, digito tamen perfacile cedebant.

De febris indole vere periodica jamjam convicti, Corticis decoctum cum illo polygalae junctum propinamus.

Ad vesperas, praeter urinas turbidas, sedimento lateritio instructas, nulla observata fuit rerum mutatio. Decoctum salep, aegrae molestum, aqua simplex supplevit.

Die 27*a*. Eodem tempore, quo heri, ad noctem paroxysmus, sed mitior, breviorque accessit. Somnus aliquis hunc secutus est; et nunc aegrae de aurium susurru, cephalaea, oculorum ardore parum conqueritur, pneumoniae vero symptomata nulla sunt.

Die 28*a*. Ad vesperas heri, per horas aliquot, horripilationes interruptae, sed fortiores, calor brevis, ac sudor accesserunt. Nox denuo fuit inquieta: dolores scilicet, rheumaticis similes, nunc in hac parte, nunc in illa vigentes, somnum omnem excluserunt. Hoc mane nulla febris vestigia supersunt: perfrican-

tur partes cum spiritu vini camphorato. Ad vesperas, symptomata longe mitiora sunt: ciborum aliquod desiderium, mentis hilaritas se produnt. Continuatur usus corticis.

Die 29*a*. Quievit aegra per noctem, atque a somno, doloribus nullis intermisto, refocillatam se persentit. Nulla ad vesperas mutatio.

Die 30*a*. Levis se ad noctem insultus febrilis manifestavit, brevi spatio disparens somnumque non arcens. Ab isto, res optime incedunt. Decoctum amarum, loco corticis, praescribitur.

A 1*a* mensis decembris ad 3*am*, vires, sine quavis molestia, quotidie auctae fuerunt. Menstrua tunc omni absque turba redierunt: de fame mulier conqueritur, et 5*a* demum die ad suos hilaris revertitur (1).

XIII. *Peripneumonia subcontinua, nervosa.*

Catharina Morinelli, viginti annorum femina, hucusque complexionis felicis, tribus abhinc mensibus, nulla patente causa, nullaque tunc subsequente labe, menstruis orbatur, et sana usque ad 24*am* mensis novembris, 1794, diem vivit; qua tandem die, aestuante corpore, refrigerio se exponit, et paulo post a coryza, cum aliquo dolore capitis, tussi, spirandique difficultate juncta, corripitur. Paucam attentionem huic malo tribuens, nulloque artis subsidio usa, per tres dies leviter aegrotavit; sed 28*a* novembris, ad meridiem, sat intenso a frigore, ad vesperas usque durante, invaditur. Sequitur calor, et sub lucis ortu, sudor. Febris ista cum forti cephalaea, susurru aurium, dolore pectoris gravativo, ad sternum pungente, praecordiorumque oppressione stipata, matutinas ad horas sat sensibili ratione remittit, et eadem hora, sed majore indies intensitate, revertitur. Notandum interim est, quod intervallum illum binos inter paroxysmos positum, perfecta quiete a febre non gaudeat: cum cephalaea, susurrus aurium, dyspnoea, tussis, laterisque dolor perseverent, vexentque aegrotam. Sic per biduum res se habuit, si vomitum, quem nu-

(1) *Ferdinandus Stecher de Sebenitz*, Galicianus, historiam morbi conscripsit.

dius tertius (30^a novembris) semel, sub stadio caloris, passa est, et notabile symptomatum incrementum excipias. Heri, vespere nosocomium *Ticinense* mulier petiit, assumpto ibidem emeto-cathartico, quater vomuit, ac ter liquida multa per alvum deposuit.

Die 2^a decembris, mane, aegra, Instituto clinico commissa, sequentia notatu digna nobis offert: caput nempe, sub tussi inprimis, magnopere dolet; facies rubet, tinniunt aures, viae ad fauces per nares impediuntur, os amarum, lingua albida, respiratio difficilis est, et ab intensissimo illo, sub sterno latente, dolore, magis adhuc magisque redditur ardua. Tussis frequens, sputo nullo comitata, dolorem adauget. Decubitus in utrumque latus aeque difficilis est, doloribusque ad integram vertebrarum columnam, ad lumbos inprimis, infixis, redditur difficilior. Magna, sub his, miserae jactatio, suspiria, pulsus interim sanis parum frequentiores, sed duri ac pleni sunt. Prae aliis symptomatibus vel maxime de debilitate, de doloribus ad lumbos et ad sternum, atque de aurium susurru aegra conqueritur. Praescribitur haustus salinus cum pulveris *Doweri* granis quindecim. Decoctum pro potu emolliens.

Exacerbatio, ad meridiem, sine frigore praevio, imo cum intenso mox calore accessit. Ter alvum aegra deposuit. Dolor capitis, tussis, dyspnoea adhuc continuant; suspiria adsunt frequentia. Pulsus parum certe frequentes, sed nunc debiles, minime vibrantes, variabiles observantur.

Praescribitur haustus salinus cum granis decem moschi optimi. Linimentum volatile cum camphora loco dolenti illinitur.

Die 3^a. Noctem tranquillam aegra transegit, ac symptomata sensibiliter mitigata sunt: dolor nempe ad pectus sedatus, tussis pauca fuit; alvum ter deposuit; pulsus molliores magisque debiles redduntur. Haustus salini unciae septem, cum tribus moschi granis, omni bihorio ad quartam partem, propinatur.

Versus meridiem, dolor ad dextrum thoracis latus acutissimus, ejulatus aegrae exprimens, insurrexit. Versus quartam pomeridianam, exacerbatio mox cum

calore vel maximo accessit. Pulsus, praeter frequentiam majorem, nil mutati sunt. De lateris dolore molesto, de nullo vero ad sternum, ad lumbos, parum etiam de tussi conqueritur. Suspiria frequenter aegra ducit. Haustus salinus absque moscho porrigitur; linimentum volatile cum camphora loco dolenti inungitur.

Die 4a. Versus mediam noctem imminuta fuerunt symptomata. Nunc vero aegra a febre quasi libera dicenda est. Dolor nempe, heri tam atrox, nunc fere penitus disparuit; perparum tussit, faciliter spiritum ducit, nec tam frequenter suspirat. Caput minus quidem ac antehac, semper tamen dolet; aures parum tinniunt; os paulo minus amarescit; pulsus fere naturales sunt.

Praescribuntur sequentia:

R. Decocti cort. peruv. *unc.* jx.
Pulv. cort. ejusd. *dr.* vj.
Syrup. Cort. ejusd. *unc.* j.

Capiat omni bihorio quartam partem.

Post meridiem, nova superaccessit exacerbatio. Suspiria frequentius aegra ducit; de dolore lateris sinistri versus lienem conqueritur; aures magis tinniunt, doletque magis caput; calet multum et copiose sudat. Pulsus a pristinis nihil mutati sunt. Mitior hesterna fuit haec exacerbatio. Continuatur in cortice.

Die 5a. Hac nocte, hora undecima, frigus aegram corripuit, ac per horam duravit. Accessit dein calor, ac denique sudor. Paroxysmi hujus tempore, singula symptomata, quae heri vespere jam paulo exasperabantur, valde increverunt. Nunc vero sensibiliter adhuc aegra febricitat; frequentior tussis, sputa pauca sunt. Calet valde, pulsus pleniores sunt, et caput intense dolet. Suspenditur cortex, et haustus salinus substituitur. Cucurbitulae, numero octo, applicentur dolenti lateri.

Ad meridiem, symptomata, quae jamjam mitigabantur, iterum sensim exasperata sunt: calor fortis accessit, ac dolor lateris profunde ad scapulam sinistram translatus est. Suspiria sunt frequentia; calet insigniter cutis, humida tamen, et aegra valde morosa est.

Praescribitur haustus salinus cum quatuor granis moschi.

Die 6a. Dolor ad scapulas silet; sed alterum aegra nunc ad latus thoracis sinistrum negat. Non nisi auris dextra nunc tinnit, sinistra vero a susurru prorsus libera est. Magna aegrae morositas est. Pulsus interea nil mutati sunt. Continuatur in iisdem.

Vespere iterum exacerbatio, cum summo aestu incipiens, accessit. Continua nunc sunt suspiria; de lateris dolore conqueritur; tussis pauca est; cephalalgia molesta urget. Pulsus debiliores sunt. Alvus aperta est.

Praescribuntur aquae cinnamomi unciae tres, cum duabus unciis haustus narcotici. Capiat unciam omni bihorio.

Die 7a. Valde sudat aegra et saepe tussit. Suspiria multa, pulsus debiles sunt. Dolor ad latus et ad caput urgent. Medicina sequens praescribitur:

R. Decocti corticis peruv. *unc.* vj.
Extracti Cort. ejusd. *drachm.* iij.
Haustus narcot.
Aquae cinnamomi *ana unc.* ij.

M. Capiat unciam unam cum dimidia omni bihorio. Vini quoque libra per diem conceditur.

Vespere, dolor et cephalaea fere evanuerunt.

Die 8a. Bis vomuit aegra; caetera symptomata parum urgent, sudat copiose, pulsus nunc sunt debiles. Vespere iterum bis vomuit; pulsus lentiores sunt, dolor ad pectus imminutus est.

Die 9a. Cessavit vomitus; caetera sunt eadem. Repetitur medicina ex cortice.

Die 10a. Optime quievit aegra, pulsus naturales sunt. Dolor pectoris idem.

Emplastrum vesicans ad locum dolentem ponitur. Haustus salinus cum pulvere *Doweri* porrigitur.

Die 11a. Febris nulla; disparuerunt singula morbi symptomata.

Post paucas dies, convalescens ad suos felix revertitur (1).

(1) Quem immatura morte, nobis ac scientiae ereptum adhucdum amare lugemus, filius proprius, *Franciscus Frank*, historiam hanc conscripsit.

XIV. *Peripneumonia periodica.*

Vincentius Bauer, famulus Viennensis viginti trium annorum, praeter variolas, nunquam a morbis vexatus, mense junii 1804 a tertiana febre intermittente invaditur, ac, debito more tractatus, ab eadem brevi tempore liberatur. *Die* 16a mensis julii, hora 11a matutina, praevia siti insolita, frigus vehemens eundem prehendit, cui mox se tussis aspera, frequens, cum sputis paucis aquosis, cum dolore ad sternum pungente, urente, gravi dyspnoea, et ponderis ad pectus molesta sensatione adsociat. Succedit his calor, cephalaea; ac tandem sudor subsequitur. Ad vesperas apyrexia subintrat, ac praeter lassitudinem, aeger nihil accusat. *Die* 17a, cum primas matutinas ad horas sibi sanus videretur: versus horam undecimam ab iisdem ac heri, mitioribus tamen, symptomatibus tentatur; vespere denuo ab omnibus incommodis, lassitudine excepta, libero. *Die* 18a, idem redit febris paroxysmus: cephalaea, dolor ingens, oppressio ad sterni regionem, tussis continua, et magna respirandi difficultas. Circa vesperas, aeger, sensu ardoris ac doloris ad caput adhuc detentus, ad clinicum Institutum *Viennense* defertur. Tunc vero pectus ab omni incommodo fuit liberum.

Cum igitur hic juvenis jam ante mensem a febre intermittente sanatus, evidentius in morbum eundem cum aliis modo symptomatibus, incidisset; cum apyrexia, pro febre vel quotidiana, vel tertiana duplici, solito majore hucusque gavisus esset; cum praeterea nulla de primis viis affectis symptomata testarentur; mox pulvis ex chinae corticis uncia una, in octo partes divisus, quarum unam quavis hora aeger assumeret, praescriptus, — ultra vero aquae menthae unciae sex, cum liquoris anodyni mineralis *Hoffmanni* drachma una, de quibus unciam singulos post pulveres hauriret, porrectae fuerunt.

Die 19a. Hac nocte aeger dormivit. Hodie mane, hora octava, cephalaea nulla, sitis hesterna minor, appetitus ciborum aliquis, febris nulla, pectus liberum. Ad horam vero circiter decimam, paroxysmus iterum cum tussi admodum vehemente, cumque sputis

copiosis, sanguine quidquam tinctis, revertitur. Nulla vero pectoris oppressio, dolor nullus se manifestant. Ad horam undecimam, frigus illi se adsociat, ad meridiem usque extensum, minus tamen ac aliâs violentum. Succedit huic calor, ac tandem sudor; quae singula ad horam secundam pomeridianam durarunt; tussis vero ad horam tertiam usque protracta fuit, qua cessante, perfecta apyrexia secuta est.

Die 20*a*. Hora octava, res bene incedunt, nec tussis ulla, nec alia pectoris affectio observatur. Per omnem sic diem a febre consuetisque illius phaenomenis aeger plena libertate gavisus est.

Die 21*a*. Nec hac die febris, aut ullum salutis incommodum revertitur. Corticis nunc omni trihorio drachma porrigitur.

Diebus 22*a* 23*a*, cum optime se juvenis haberet, loco corticis, eidem decoctum amarum praescriptum; ille ipse vero die mensis 25*a*, perfecte sanus, dimissus fuit (1).

XV. *Pleuritis periodica.*

Maria Anna Postler, 44 annorum femina, loca profunda et inundationibus subjecta circa Danubium inhabitans, variolas et morbillos necdum passa, decimo nono aetatis suae anno fluxum menstruum, recto semper ordine redeuntem, experta est. Contracto matrimonio, absque graviditatis subsecutae ratione, hic fluxus per sex menses suppressus fuit. Tunc denuo reversus, praescriptum haec uteri secretio rythmum absolvit; sed de novo, sine causa, per novem menses retentus, fluxus ille in uteri haemorrhagiam, octodecim ante menses, conversus est. Cessante hoc profluvio, menstrua quoque hunc usque in diem cessavit secretio. Ante 14 dies, dolor lancinans brachium sinistrum, tam violens, ut ejulatus excitaverit, obsedit. Per dies quatuor hi cruciatus continuant, tunc dolor brachium deseruit, ac mox in artus omnes diffusus fuit. Venam chirurgus tunc aperit, ac praescripti medicaminis ope alvum, prima die vigesies et quin-

(1) Aegri curam habuit et historiam exposuit *Clemens Settale*, med. Candidatus.

quies, altera die quinquies sollicitat. Tunc frigus magnum, calor aequalis, ac tandem sudor subintrant. Jungitur his dolor lateris dextri thoracis violentus. Apyrexia tandem conceditur. Remanent artuum dedolatio, capitis obnubilatio, respirationis difficultas.

Idem paroxysmus tertia die, eadem hora, iisdem sub symptomatibus, redivit. Remedium et nunc chirurgus, incognitum, porrigit; febris supprimitur.

Recruduit vero ista, post octiduum, 24a mensis junii 1804. Hac scilicet die corripitur mulier a frigore, dimidiam per horam durante; subsequitur calor, cum cephalalgia, siti, dolore ad latus dextrum thoracis pungente, oppressione pectoris ac magna respirationis difficultate. Post duas horas sudor successit. Hoc demum absoluto, capitis et dextri thoracis dolor remanet. Nox turbatur insomniis.

Die 25a, circa quintam pomeridianam, eadem hora, qua primi paroxysmi apparuerant, idem paroxysmus anticipat; a prioribus, in eo, quod calor per omnem corporis superficiem extensus esset, diversus.

Die 26a. Haec aegra ad clinicum Institutum *Viennense* delata, sequentia nobis obtulit: corpus bene nutritum, caput grave, parum dolens, oculorum ardorem, genas quidquam rubentes, linguam puram ac humidam, sitim magnam, pustulas ad oris angulos et labium inferius, respirationem difficilem, oppressam, cum dolore ad latus thoracis dextrum pungente, profundiore sub inspiratione plurimum adaucto, decubitum in latus sinistrum prorsus impeditum, tussim non adeo frequentem, cum sputis paucis, nunc albis, nunc flavescentibus, pulsum non frequentem, naturali adeo tardiorem, debilioremque, calorem cutis non magnum, alvum apertam, totius corporis lassitudinem. Decoctum radicis saepe pro potu, fomentationes ad latus dolens emollientes, praescripta fuerunt.

Die 27a. Nox fuit quieta; hodie mane febris nulla, respiratio est facilis, absque dolore peragenda, tussis pauca, calor, pulsus naturales. Nec ad vesperas febris, si aliquam in pulsibus irritationem excipias, comparuit.

Die 28a. Somnus concessus fuit; expergefacta vero aegra, respiratio quidquam difficilior est, dolor la-

teris, etsi aliquomodo mitior, recruduit sub profunda inspiratione tussis, dolorque major: abdomen, ad attactum parum dolens, caput magis grave, quidquam vertiginosum est.

Decoctum corticis saturatum cum liquore anodyno minerali *Hoffmanni*, quovis bihorio ad uncias tres sumendum, praescribitur. Ad vesperas, symptomata matutina disparuere omnia.

Sic itaque, continuato per plures dies cortice, aegra, nulla amplius febris accessione vexata, et libere respirans, clinicum Institutum die 2*a* julii laeta deseruit.

XVI. *Peripneumonia cum oesophagi abscessu.*

Miserrimae sortis mulier 30 annorum, a 15 jam annis nupta, quatuor proles enixa, pulmonum inflammatione aliquoties correpta, per sex jam annos ab istis, respirandi difficultate ac magna in tussim proclivitate laboraverat, cum *die* 4*a* martii 1794 ad vesperas, lumborum dolore ad dimidiam usque columnam vertebralem ascendente, frigore per aliquot horas protenso, vomitu materiae viridescentis, amarissimae, diarrhoea, debilitate magna, capitis gravitate auriumque susurru vexata fuit. His sub aerumnis, mediam versus noctem febris sat vehemens, calor, tussis et spirandi difficultas comparent. Altera die, ubera, quae, lacte satis referta, puero per sex menses jam praebuerat, collapsa experiuntur et sicca. *Die* 3*a* morbi, vomitus alvique fluxus omnino cessarunt; cum interim continuans ad lumbos dolor aegram multum vexaret, viginti cucurbitulae illis appositae fuerunt, quarum ope dolor evanuit, ac duos fere per dies siluit, remanentibus tamen febre, tussi ac spirandi labore. *Die* 6*a* morbi, novum accessit frigus, sub quo dolor ad costas spurias dexteri lateris punctorius, sub tussi ac profunda inspiratione adauctus, comparuit. Rebus ita se habentibus, *die* 12*a* mensis ejusdem, morbi vero 8*a*, ad clinicum *Ticinense* Institutum aegra defertur; et quae sequuntur, observanda nobis exhibuit.

Colorem faciei vix mutatum, capitis dolorem super orbitas aliquem, obnubilationem quandam sensuum,

dyspnoeam, tussim siccam, dolorem ad eostas thoracis dexteri spurias, deeubitum in utrumque latus non omnino impeditum, linguam aridam, sitim, ealorem adauetum, pulsus duros, frequentes, magnae debilitatis sensum, oris nullam amaritiem, alvum apertam.

Venaesectio ad novem uneias instituta, decoctum hordei eum nitro et oxymelle, fomenta emollientia ad locum dolentem praeseripta fuerunt.

Die 13*a*. Sanguis corio obductus est. Hae nocte elapsa quievit aegra, tussis pauca, dolor aliquantum imminutus, respiratio tamen valde difficilis, sitis major, et ealor auctus; alvus bis mota, pulsus frequentes, duri. Repetitur venaesectio ad uneias decem.

Vespere pejus se habet. Sanguis a corio obteetus; per omnem diem aegra soporosa, respiratio anxia, difficilis, tussis sicca, cutis arida, dolor auctus, sitis ingens, pulsus pleni, et manifeste vibrantes fuerunt. Sanguis libere e vena dueitur.

Die 14*a*. Nulla remissio, nulla hac noete quies fuit ob tussim. Respiratio est difficilis, pulsus pleni, frequentes, duri sunt; alvum ter deposuit. Vena iterum tunditur ac decem sanguinis uneiae detrahuntur. Vespere exaeerbatio accedit; tussis eontinua, sputa nulla, sitis intensa, pulsus frequentiores, duri, vibrantes sunt; dolor, sub tussi, ad mucronatam sterni partem accusatur. Nova instituitur, ad uncias novem, venaesectio.

Die 15*a*. Parum hae noete, ob tussim saevientem, dyspnoeam, quievit; caput grave, dolor ad sternum quidquam imminutus; pulsus frequentes, vibrantes: sanguinis detraetio fit ad deeem uncias, ae eadem venaesectio ad vesperas reiteratur. Emulsio oleosa praescribitur.

Die 16*a*. Sanguis hucusque semper a eorio tectus. Tussis, dyspnoea continuant; dolor quidquam imminutus; pulsus vibrantes. Decem iterum sanguinis unciae mittuntur. Vesieans loco dolenti nunc adponitur. Emulsio cum nitro praeseribitur.

Cum symptomata ad noctem adaucta essent, sanguis de novo educitur.

Die 17*a*. Nox fuit inquieta, continuante tussi; calor tamen cutis ac respirationis difficultas quidquam mitescunt. Repetitur emulsio oleosa.

Die 18*a*. Tussis continua per noctem fuit; respiratio difficilior, dolores tamen cessarunt; calor et sitis urgent ; alvus libera. Ad vesperas exacerbatio summa accedit, tussis sicca , pulsus manifeste duri sunt. Sitis ardens , calor adauctus , caput grave est. Sanguinis iterum unciae octo emittuntur.

Die 19*a*. Nox satis quieta fuit, tussis moderata, respiratio minus difficilis; aliquis mador ad cutem comparet; caput sudat, dolores nulli ; et se melius habere ipsa aegrota advertit. Praescribitur haustus salinus cum nitro. Vespere, omnia in melius continuant. Mixtura oleosa propinatur.

Die 20*a*. Pro voto res incedunt: calor fere nullus, sitis moderata, pulsus frequentes, sed non duri, respiratio longe liberior. Praescribitur haustus salinus cum grano tartari emetici.

Die 21*a*. Eodem tenore incedit morbus ; tussis moderata, multa vero sputa, sat bonae indolis, sunt.

Die 22*a*. Sputa continuant, sudor partialis ad frontem, pulsus frequentes et manifeste duri.

Die 23*a*. Nox fuit quieta , sputa sunt copiosissima; sed *tumoris* chronici, *ad jugulum* haerentis, tensionem aliquam observamus; nullum tamen aegra hîc dolorem accusat. Vespere aliqua exacerbatio, praegresso frigoris sensu aliquo.

Die 24*a*. Tussis et sputa eodem modo continuant; irritatio in pulsu manifesta est, et dolorem aegra ad juguli tumorem accusat. Augetur ad vesperas hic dolor, et aliqua in deglutiendo adest difficultas.

Die 25*a*. Omnia in eodem statu haerent. Ad vesperas, dolor sub deglutitione iterum auctus: tumor manifeste increvit. Frigus et febricula accesserunt.

Die. 26*a*. Parum quievit aegra, debilitatem summam accusans, pulsus contracti et duri sunt; tumor summopere calet ac dolet, deglutitio difficilior quam antehac. Ad vesperas dolor lancinans ad sedem tumoris est; pulsat et rubet tumor; tussis et sputa continuant sat copiosa. Cataplasma tum ori imponitur cum linimento volatili.

Die 27*a*. Sat bene quievit aegra hac nocte et alvum deposuit, dolor tamen, et deglutitionis difficultas continuant. Tumor, adhucdum inflammatus et durus,

pulsat ac dolet. Pulsus duritiem prodit. Solutio mannae in sero lactis propinatur.

Sic ad *diem* 29^{am} usque res incedit. Sputa magna copia prodeunt. Decoctum corticis cum emulsione arabica porrigitur. Ad vesperas dolor multum adauctus, deglutitio valde difficilis est.

Ad diem 2^{am} mensis aprilis res ita, sub exacerbationibus hinc inde, continuant. Post mediam noctem, tumor per oesophagum, cum insigni puris quantitate per vomitum rejecta, apertus fuit. Ex momento aegra sublevatam se sentit. Vespere tumor subsedit, mollis fuit et indolens, febris fere nulla; deglutitio facilis. Sic ad sextam usque Aprilis diem convalescentia obtinetur perfecta, suisque aegra felix restituitur (1). Circa idem tempus, simile fere exemplum habebatur in *Ticinensi* nosodochio. Peripneumonia scilicet, cujus curam habuit vir expertissimus, ac noster in cathedra *Ticinensi* tandem successor, *Raggi*, in juguli totius praegrandem tumorem abivit, qui, profunde suppuratus, felici cum exitu sponte in oesophagum apertus fuit.

XVII. *Peripneumonia cum oesophagi tumore lethali.*

Sors faeminae alterius, triginta annos natae, 1789 in clinicum *Ticinense* Institutum susceptae, non tam felix fuit. Haec scilicet, a peripneumonia vehemente admodum prehensa, quarta morbi die ad nos delata, sex vero per dies venaesectionibus aliisque remediis solitis pertractata, ab inflammatione pulmonum vix non in totum liberata videbatur; cum altera die, post noctem insomnem, de anterioris sinistrique juguli ardore, dolore, sub deglutitione auctis, conqueri inciperet. Febris tunc nova mulierem, satis tamen moderata, invaserat. Inspectis faucibus, nec in istis, nec ad velum pendulum, aut ad tonsillas, rubor comparuit; monuit vero aegra: non hîc loci, sed profundius, circa sterni principium, ad sinistra, dolorem urgere. Tumor interim hîc loci nullus, neque calor major fuerunt. Respiratio, ut heri satis videba-

(1) Auctor historiae est *Ladislaus Robolotti*, Cremonensis, med. Candidatus.

tur libera. Potus assumptus locum dolentem transibat quidem, sed dolorem augebat. Cataplasma emolliens, illito prius linimento volatili, ad illum posuimus. Tres vero post dies, liquidis jam omnis negabatur ad ventriculum accessus; atque tunc quidem locus dolens quidquam turgebat, et ad attactum valde dolebat. Febre simul ac pulsuum duritie auctis, binas adhuc sanguinis missiones instituimus. Sed alterum tunc, insolitum prorsus, nec visum nobis antehac phaenomenon comparuit: manus scilicet sinistra ad dorsum oedematosa, tumere primum, dein et brachium ac mamma sinistra sensim sensimque insigniter inflari coeperunt.

Haec ultima nempe, absque ullo rubore, cum antehac flaccida a thorace pependisset, erecta nunc, ut in virgine torosa, maximam thoracis partem sinistri occupabat, altera mamma triplo certe volumine major, ad attactum renitens, tensa, nec indolens. Tumor vero brachii, a manu incipiens, ad humerum usque procedebat, insignis plane, ac motum partis hujus prorsus impediens. Incepit nunc et respiratio fieri difficilior, ac adhibitis licet fomentis, primum siccis, dein emollientibus, et mamma et brachium mole semper ac dolore increverunt. Tumor tunc ad jugulum sinistrum auctus, tracheam comprimendo, animam ducendi facultatem vix non omnem ademit, ac infelicem tandem mulierem die morbi decima septima suffocavit.

Sectio cadaveris.

Incisis super loco juguli sinistro integumentis, ac musculis remotis, tumor ovi magnitudinis, profundus, cum vicina trachea cohaerens, a dextra oesophagi parte exoriens, ad venam jugularem, quo loco hunc ductus thoracicus inseritur, extensus, et hanc non minus, quam venam subclaviam comprimens, versus apicem tracheae propiorem, jam quidquam pure sub-liquido repletus, comparuit. Vasa mammae lymphatica innumera, quasi injecta, suis cum glandulis turgebant insigniter. Similis fuit glandularum subaxillarium, ductuumve lymphaticorum, quidquod istorum etiam venarumque omne per brachium constitutio. In thorace sinistro unciae aliquot seri, circa pulmonem,

haud multum inflammatum, stagnabant. Omnis igitur tum brachii, tum mammae tumor, ex impedito sanguinis non minus, quam lymphae his e partibus reditu, suffocatio vero aegrae, ex tracheae per tumorem vicinum compressione, venerunt.

XVIII. *De peripneumoniae exitu in gangraenam.*

Ubi de peripneumoniae exitu, in *Epitomes* L. II. §. CXCIII. p. 148, locuti sumus, diximus simul: « de « *gangraena pulmonum*, rarissimis, quae ipsimet nos « vidimus, exemplis nobis constat. In pulmonis, cum « pleura simul inflammata, concretione, hujus qui« dem cum illo communicatam conspeximus gangrae« nam. » Non parum haec assertio, illi plurimorum de peripneumonia scriptorum adversatur; cum interim centena defunctorum ex ista hominum cadavera cum majore praecisione secuerimus; vix non omnem pulmonum ex illo morbo *plumbeum* vel et *nigrum colorem*, ex sanguine venire intelleximus: qui cruor, aegro diutius in dorsum decumbere coacto, vel et cadavere hanc in partem, per diem aut ultra, reposito, in vasis et parenchymate posterioris maxime regionis pulmonum restagnat, atque nec partium solidarum corruptionem gangraenosam, sphacelosam, nec ullum, quem gangraenae humidae spargunt, foetorem agnoscit. Vel igitur aegri pneumoniis detenti, nunc ex pulmonum parenchymate ac bronchiis per secretiones in illis morbosas celeriter infarctis, oppletis; — aut ab hydrope thoracis hoc viscus inundante, comprimente, — vel per vomicas, abscessus *suppurantur*; — vel a *pseudomembranis* pulmones exterius, in modum vaginae strictioris involventibus, angustum in spatium hi coguntur, *coarctantur*; — vel partibus vicinis pleurae costali, diaphragmati, pericardio, mediastino iidem *concrescunt*; — vel demum *duritiem*, futurae dyspnoeae matrem, concipiunt ac fovent; rarissimis vero in casibus respirationis hoc viscus gangraenae subjicitur. De hac igitur veritate convicti, ac *Vindobonensi* demum nosocomio amplissimo in rebus medicis dirigendo praefixi, dum in schedulis istius mortuariis frequentissimam *gangraenae pulmonalis* mentionem injici videremus; cadavera eorum, qui ex ista

periisse dicebantur, sedulo aperiri curavimus; atque nec unum quidem ex istis, de vera gangraena testimonium dedisse reperimus. Cum vero descriptio tam rari exitus morbi frequentissimi ac simul quampluri-mis lethalis, ad historiam illius naturalem pertineat; duo, quae nobis propria sunt, gangraenae pulmonalis exempla, quorum primum, ex inflammatione ad musculos thoracicos et pleuram, concreto huic ultimae pulmoni communicata venisse, — alterum, ob defectum destructae pulmonalis substantiae nequidem sine magna restrictione gangraenae nomen meretur, hîc exponimus.

XIX. *Gangraena pulmonis et musculorum thoracicorum.*

Carolus Antonius Fradagradi, ad clinicum Institutum *Ticinense*, die 12*a* decembris 1785 susceptus, per duos integros menses laboraverat febre erratica, intermittentium familiae affini. Nullis contra hanc auxiliis fruitus; ac suis laboribus intentus, in febrem continuam incidit cum virium prostratione, frigore, calore, tussi, sputis sanguine quidquam tinctis, dolore thoracis sub tussi auctis ac plurimum molestis. Continuabant haec symptomata per decem dies cum exacerbationibus vespertinis, aliquando cum deliriis. Postquam clinicum Institutum aeger accessisset, sequentia nobis obtulit morbi phaenomena: colorem cutis ex rubro flavescentem, oculorum albugineam flavam, saporem inquinatum, linguam ac dentes muco denso, flavescente obductos, pulsus exiles, debiles, subduros, respirationem laboriosam, tussim difficilem, sputa tenacia.

Praescribitur haustus salinus, cum vini antimoniati *Huxhami* drachma una, camphorae solutae granis tribus, et oxymellis uncia una. Clyster injicitur, ac duo vesicantia ad crura ponuntur. Ad vesperas, accessio mitior, alvus ter soluta; lingua ad apicem humidior est.

Die 13*a*. Somnus nocte elapsa paucus accessit. Nunc tussis aucta cum sputis tenacissimis, pulsus minus humiles. De aliquo dolore versus dextram et superiorem thoracis partem aeger conqueritur. Respiratio frequentior ac magis difficilis est. Lingua, dentes puriores sunt, oris amaror continuat.

Haustus salinus cum tribus kermes granis, ac decoctum emolliens pro potu porriguntur.

Die 14*a*. Noctu sat bene dormiebat, modo tussi molestatus. Hodie pulsus minus frequentes, sputa faciliora sunt, alvum aeger bis deposuit. Ad vesperas, calor ad caput maximus, pulsus frequentior. Sequitur nox insomnis. Dolor ad latus dextrum, respiratio magis anxia, sputa copiosiora, sed flava, lingua sicca. Solutio tamarindorum, cum cremore tartari, et grano tartari emetici, paulatim sumenda traditur. Ad noctem exacerbatio, sputa difficillime prodeunt. Vesicans loco thoracis dolenti imponitur.

Die 15*a*. Nox satis quieta fuit: nunc lingua purior, os non amarum, oculorum flavedo disparuit. Tussis continuat cum sputis copiosioribus non flavescentibus, sed aspectu *purulentis*. Pulsus molles debilesque, vires prostratae, urinae cum sedimento lateritio. Haustus salinus, cum vino antimoniato et camphora, repetitur. Vespere, exacerbatio, caput quasi constrictum, ponderosius.

Die 16*a*. Noctem placide transegit aeger, sudavit, ac alvum abunde deposuit; tussis minus molesta, sputa copiosiora sunt. Dolor in dextro thorace obtusus, ad ejusdem lateris scapulam extenditur. Urinae sedimento praeditae.

Die 17*a*. Nox hesternae similis, sudor copiosus, pulsus minus frequentes ac debiles. Appetitus ciborum aliquis.

Die 18*a*. Nulla mutatio; cutis flavedinem amisit. Sedimentum furfuraceum in urinis. Nulla ad vesperas exacerbatio.

Die 19*a*. Quievit noctu, de *ardoris* sensu ad locum thoracis pridem dolentem conqueritur aeger.

Die 20*a*. Nox tranquilla; fames accusatur. Augetur victus. Aliqua ad vesperas exacerbatio.

Die 21*a*. Nox insomnis, pavoribus intermista. Sitis ingens, respiratio laboriosa, sputorum rejectio difficilior, dolor ad scapulam molestus, succedunt. Vesicans ad scapulam ponitur.

Ad vesperas, symptomata augentur, ac dolor in dextro ac superiore thorace continuus est. Sputa sanguine inspersa, pulsus duriusculi, frequentes, respi-

ratio valde laboriosa, caput grave, lingua sicca, virium prostratio. Frigus ab aegro susceptum fuisse referunt.

Die 22*a*. Nox minus ardua. Sudoribus aeger perfunditur. Remittunt nunc symptomata; pulsuum tamen adest durities.

Ad vesperas, similis hesternae exacerbatio. Venaesectio instituitur, enema injicitur.

Die 23*a*. Tussis sicca, sudores copiosi, inutiles, pulsus parvi, duri, respiratio laboriosa. Sub quovis corporis motu, dolor ad scapulam dextram exoritur. Bina ponuntur vesicantia.

Ad vesperas exacerbatio, et cum symptomata dyspnoeae, doloris urgerent, sanguis ad septem uncias emittitur.

Die 24*a*. Nox admodum molesta. Dyspnoea, tussis, dolor vexaverant aegrum. Sic ad 27*am* usque res aequo more, cum vespertinis exacerbationibus incedebant, viribus semper magis fatiscentibus. Hac die magna sputorum fuit copia; oedema in dextrae manus dorso, et ad pedes comparuit. Continuus in dextra scapula dolor. Corticis decoctum praescribitur.

Ad vesperas, cum vesicans emplastrum applicare chirurgus contenderet ad locum dolentem, tumor in eodem sensibilissimus comparuit et fluctuans, quo illico inciso ichor non modica quantitate effluxit. Sublevata fuit inde quidquam respiratio.

Die 28*a*. Nox flebilis praecessit. Frigus summum omne corpus, praecipue vero locum thoracis jam diu dolentem, corripuit. Difficilior sputorum rejectio est. Sub tussi dolor nullus ad scapulam se prodit, oedema vero manus dextrae auctum, facies ipsa tumidula, aeger inquietus est.

Eodem sic tenore incessit morbus tabem manifestam adnuncians. Rigor bis in die comparuit; frigus maxime circa vulnus urgebat; sequebatur ad noctem sudor copiosus, post cibum genae rubebant.

Die 32*a*. Ichorem manifeste ex pulmone venire, bullae aëreae illi commistae denotabant. Tandem viribus quotidie detritis, vulneris labia, vicinaeque partes livescere coeperunt. Accedunt *die* 34*a* deliria, extrema debilitas; ichor e vulnere, sanguine com-

mistus, prodibat. Sequente die, mors finem posuit miseriis.

Sectio cadaveris.

Maculae ex rubro nigrescentes cadaveris superficiem confertissimae occupant. Ulceris labia partesque proxime adjacentes, de gangraena testantur. Dorsales musculi plerique de hac ipsa participant. Ipse musculus infrascapularis in tabum conversus. Via, qua ichor ex pulmone effluebat, erat inter secundam et tertiam costam, pone dorsum; ac eo loco musculi intercostales tam externi, quam interni a gangraena erant correpti. Aperto vero thorace, pulmones utrimque cum pleura cohaerebant, dexter longe magis sinistro. In utroque cavo pectoris aquae copiosae stagnabant, subrubro colore tinctae. Pulmo dexter inflammatus summopere, pars vero ejus superior, arctissime cum pleura revincta, et quo loco ultra inter costas haerebat, *sphacelosa* fuit, ac tetrum foetorem spargebat, sinum offerens, ex quo ichor in vita propullulaverat. In cavo abdominis, aquae non multum repertum fuit. Lien mole auctus, hinc inde durus, hepar solito majus non vero morbosum repertum fuit (1).

XX. *Foetor quasi gangraenosus pulmonis inflammati.*

Syrus Compari, triginta annorum rusticus, floridus, robustus, nullis unquam morbis vexatus, anno elapso ab equo dejicitur. A lapsu, dolor ad epigastricam regionem, respiratio difficilis, et susurrus ad aurem dextram successerunt; nulla tamen aut contusionis vestigia externa, aut febris comparuerunt; hinc nulla adhibita medela, sponte sensim ab istis, dyspnoea quadam et auris susurru exceptis, convaluit.

Tertia die mensis decembris 1792, ad meridiem, vir hic a frigore per horam protracto, subsequente calore, nullo tamen sudore, derepente corripitur. Dolor pristinus, quem per multos jam menses non amplius persenserat, sub tussi ac profunda inspiratione

(1) Morbi historiam adnotavit *Dominicus Farina*, Med. Doctor.

nunc recurrit, vox rauca superaccedit: *Die mensis* 4a, symptomata singula mitiora videntur; ad meridiem vero frigus cum illorum omnium augmento aegrum adoritur. *Die* 5a, mane, symptomata iterum remittunt. Ad meridiem, frigus denuo supervenit, quod calor ac pristina symptomata, violentia majore comitantur. Sic eodem ritu singula incedunt 8a mensis et 6a morbi, dum circa vesperas ad clinicum Institutum *Ticinense* accederet. Facies tunc subflavo colore notata est, quem vultus colorem tribus abhinc annis, sub oryzae cultura laboriosa, humidoque sub tecto degens, aeger contraxerat. Dolor capitis sat fortis accusatur; auris dextrae susurrus auctus est, ac si magnae avium cohortes, ut aeger se exprimit, cantum in aure exererent. Os amarum, lingua humida, muco albo quidquam obducta, sitis magna, dolor et ardor faucium, cum raucedine sat magna; difficultas deglutiendi respirandique, tussis aspera, sub qua dolor ad scrobiculum cordis augetur; sputa pauca, viscida, se produnt. Nec ructus, nec nausea, nec vomitus obveniunt; abdomen molle, alvus aperta, calor cutis ardens et siccus, pulsus frequentes, pleni ac duri comparent. Nullam morbi causam aeger, nisi frigus admissum, accusat. Venaesectio ad uncias novem instituitur; pro potu decoctum hordei cum nitro et oxymelle praescribitur.

Die 9a. Febris eadem, pulsus pleni, duri, vocis raucitas continuant, alvus bis deposita fuit. Vena iterum ad novem uncias secatur. Emulsio amygdalina cum nitro et mucilagine gummi arabici praescribitur. Serum lactis pro potu est. Linctus demulcens conceditur.

Vespere alvus bis mota fuit. Ardor faucium continuat, similisque sensus tracheam occupat. Pulsus minus frequentes minusque duri ac pleni sunt. Vapores ex aqua et aceto hauriri curavimus.

Die 10a. Nox fuit inquieta; alvum aeger ter deposuit. Ardor, dolor faucium, tracheae, tussis, continuant. Dolor ad caput et scrobiculum cordis imminutus est. Pulsus frequentes ac duri sunt. Hirudines decem circa laryngem ponuntur.

Vespere, bis alvum deposuit; de cephalaea aurium-

que susurru, nec minus de laryngis ardore, aeger maxime conqueritur. Venaesectio repetitur; vapores continuantur et linctus.

Die 11*a*. Parum quievit hac nocte, bis alvum deposuit aeger. Os non amarum, lingua pura est. Aurium susurrus minor, tussis aucta, sicca, sputa aquorosa; dolor, ardor, siccitas per omnem tracheae decursum; respiratio difficilis, anxia; deglutitio laboriosa; pulsus frequentes; vibrantes, duri sunt et pleni. Sanguis hucusque emissus, corio semper obductus fuit. Alter nunc ad libram emittitur cruor. Vesicans laryngi apponitur. Cum eadem ad vesperas urgerent symptomata; sanguinis adhuc unciae quatuordecim eductae fuerunt.

Die 12*a*. Nox inquieta, alvus bis mota, urinae fere naturales, facies collapsa, hippocratica, dolor maximus ad aures, lingua sicca. Dolorem ardoremque tracheae non amplius aeger accusat, sed modo magnam per omnem ejus decursum siccitatem esse conqueritur; sputa vix ulla; respiratio anhelosa, difficilis, tussis sicca, sub qua aeger dolorem punctorium ad hypochondrium sinistrum, inter ultimas duas costas veras indicat. Pulsus vibrantes, pleni durique. Venaesectio ad libram, — oleum olivarum ad uncias sex cum mucilagine arabica et syrupo althaeae. ad duas uncias omni bihorio sumendum, — fomentationes emollientes ad locum dolentem, praescribuntur.

Vespere eadem symptomata continuant. Alvum quater deposuit, respiratio anhelosa, difficilis. Dum bibit aeger, tussis sicca, et dolor ad hypochondrium sinistrum excitantur; aliqua deliria obveniunt. Medicinae ultimae portionem evomuit. Unguentum merculiale laryngi et tracheae illinitur.

Die 13*a*. Hac nocte fere semper soporosus fuit aeger; expergefactus delirat. Labia livida, facies collapsa, magna debilitatis sensatio, surditas aliqua, respiratio inaequalis, anhelosa, adnotantur; tussis pauca, sputa *submembranacea*, alvus bis deposita, pulsus adhuc vibrantes, pleni ac duri, ad novam sanguinis missionem sollicitant:

Ad vesperas singula in pejus ruunt; sopor, tussis continuant; sputa nulla, pulsus adhuc duri, sed inor-

dinati sunt. Vesicans thoraci imponitur. Hora noctis circiter octava cum dimidia, aeger suffocatus periit.

Sectio cadaveris.

Post diem unam et dimidiam a morte, sub coelo frigido et sicco, cadaver hoc dissectum, nec minimum putredinis externae signum manifestavit; musculi thoracis erant firmiores, sicci: aperto thorace, foetor multus ex eodem prodiit. Pulmones anterius flaccidi, hinc inde exterius rubri. In sinistro pectoris cavo, ad quod dolorem punctorium aeger ad ima persenserat, modo inferior lobus pulmonalis mole ac duritie quidquam auctus, sed inter loborum interstitia aquae rubellae plures unciae haerebant, pseudomembranis inclusae. Pulmo dissectus ubique insignem, toleratu difficilem, et cadaverosum prorsus foetorem spargebat; sanies ex eodem infensissimi odoris, et corrupta effluebat. In dextro thoracis cavo, in quo pulmo non inflammatus haerebat, serum sanguinolentum, ad uncias quinque circiter, stagnabat. Pulmo hic etiam dissectus, etsi non turgeret, foetebat. Bronchiis, trachea, ac ipso demum larynge apertis, et muco abinde absterso, tenaci, rubro subflavo, superficie sua interna nulla ruboris ac inflammationis vestigia illa prodebant. Ad fauces quoque nec rubor, nec tumor comparuit. Ad aurem vero dextram, internam, vera inflammatio superficialis adnotata fuit; nec a muci abstersione rubor hic disparuit. In ipso etiam pericardio aquae rubellae ac sanguine tinctae, tres circiter unciae haerebant. Nec ipsum ad cerebrum, nec ad viscera abdominis, morbosi quid detectum fuit (1).

In *Epitomes* Lib. II. §. CXCIII. p. 150, de peripneumoniae diverso exitu loquentes, diximus: « Exanthemata pustulaeque nrcntes ad superficiem corporis depositae, maxime vero erysipelas cum constantia ad cutem comparens, peripneumonias, inprimis malignas, interdum dissiparunt. » Praeter aliorum vero, quae hanc assertionem confirment, observatio-

(1) Historiam morbi exaravit *Franciscus Nocetti*, celebris nunc Chemiae in Academia *Ticinensi* Professor.

nes, propriam habemus, quam hîc, breviter contractam exponemus.

XXI. *Peripneumonia per exanthema pustulosum judicata.*

Mense decembris 1792, femina ad Institutum clinicum *Ticinense* suscepta, punctorio lateris sinistri thoracis dolore affecta, difficulter admodum respiravit, de gravi pectoris oppressione conquesta. Febris aderat magna, pulsus durus ac plenus, decubitus in latus affectum denegatus, tussis aspera. Instituta venaesectione, pustulae urentes, *Zosteri* non absimiles, insignem ad numerum, ad brachium dextrum, circa cubitum, comparuerunt. Ardorem hae pustulae insignem excitabant, ac indies dolor, cutis tensio et phlogosis crescebant, tumebat omne fere brachium; sed morbus principalis evanuerat, pulsus, ex plenis ac duris, reddebantur molles, fere debiles, hinc inde intermittentes, vix febriles. Post octo circiter dies, dolor, a superimpositis emollientibus non imminutus, ab aqua vegeto-minerali *Goulardi* et ab unguento saturni dispersus fuit, posito tamen simul inter scapulas vesicante emplastro, ac antimonialibus remediis interne adhibitis.

XXII. *Peripneumoniae copioso urinarum fluxu judicatae.*

Annis 1791 et 1792, cum plurimae peripneumoniae, caequae gravissimae, *Ticini* regnarent, conspicuum aegrorum, hoc morbo affectorum, numerum conspeximus, qui sub urinae, licet pallidae aut clarae, atque omni sedimento destitutae, copiosissima excretione felicissime judicati fuerunt. Ad libras scilicet decem, duodecim et ultra, per multos satis dies mingebantur tales urinae; nec recordamur aegri ullius, qui sub tam insolito phaenomeno hoc a morbo perierit. Nec tamen sitis his in aegris, quam in aliis peripneumoniis, major, nec alterius naturae vel potulenta, vel medicamina, quae aegris obtuleramus, fuerunt. Modo unum, ex multis, exemplum huc faciens adducimus, in hoc etiam, etsi non inauditum, memorabile tamen, quod aeger, de quo agimus, *un-*

decima jam *peripneumonia* correptus, hanc etiam felici sub omine superaverit.

XXIII. *Peripneumonia undecies repetita.*

Josephus Massara, 33 annos natus, vir robustus ac bene pastus, licet temperate satis vixisset, plurimis tamen morbis subjectus fuit, quos inter aliquae febres periodicae numerandae veniunt, a quibus insignis, et hucusque persistens, lienis intumescentia natales traxit. Sed morbus huic viro maxime familiaris, peripneumonia fuit, ita ut decies jam et ultro fatali hoc malo conflictaretur, ex quo bis in clinico Instituto *Ticinensi*, sub methodo debilitante, seu, ut vocant, antiphlogistica, felicissime convaluit. Dolor lateris punctorius, sub diversis his pneumoniis, gradatim varias thoracis partes peragrare, nec unum sibi ac eundem semper locum, quod in aliis solenne est, aligere soluerat, ita ut nullus fere in theca pectoris locus esset, ad quem morbus idem non quondam resedisset.

Die 15*a* mensis novembris 1792, hic vir, dum iter parvum absolveret, a diarrhoea invasus fuit, atque eadem ipsa die, domum redux, sub vespere, a febrili frigore, sat tamen levi, invaditur; iterum atque iterum mox mediocriter calet, ac multam bilem, repetitis vicibus per vomitum rejicit; tandem a dolore lateris sinistri thoracis, cum tussi ac dyspnoea prehenditur. Die sequente, longa jam experientia methodum curandi edoctus, venam sibi aperiri voluit, et copiosum ex ea sanguinem eduxit, unde levamen quidem non paucum persenserat; sed copiosum quoque cruorem per sputa rejicere coepit. *Die* 16*a* mane, ab audacis manu chirurgi pulvis aegro emeticus porrigitur; nec tamen magis abhinc, quam aliâs in decursu morbi vel sponte solebat, vomuit. Hac eadem vero die aeger, ad vesperas, idem ad Institutum clinicum relatus, admodum difficulter celeriterque respirabat. Aderat quoque punctorius sinistri thoracis, cum ponderis sensu conjunctus, dolor; tussis, sat quidem frequens, sed non vehemens erat; decubitus in latus affectum facilior, in sanum difficilis; os amarum, lingua subalba, sat tamen pura, facies rubra, oculi

splendentes; venter, si lienis regionem excipias, sat mollis; diarrhoea, cutis calor moderatus, pulsus non adeo frequentes, sed admodum pleni ac vibrantes. Mox cruoris unciae sedecim e vena emittuntur; decoctum hordei cum nitro et oxymelle pro potu propinatur; fomentationes emollientes loco adfecto imponuntur.

Die 17*a*. Alvus ter mota, respiratio quidem facilior, dolor lateris minor, novus ad posteriora thoracis dolor, leve hora quinta matutina frigus, sputa quidquam sanguine tincta, cruor emissus heri, denso corio obtectus, calor et sitis mitiores, pulsus minus frequentes et duri. Vena interim ob reliquam, nec imminutam, dyspnoeam, sanguinis libra una depletur.

Vespere, febris aucta; sed respiratio a detracto sanguine, longe facilior, alvus quater mota, pulsus frequentiores et duri. Sanguis ad libram mittitur.

Die. 18*a*, mane. Noctu, copiosus sub somno sudor; sed a denudato tunc corpore insignis refrigeratio, ac febrilis quasi frigoris sat longus sensus. Exinde mox dolor ad posteriora disparuit, et ad latus denuo increvit. Sputa sanguine striata sunt. Mittitur sanguis ad libram. Ad vesperas febris aucta, pulsus pleni ac duri. Repetita fuit ad libram unam venaesectio. Clyster injicitur.

Die 19*a*, mane. Alvus ter mota, tussis frequens, sputa cruda, parum tincta, respiratio difficilis, pulsus pleni ac duri. Cruor ad libram educitur.

Vespere, alvus semel mota, febris exacerbatio exigua, pulsus minus pleni, sed duri; facilior respiratio, dolor minor. Enema injicitur.

Cum ad noctem difficultas spirandi augeretur, novem unciae sanguinis detractae fuerunt.

Die 20*a*. Respiratio adhuc difficilis, dolor sub profunda inspiratione auctus, pulsus pleni ac duri; debilitas et sese erigendi impotentia. Sanguis tamen ad libram extrahitur.

Vespere, febris aucta, pulsus duri, sat pleni, respiratio difficilis, ventris hinc inde tormina levia et flatus copiosi, licet alvus bis fuerit excreta. Venaesectio ad novem uncias instituitur.

Die 21*a*. Respiratio facilior, pulsus minus pleni ac

duri, dolor lateris minor. Alvus semel soluta. Haustus salinus praescribitur.

Vespere melior aegri status est: respiratio facilius absolvitur, pulsus sat molles sunt. Clyster infunditur.

Die 22a. Dormivit aeger, sudavit per omne corpus; dolor lateris continuat, ad posteriora quidquam extensus: respiratio sat facilis, pulsus vix duri, urina cum sedimento, exscreatus facilior. Granum tartari emetici haustui salino superadditur.

Vespere, febris quidquam aucta, pulsus pleniores, subduri, dolor lateris idem, alvus ter mota. Hirudines octo ponuntur ad latus dolens: clyster injicitur.

Die 23a. Tussis frequentissima, vehemens fuit, vox rauca, aliqua pulsuum vibratio, minor lateris dolor.

Vespere febris exasperata, pulsus pleni ac vibrantes, dolor lateris idem, alvus semel mota. Venaesectio ad uncias octo.

Die 24a, melius aeger se habet, pulsus minus pleni sunt. Aliquis adhuc dolor lateris est, respiratio facilior, alvus non mota, urina cum sedimento. Enema porrigitur.

Vespere, exacerbatio notabilis, raucedo, pulsus plenior, dolor lateris perstat.

Die 25a et 26a. Eadem rerum constitutio. Linctus, praeter haustum salinum praescribitur.

Die 27a. Dolor lateris idem. Oppressio ac dolor ad ventriculum, pulsuum aliqua vibratio. Mannae unciae tres in sero lactis solutae, omni hora ad vasculum propinantur. *Urinae copiosissimae*, sed naturalibus similes, redduntur.

Vespere, insigne malorum levamen habetur; febris nulla, alvus bis copiose soluta, dolor lateris idem. Linimentum huic volatile cum camphora inungitur.

Die 28a. Copiosae admodum, sed clarae pellucidae, ere pallidae, urinae fluunt.

Die 29a. *Ultra duodecim libras urinae* ejusdem minxit aeger, ac magnum inde levamen persensit; ciborum desiderium, sub febre nulla, subintrat; vires redire incipiunt.

Die 30a, magna iterum urinae similis quantitas effluxit.

Die 31a. Eadem urinarum, nisi major, quantitas,

per plures adhuc dies excreta fuit; majorem aeger victum desiderat et obtinet. Ob dolorem lateris penitus fugatum, vesicans huic emplastrum imponitur, unde dolor omnis disparuit, aegerque sensim perfecte convaluit (1).

XXIV. *Pleurae inflammatio et gangraena.*

Joannes Antonius Abelli, bubulcus, annorum 30, vino deditus, bonaque valetudine instructus, anno praeterlapso per coitum impurum medorrhoeam contagiosam cum bubone contraxerat, quo bubone tandem suppurato, sanitas aegro restituta fuit. Prima nocte anni 1789, cum sanus lectum petiisset; post somnum quatuor horarum, per tussim expergefactus, dolorem validum ac dilacerantem inter scapulas persensit cum horrore totius corporis, cui calor successit, nullo tamen sudore pedissequo. Hic dolor paulatim a scapulis ad lumbos usque propagatus, febrique continuae junctus fuit. *Die* 2a mensis, ad vesperas, Clinicum *Ticinense* aeger petiit, ac mox instituto morbi examine, sequentia nobis obtulit: dolorem ad utriusque orbitae partem superiorem, respirationem anxiam, perdifficilem, tussim asperam, dolore plenam, cum sputis sanguine tinctis; ruborem quasi scarlatinum ad jugulum partemque superiorem pectoris; os amarum, linguam muco albo obductam, nauseam, vomiturilionem, vomitum ipsum materiae amarae, sitimque magnam, ponderis ac distensionis molestae sensum in epigastrica regione; hypochondria tensa, ad attactum sensibilissima, abdomen quidquam turgidum, alvum constipatam, pulsus exilissimos, vix percipiendos, celeriores tamen et intermittentes. jactationes, stuporem quemdam, sensibilitatem imminutam, et frigus extremitatum inferiorum. Interrogatus aeger de causis: quatuor abhinc diebus se, ebrium, in aëre gelido ac patulo diu jacuisse, nec non duos ante dies, cum grave pondus repetito nixu elevasset, se lacerationis quasi sensum circa dorsum, brevi tamen tempore durantem, habuisse, respondet.

(1) *D. Andreas Sniadecki,* nunc celebris academiae Vilnensis Professor, historiam morbi conscripsit.

Aceti ammoniacalis unciae quatuor, aquae florum sambuci unciae sex, ac tartari emetici grana duo, de quibus omni bihorio unciam sumat aeger, — linimentum volatile cum camphora, dorso ac lumbis inungendum, — fomenta calida, et enema praescripta fuerunt.

Vix assumptam medicinam aeger per vomitum reiecit. Injectum elysma mox, inscio eodem, effluxit. Tandem tertia post mediam noctem hora, suffocationis metu perculsus miser, corpus ad sedendum in lectulo erexit, ac brachia, petendi auxilii gratia, attollens, supinus iterum concidit, spiritumque efflavit. Ex ore defuncti spumante, fluxus ex nare dextra sanguineus, ex sinistra vero serosus insecutus est, commoto quidquam pectore ad libram et ultra auctus.

Sectio cadaveris.

Dorsi superficies, extremitates inferiores aurisque sinistra livorem manifestant. Aperto thorace sinistro, pauca sanguinis fluidi portio detegitur. Pulmo sinister, ad posteriora lividus, inferius cum diaphragmate, ac ad latus cum pleura concretus, et quasi sanguine adsperso notatus, lobi inferioris substantia, quidquam crassior, turgida, ponderosior, et aliquomodo, posterius praecipue, inflammata est. Pulmo dexter, ad superiora, cum pleura concretus. Hoc eodem in cavo, sanguinis fluidi unciae quatuor, circa, haerent. Aperto pericardio parca fluidi quantitas, solita non superior, reperitur. Cor flaccidum est. In ejus cavo dextro, sanguis paucus, grumosus, in sinistro polyposa mollisque substantia detegitur. Atrium cordis sinistrum, ad superficiem internam, lividum, valvula septo medio proxima, inflammata. dissecti cordis interna superficies magis rubra, valvulae ipsae semilunares rubescentes sunt. Hoc e rubore pulmonalis arteria minime participat. Pleura dextri lateris, sanguine licet sollicite absterso, inflammata, livida, inter quartam vero et septimam costas veras, nigra conspicitur. Dissecta pleura, lividae magis ac molliores sunt fibrae musculorum intercostalium. Pleura quoque sinistri cavi thoracici, affecto pulmoni respondens, inflammata pariter ac livida observatur. Hac detracta, comparet ecchymosis cum infarctu,

fibris intercostalibus, a tertia costa vera, ad ultimas usque, intermedio. Tracheae superficies interna valdopere inflammata, et sanguine quidquam tincta. Haec tracheae inflammatio, per bronchia extensa, in minoribus ex istis quasi major est visa. Nullum in thoracis cavitatibus dirupti vasis vestigium reperitur. Dissectis musculis dorsalibus, ac iisdem a columna vertebrali separatis, circa septimam apophysin vertebrarum spinosam, livor, utraque ex parte, occurrit conspicuus simulque profundus. In genere, versus cervicem, vasa sanguinea magis sunt turgida. In abdominis cavo, nihil, quod morbosum esset, detegitur. Dissecta deinde per longum dura meninge, medullam spinalem cingente, humorem haec, ultra quam solet, aquosum, ac a sanguine leviter tinctum, continebat. Arteria spinalis posterior turgida et quasi injecta comparebat. Ablata superiore calvariae portione, sanguinis quidquam congrumati portio intra duram matrem et ossa cranii, praesertim in parte posteriore, reperta fuit. Dissectis cerebri meningibus, vasa corticalis substantiae venosa dextri hemisphaerii, turgida fuerunt, alia minora, quasi injecta. Eadem et sinistrum ad hemisphaerium. Cerebrum ipsum ubique sanguine infarctum erat, anatomici manus tingente. Vasa venosa plexus choroidei ventriculi dextri, quasi nigra, ita et in sinistro, reperta fuerunt. Cerebellum quoque a sanguine summopere fuit tinctum (1).

XXV. *Peripneumonia senum.*

Modo satis firma sit febris, quae peripneumonias, non parum certe diversa, comitatur, diagnosis; ubi indolem illa energicam seu *hypersthenicam*, agnoscit; nec aetas, nec sexus, nec uteri aut gravidi, aut puerperalis conditio, quo minus sanguis, pro varia morbi dominantis indole, ac pro aegri natura diversa, manu nunc moderata, nunc fere profusa, prout in *Epitomes* Lib. II. §. CXCVIII, cum aliis docuimus, impediunt. Quod autem eundem ad locum p. 161, in hujus praecepti confirmationem, *senis* fere *octogenarii* exem-

(1) Adstitit aegro morbumque brevem descripsit *Franciscus Maria Fortina*, Med. Candidatus.

plum leviter tetigimus, hoc nostris ex diariis depromptum, hîc fideliter exponimus; et alterum mox viri *septuagenarii* morbum huic similem subjungimus.

XXVI. *Observatio prima.*

Petrus Antonius Galbarini, rusticus aliâs, nunc urbis *Papiensis* incola, aetatis annum fere octogesimum attingens, constitutionem a natura robustam obtinuit. Scindendis trabibus occupatus, solo indusio obtectus, saeviente adeo hieme, ad profusum usque sudorem laborare assuetus, quinquies pleuritidem, modo in dextero, modo in sinistro thoracis latere, contraxit, morbum tamen semper devicit; et si levior erat, absque medicis auxiliis, cum solo decocto panis vinoso, et excitato posthinc sudore, profligavit. Cum tamen de novo sudoribus difflueret, *die* 25*a* mensis februarii 1787 refrigerio expositus, a dolore versus costas spurias dextri thoracis, cum frigore maximo, per diem integrum extenso, inde vero a tussi, et dyspnoea, correptus fuit. Ad vinosum iterum panis decoctum, sed infausto sub omine, confugit, ac morbum potius adauxit. Tertia igitur hujus die, chirurgi consilio, venam solvit, et quarta etiam die sanguinem sibi detrahi curat. Cum tamen morbus aequo tenore proserperet, septima hujus die, 3*a* nempe martii, nosocomium *Ticinense* adivit. Hîc binis vicibus venaesectio repetitur. *Die* 4*a* circa vesperas aeger ad Institutum clinicum deducitur. Dolor punctorius dextro thoracis in latere, sub costis ultimis urgebat, a tussi ac profunda inspiratione auctus; respiratio difficilis; sputa, striis sanguinis remista, aegre prodibant; pulsus frequentes, magni, pleni ac duri; lingua arida, sitis magna, oris amaror aderant. Haerebant adstantes, ne morbus, tam provecta aetate, debilitantem sibi methodum exigeret; decem interim cruoris unciae detractae fuerunt. Decoctum hordei cum nitro et oxymelle pro potu porrectum fuit.

Die 5*a*. Sanguis heri ad vesperas emissus, non, quod a primis venaesectionibus contigerat, a corio obtectus fuit. Noctem aeger insomnem transegerat; alvum quinquies liquidam excrevit. Caetera symptomata, ut heri, continuant. Cruoris iterum detrahuntur decem

unciae, mox a corio obtegendae. Vespere, dolor auctus, bis alvus mota fuit; a potu ingesto anxietas, ventris tensio, subnascitur. His, et pulsuum conditione ita jubentibus; libra sanguinis extrahitur, fotus ex lacte ac sapone, dolenti loco imponitur; et enema emolliens injicitur.

Die 6a. In densam et concavam insulam sanguis heri emissus contractus, dolor acerbior, pulsus plenus ac durus est. Venaesectio ad uncias decem repetitur; vesicans emplastrum costis dolentibus imponitur. Ad vesperas. eadem premunt symptomata, respiratio difficillima est; pulsus pleni ac duri, subinde intermittunt. Sex unciae sanguinis jubentur detrahi.

Die 7a. Nox fuit insomnis. Dolor, nisi sub tussi, ad latus conticuit; respiratio vero difficilis est, oppressionis et constrictionis in abdomine sensus accusatur; alvus semel, sed parce, fuit deposita, tussis frequens, sputa parca et flava, sicca, urina rubra, sapor oris amarus, pulsus pleni, fortes. Vena aperitur denuo ad novem uncias. Cremor tartari solubilis cum pulpa tamarindorum in aqua solutus propinatur; enema injicitur.

Ad vesperas, eadem occurrunt; sed dolor pungens locum mutavit, et ad cordis scrobiculum migravit. Sub tussi, cultri quasi ictum, ad umbilicum usque adacti, aeger accusat. Alvum bis, copiosam, deposuit, ac ventris tensio minor est. Fauces tam aridae sunt, ut difficulter potum transmittant. Emulsio arabica, fomenta, inunctio ventris cum linimento volatili camphorato, imperantur.

Die 8a. Dolor in latus pristinum reversus, pulsus adhuc plenus, durus, respiratio difficilis est, deglutitio facilior. Venaesectio ad uncias novem instituitur; serum lactis pro potu conceditur.

Vespere, pulsus adhuc pleni, sed nec vibrantes sunt; respiratio, tussis, faciliores sunt; sputa pauca, minus flava. Vomitus spontaneus insecutus est. Dolor cessavit. Alvum aeger copiosam semel et liquidam deposuit. Sudor nullus.

Die 9a. Dolor ad costas rediit, tussis aucta est; sputa ex flavo sanguinea, magis densa, respiratio ardua, pulsus molles. Solutio mannae, pulpae cassiae,

ac salis medii gradatim porrigitur; vesicans emplastrum dolenti lateri imponitur.

Febris ac tussis ad vesperas imminutae, sputa magis cocta sunt.

Die 10*a*. Omnia in melius conversa sunt; quater alvus soluta fuit; urina turbida sedimentum offert lateritium; febris minor ac minor spirandi difficultas est. Haustus salinus cum nitro, et cum grano tartari emetici praescribitur. Nec ad vesperas exacerbatio contingit.

Die 11*a*. Nox inquieta. tussis continua, sicca fuit; dolor in latere dextro se manifestat; absque sedimento sunt urinae; pulsus pleni, fortes, minus tamen frequentes sunt; respiratio non admodum difficilis. Sanguis interim ad decem uncias mitti jubetur. Cum vero singula ad vesperas symptomata eodem pede incederent, sanguinis sex adhuc detrahuntur unciae.

Die 12*a*. Eadem rerum est positio; pulsus tamen contracti, sputa pauca, tenacia sunt. Kermes mineralis granum dimidium cum saccharo, quovis bihorio, cum decocto emolliente sumendum praescribitur. Enema injicitur, fomenta apponuntur. Vespere, dolor imminutus, sputa tenaciora, sed faciliora sunt; cutis madescit.

Die 13*a*. Nox quieta fuit, sputa pauca, sed facilia, cocta; sudor universalis prorumpit, dolor cessat; respiratio liberius absolvitur; ciborum quoddam desiderium se prodit.

Die 14*a*. Res optime incedunt; urina sedimentosa, alvus laxata est. Sub lachrymis vinum petit senex, et cum pulsus molliores, febris imminuta sint, quatuor ejusdem unciae conceduntur.

Cum *die* 15*a*. aequali se modo habuisset aeger; *die* 16*a*. nox insomnis successit; caetera interim symptomata spem sustinent. Sic iterum 18*a*. nox, ob tussim continuam et siccam, inquieta fuit. Decoctum hordei cum vino antimoniato, Kermeti substituitur.

Die 19*a*. Sudor multus, universalis, tussis minor, sputa liberius secedunt. Febris nulla est. *Die* 22, ob tussim siccam, ad vesperas haustus narcoticus porrigitur. Ab hac die tandem et tussis sensim imminuitur, atque *die* 27, ad suos redeundi veniam petit, eaque obtenta, solo baculo suffultus, viri instar quinquagenarii domum petit. Post mensem, nil nisi vini po-

tum sibi domi deesse, subridens conqueritur, viribusque pro sua aetate sat firmis instructus fuit (1).

XXVII. *Observatio secunda.*

Antonius Locati, agricola septuagenarius, robusto corpore donatus, refrigerationibus saepe expositus, jam ter, ante biennium, acute decubuit, semperque venaesectionum ope sanitatem recuperavit. Ante decem dies, sub rudiore labore exaestuans, frigido se aëri exposuit, ac ea ipsa nocte a dolore faucium, tussi molesta, et screatu hinc inde sanguineo correptus fuit. A febre necdum prehensus, nullum artis auxilium adhibuit, donec *die* 2a aprilis 1793, ad vesperas, rigorem circa dorsum persentiret. Huic successit calor, quo, cum illo alternante, laboribus consuetis aeger adhuc interfuit. Crescit vero ad noctem febris, quam frigus insigne praecedit. Post istud, calor magnus, tussis, sudor, ac dolor ad partem thoracis sinistram sub mamma accedunt. Sibi ipsi tamen adhuc morbus committitur, donec *die* 5a aprilis *Ticinense* nosocomium aeger peteret. Hîc vena tunditur illico. Ad clinicum vero Institutum, *die* 6a delatus sequentia nobis exhibet symptomata.

Calorem magnum, faciem rubram, sudore madidam, dolorem faucium sensibilem absque phlogosi ad illas conspicua, linguam aridam, respirationem difficilem cum dolore ad pectus indicato, sub tussi ac profunda inspiratione adauctum. Tussis interim satis moderata, sat facilis etiam utroque in latere decubitus est. Alvus a quatuor jam diebus obstructa, abdomen interim molle, pulsus frequentes, pleni ac duri sunt.

Cruoris unciae decem mittuntur, decoctum althaeae cum nitro, fomentationes emollientes ad locum dolentem, ac enema praescribuntur.

Die 7a. Nox fere insomnis transacta, dolor lateris adhuc viget, tussis aucta, respiratio difficilis, sputa pauca, alvus non mota, pulsus pleni ac duri sunt. Libra sanguinis educitur, linctus, ob fauces adhuc

(1) Curam aegri gessit, ac historiam exaravit Med. Candidatus *de Zucchi*.

arentes, et clyster praeseribuntur. Ad vesperas febris exacerbatur, respiratio magis oppressa, facies rubra, eadem ac mane pulsuum eonditio; dolor nullus ad costas. Nova venaeseetio ad libram instituitur.

Die 8*a*. Aliquantisper quievit aeger; ast dolor novus, etsi levis, sub mamma insurrexit; respiratio difficilis, tussis aspera est. Cruoris unciae decem funduntur. Ad vesperas nova exacerbatio fit, pulsus adhuc pleni, minus tamen frequentes sunt, alvus adhuc clausa est. Sanguis de novo mittitur, et clyster injicitur.

Die 9*a*. Noete melius quievit aeger, respiratio nunc longe facilior, tussis levior, nullus vere dolor est. Alvus necdum respondit. Potio laxans ex tamarindis et eremore tartari eum sero lactis propinatur, et enema fuit. Respiratio facilior, et pulsus naturali parum frequentior est. Emulsio arabica praescribitur.

Die 10*a*. Ob alvum frequentius deponendam, parum aeger quievit, in eaeteris tamen bene se habuit. Emulsio arabica eum haustu nareotieo praescribitur.

Ab hoc tempore salus integra restituta, et *die* 15*a* senex ad suos dimissus fuit (1)

XXVIII. *Bronchitis lethalis.*

Antonia Maria Gatti, Papiensis, annorum 25, unius prolis mater, eum altera nunc, a quatuor fere mensibus, gravida, semper sana, et optime menstruata, *die* 12*a* mensis decembris 1792, media fere nocte, a frigore intenso per quadrihorium eorrepta, hoe absoluto, calorem magnum, levem sudorem, debilitatem, eum doloribus crurum, digitorum, hinc inde divagantibus, pereepit. Quin apyrexia sueeessisset, *die* 13*a*, hora quinta pomeridiana, frigus, per duas horas extensum, dein calor et sudor, eum iisdem doloribus succedunt. *Die* 14 eadem symptomata, eodem sub ordine, eomparent. *Die* 15*a*, his ipsis junguntur tussis, femoris dextri torpor, movendi impotentia et insensibilitas, per viginti quatuor horas extensa; haec interim cruris paresis tune sponte dispa-

(1) Curam praestitit, ac morbum descripsit *Josephus Fiocchi*, Med. Doctor.

ruit. *Die* 16*a*, febre nec quidquam cedente, post meridiem, adauctis articulorum doloribus, tussis acerrima successit, sub qua dolor ad fauces, deglutitionem fere supprimens, et ad sternum, tussim liberam intercipiens, insurrexit. Continuant haec symptomata *die* 17*a*: qua demum, in clinicum *Ticinense* Institutum suscepta mulier, sequentem nobis statum exposuit.

Dolor capitis grava s, oculi fulgentes, genae rubentes, aurium susurrus, os amarum, lingua muco albo obtecta, respiratio difficillima primum in cospectum veniebant. Dolor ad fauces, deglutitionem, — alter, ad sternum, tussim impediebant. Haec vero ultima fuit sicca, decubitus in latus dextrum difficilis, dolores ad dorsum, suras, brachia, debilitas magna, sudor universalis, pulsus frequentes, pleni, sed non tam duri erant.

Porriguntur emulsio arabica, et decoctum hordei cum nitro et oxymelle.

Die 8*a*. Somnus nullus, ob tussim continuam, accessit. Magna fuit doloris, sub ista, ad pectus, ad artus, exacerbatio. Pulsus hodie pleni et vibrantes sunt. Alvum aegra bis deposuit. Fit venaesectio ad decem sanguinis uncias, atque haec, easdem ob rationes, ad vesperas repetitur.

Die 19*a*, mane. Somnus nullus, febris ad mediam noctem aucta fuit. Tussis continua, dolor ad pectus sine remissione, urgebant. Ad uteri regionem dolor comparet. Debilitas manifestior fit; pulsus non pleni, duri tamen et frequentes, facies pallet, alvus semel deponitur. Decoctum corticis cum quindecim guttis laudani, cum linctu praescribitur. Vespere exacerbatio accedit notabilis; per duas vices foetus motum se cum dolore percepisse, monet gravida, dolor ad uterum huc illuc intercurrens, accusatur. Stillicidium narium oboritur. Respiratio difficillima, sputa nulla, facies iterum rubra, pulsus nunc pleni et duri, nunc collapsi comparent. Haustus salinus unciae septem, pulveris Doveri ac moschi orientalis ana grana quindecim, ut omni bihorio uncia una propinetur, et linctus; praeterea vini albi sex unciae porriguntur.

Die 20*a*. Optime, ac fere absque tussi, quievit

aegra: horis interim matutinis, dolor ad sinistrum thoracem, scapulae sese communicans, accessit; bilem aegra vomuit: pulsus haud frequentes sunt; pejor tamen rerum status ex. aspectu mulieris comparet. Haustus salinus cum moscho et liquore anodyno minerali, nec non vini albi portio, porriguntur.

Ad vesperas, frequentia pulsuum quidquam major. Dolor thoracis a superiore parte, ad costas spurias sinistras transfertur; tussis pauca, sed cum dolore aucto. Quinquies aegra vomuit. Debilitas, aurium susurrus accusantur. Motus foetus binis vicibus perceptus fuit. Fomenta ad locum dolentem, et clyster ponuntur.

Die 21a. Nox inquieta fuit. Dolor versus dorsum sensibilior, transmigrat. Tussis pauca est; sed sub illa, prae doloris vehementia, jactatur aegra. Respirationis tamen difficultas cessavit. Bis vomitus, semel alvus, mota sunt; pulsuum frequentia sanae similis, sed magna debilitas est. Linimentum volatile dolenti loco inungitur, emulsio arabica, et vini pauxillum propinantur. Ad vesperas, dolor ab applicitis fomentis, valde imminutus, sitis tamen multa, tussis vero pauca est. Respiratio facilis, vox tamen rauca. Nulla in pulsu frequentia, aurium susurrus disparuit; debilitas vero persistit.

Die 22a. Somnus nullus, continua tussis fuit. Dolores ad costas, ad uterum disparuerant. Sitis summa, lingua sicca; debilitas magna. Alvus excreta. Emulsioni arabicae cum moscho, extractum corticis superadditur.

Vespere, dolores penitus disparuerant tam ad costas, quam ad uterum; ad guttur tamen ardorem aegra accusat, tussis continuat, febris augetur: sitis, debilitas persistunt. Motum foetus mulier persensit.

Die 23a. Nox placida fuit; tussitat aegra hinc inde; dolores nulli, sed pulsus parvi et molles sunt; lingua sicca; semel vomuit. Decoctum corticis cum emulsione arabica praescribitur.

Vespere, omnia assumpta revomuit aegra; dolor ad hypochondrium dextrum fortissimus, cum scapula et brachio correspondens, insurrexit. Lingua sicca. Fomenta cum linimento volatili applicantur.

Die 24*a*, mane. Nox minime insomnis fuit; dolor tamen hodie atrox continuat; pulsus vibrantes ac pleni observantur. Cucurbitulae tres scarificatae loco dolenti admoventur; emulsio arabica praescribitur. Ad vesperas, dolor idem; pulsus tamen haud frequentior, tussis mitior est. Vesicans costis adponitur.

Die 25*a*. Somnus paucus fuit, dolor persistit; tussis rara, sed fortis, sputa difficilia, pulsus contracti, duri; debilitas. Haustus salinus, cum pulvere Doveri et moscho, pro medicina est. Vespere, dolor continuat, respiratio anhelosa est, pulsus contractissimi, constanter duri sunt. Emulsio arabica, cum haustu narcotico et moscho, praescribitur.

Die 26*a*. Nox infelix heri successit. Respiratio summe difficilis, erecta sedere cogitur aegra; dolor ad dextrum hypochondrium, attactum adeo recusat; ac dolores cunctam thoracis dextri partem superiorem occupant; tussis acerrima urget; sputa difficilia, viscosa sunt; pulsus duri, contracti. Continuatur in moscho. Linimento volatili laudanum liquidum superadditur.

Vespere dolor fortissimus continuat; respiratio eadem, jactatio, tussis, facies rubra, pulsus duri et pleni sunt. Vena tunditur ad uncias sex cruoris.

Die 27*a*. Somnus nullus, jactationes corporis continuae, tussis molestissima; sputa multa, viscosa; dolor idem ad hypochondrium. Ad ventrem hinc inde dolores insurgunt vehementissimi. Os uteri exploratum, pollicis diametro hiat. Applicantur cucurbitulae scarificatae octo, et vesicans loco dolenti admovetur. Mannae unciae duae in emulsione arabica solutae, divisis portionibus ingeruntur.

Vespere, dolor idem, respiratio anhelosa, tussis aspera, sputa viscida: vomuit aegra, alvum semel deposuit; pulsus duri et pleni. Sanguinis unciae octo detrahuntur. Emulsio arabica praescribitur.

Die 28*a*. Nox fuit inquietissima, tussis fortissima, sputa multa; suffocationis sensum sub tussi aegra persensit. Dolor lateris idem, ad scrobiculum cordis novus insurgit. Flavescunt oculi, sitis summa, jactatio continua; pulsus duri, contracti. Vespere, jactationes

multae, dolor atrox, dyspnoea summa. Alvum deposuit.

Die 29a. Dolores ventris ante noctem hesternam fortius urgebant; foetus excluditur mortuus. Abhinc dolores ad ventrem cessant, ad costas imminuti sunt. Respiratio ac tussis quidquam faciliores. De debilitate conqueritur; quidquam vini conceditur.

Vespere, mulier pejus se habet: dolores ad ventrem fortiores redeunt, ad hypochondrium exacerbantur. Respiratio difficillima est; jactatur mulier, tussis dolorque fortiter; alvum ter deposuit. Lochia parcissima fluunt. Emulsio arabica, cum haustu narcotico, porrigitur.

Die 30a mane. Eadem urgent symptomata. Post meridiem, dolores jactationesque quam maxime augentur; deglutitio supprimitur; tussis, ob constrictionis ad guttur sensum, praepeditur. Tandem soporosa decumbit, nec ullum doloris signum exerit; extrema frigent, ore aperto aërem hiat, pulsus frequentissimi, filiformes sunt. Camphora porrigitur.

Hora septima matutina, dolores iterum violenti ad ventrem urgent et ad hypochondrium; huc illuc jactatur misera, nec deglutire nec tussitare valet. Hora quinta matutina sequente exspirat.

Sectio cadaveris.

Aperto thorace dextro, aër cum impetu ex illo exploditur; mox aquae foetentis, ex bruneo luteae quantitas partim effluxit, partim hoc thoracis in cavo detecta fuit, quindecim libris vix minor. Pulmo compressus, parvus, rugosus, flaccidus, hinc inde ruber, alibi pallidus, comparuit. Ad lobum superiorem, tria, pisi magnitudinis, foraminula deteguntur, quorum viciniis compressis, humorem illa puriformem ac rubrum plorabant. Pollicis profunditatem haec foramina habebant. Pleura, exceptis punctis rubris, hinc illinc, ad posteriora et inferiora distinguendis, sana videbatur. Aperto thorace sinistro, aquae hîc tres librae circiter, magis rubrae, stagnabant. Pulmo quoque sinister collapsus erat, nec ullum inflammationis vestigium exhibuit. Pleura non minus intacta fuit. Bronchia, et aspera arteria, in longum dissecta, colore rubro undique

nitebant et coccineo. Quo profundius vero culter descendit, eo major hic rubor in bronchiis comparuit. Pulmo interim nec tumidus, nec ponderosus fuit.

Inciso pericardio, ejusdem indolis aquae, quam ex thorace, ad pondus unciarum septem circiter, eductae fuerunt. Nec ullum, tam ad cordis superficiem, aut substantiam, quam ad pericardium, inflammationis signum compertum fuit.

Secto abdomine, hepar magnum, ad quartam usque costam assurgebat, minime morbosum. Vesicula fellea bile non tenaci, sed aquosa, repleta erat. Omentum retractum, hepatique superincumbens, copiosa pinguedo ad mesenterium fuit.

Utero inciso, universa ipsius interna superficies atro et corrupto cruore replebatur. Vasa hujus visceris valde dilatata comparebant. Vesica urinaria contracta et vacua. Intestina sana, si saccum, quem colon sinistrum majorem efformabat, sed vacuum, excipias (1).

Epicrisis.

Morbi pectoris acuti, ubique certe discrimine pleni, in gravidis tamen mulieribus in genere longe magis ominosi sunt. Sub primis scilicet impraegnationis mensibus, promptior sub illis morbis *abortus* imminet; aliquando quidem, ubi hypersthenicum latuerit in thorace incendium, salutaris mulieri; in casu vero contrario, sub jactura sanguinis majore, plerumque et foetui, et matri lethalis. Dum uterus sub ultimis impraegnationis mensibus profundiorem diaphragmatis descensum non parum impediat, et musculi abdominales jam nimis extensi sint, praeter *partus praematuri* pericula, viscera thoracis et a morbo vexata, et arctiore simul spatio coarctata, compressa; respirationis officio inepta, hanc citius et in foetus, et in matris perniciem suspendunt. Utroque vero in casu, consensus uteri, pectoris lacessiti symptomata exasperat; haec autem, viscus proliferum ipsumque foetum, ad motus perversos sollicitant et rapiunt. Haec gravidarum, a peripneumonia prehensarum, summa dis-

(1) Curam aegri gessit et morbum conscripsit Med. Candidatus *Ripamonti.*

:rimina, nec juvenili quidem in aetate, nos, prognostici *hippocratici* jam tunc non ignaros, latebant, ·um anno 1766 praegnantem in septimum mensem nulierem *Bitensem* a gravi pulmonum incendio correptam, pertractandam haberemus. Atque tamen, in asu pro fama junioris medici tam ambiguo, mulieri obustae ac nullis hucusque morbis vexatae, sanguiem, quasi gravida non esset, sub magnis vetularum ecalcitrationibus, novies detraximus, ac matrem non ninus, quam foetum, praescripto tandem termino xclusum, feliciter salvavimus. Haud raro interim me.ica juventus, *somnambulis* similis, in praeceps, meiis sub periculis, sibi haud satis perspectis, tuta, nec ertiginosa versatur; expergefacta vero, trabem anustam, qua pede certo incesserat, et audaciam miatur, et terrore perculsa horrescit. Saepe tamen alia, uam praeceps, via medentibus non patet; nec tam obis, quam aliis, ejusdem cum gravidis, pulmone nflammatis, feliciter tentatae exempla desunt. Cur aera, cujus hîc commentamur historiam, meliore hac orte non gavisa sit; tum gravioris et vagae arthritiis, per sex primos morbi dies, neglectus, tum, arumento plus quam probabili, anterior illo pulmonis *lextri* labes occulta, nobis explicant. Etsi nempe hanc nulierem constante antehac sanitate instructam fuisse, ·x propria ejus relatione, perceperimus; tria tamen la *foramina*, in lobum pulmonis dextri superiorem, el *minime inflammatum*, profunde exporrecta, quasi istulosa, atque, vicinis sibi partibus compressis, humorem purulentum ac rubrum fundentia, — aër, oetore impraegnatus, thoracis huic cavo coërcitus, ac odem vix inciso, cum impetu explosus, de praegressis hujus lobi pulmonalis abscessibus antiquis, ut videtur, tuberculosis, abunde testantur. Quamvis etiam pneumoniae frequentius magno hominem cum frigore .doriri consuescant; vix tamen unquam hic rigor quauor per dies, quod nostra in muliere contigit, ut in ebre periodica, tam intense revertitur; nec morbus, llum ista successerunt, aliam, quam arthritidis acutae ac vagae, minime vero affectionis thoracicae, scenam usit; donec quinta modo, vesperascente jam die, oost praeviam paralysis nycthemerae in crure dextro,

non minus arthriticae, solutionem, tussis, mox acerrima, cum dolore ac incendio ad guttur et ad sternum, accesserit. Tunc vero, et qua die aegra curae nostrae commissa fuit, singula certe morbi gravissimi symptomata, maxime vero pulsuum plenorum atque duriorum ratio, de indole illius energica testata sunt. Cum tamen sanguine, moderata licet manu, binis modo vicibus emisso, vires magis conciderent, aegra facie palleret, ac dolores quasi ad partum accederent: fatemur, nos de proprio forsitan in diagnosi, quoad febris indolem hypersthenicam, vel de tarda nimis sanguinem mittendi occasione, eo magis cogitasse: quod non rarum esse noverimus, febres etiam *nervosas*, visceris sensibilis inflammationi conjunctas, sub morbi principio, plenitudinem vasorum, eorumque duritiem mentiri; atque haec fuit ratio, cur, deposito mox debilitantium auxilio, ad corticem, — et cum frequens spasmorum apud gravidas abortum contribuentium, occasio sit, exiguam ad opii dosin, confugerimus; ac revera, sub istis, ac demum sub blando stimulo volatili, die morbi *decima*, tussis pauca fuit, ac respirationis difficultas, pulsuum frequentia, et aurium susurrus cessarunt. Nec tamen prognosin idcirco feliciorem, ex eo, quod nec sudor universalis, nec urinae sedimentosae, nec sputa cocta hucusque se proderent, quod dolor minime sileret, sitis vero continuo urgeret, instituimus. Quamvis etiam, quidquam tardius, et dolor lateris, et uteri cruciatus evanescerent, noxque placida succederet, non tamen quietos nos esse, constans linguae ariditas, cum aegrae habitu externo, sivit. Morbi dies decima tertia nimis hos timores confirmavit, ac decima denique et quinta die, ad vesperas pulsus pleni atque duri, orthopnoea, dolor thoracis attactum fugiens, tussis atrocissima, ad novam sanguinis missionem nolentes nos coëgerunt. Novam scilicet tunc, et quidem utriusque pulmonis, diram inflammationem subintrasse vix nobis dubium superfuit. Paucorum autem tunc signorum defectu, a vero aberravimus. Haud raro nempe, in aegris aliis, dum sub media pneumoniae, et quidem conspicua remissione, inopinata pectoris oppressio, summa respirationis difficultas, anxietas, ac decum-

bendi impossibilitas contigerent, sectionum pathologicarum auctoritati suffultis, vel ex brachii unius torpore, vel ex manus unius (rarius ex latissimi dorsi) oedemate, maxime vero ex pulsuum ad unum carpum *intermissione*, ad *hydropem thoracis*, eodem in latere, *acutum* conclusimus, atque in undecim certe pneumoniis sic lethalibus, haec morbosa phaenomena nec semel nobis fucum fecerunt, sic ut nobis, sub primo eorundem occursu, hucusque semper deleterio, *thoracis* affecti *paracentesin*, quae *Senacii* venatorem regium fortuito salvaverat, ut unicum, quod spem sanationis aliquam concederet, subsidium, instituendam, proposuerimus. Sed nostra in aegra haec nos signa diagnostica deseruerant, ac nova pulsuum plenitudo, vibratio, ut ad novum potius in pulmone incendium, quam ad hydrothoracem acutum et subitaneum, oculos ferremus, induxerant.

Atqui dum sectio pathologica nobis, praesente in casu, utriusque thoracis hydropem, majorem ac unquam hucusque vidissemus (vidimus autem frequenter in aliis, ad novem, vel adeo ad duodecim libras aquae in uno etiam thoracis cavo collectas) praesentaverit; ex altera parte, eadem haec sectio, *tracheam* modo et *bronchia singula*, *minime vero pulmonum parenchyma*, *inflammata* fuisse, spectaculo nobis antehac, post signa pneumoniae tam evidentia, nunquam oblato, nos docuit. Nullum scilicet nos, nec ad hanc usque diem, nec serius pulmonum incendium, absque bronchiorum simul inflammatione plus minus conspicua, perspeximus; quotiescunque vero, a morte, *bronchitidem* fortiorem, — toties etiam parenchymatis pulmonalis molem, duritiem, pondus, adaucta, et puriformis in eodem materiae collectionem reperimus. Cum vero, hoc in casu, dolor simul ad latera thoracis tam atrox, ut omnem attactum recusaret, sine quavis ad *pleuram* inflammatione, comparuerit, concludimus: nec pleurae costalis, nec pleurae pulmonalis, seu externae hujus visceris tunicae, inflammationem, ut *dolor* punctorius, quem aegri, *pleuritidis* sub nomine, ad costas referunt, oriatur, requiri; sed solius membranae bronchiorum internae incendium hos ad dolores provocandos, jam sufficere. Ac revera, inter centena

cadavera, post sublatos ejusmodi dolores punctorios, aperta, pleurae costalis inflammationem vix septies, — nunquam vero, hoc solo casu excepto, absque illa parenchymatis pulmonalis, reperimus; ac pleuram adeo intense rubram et turgescentem, quin dolor ad illam accusatus fuisset, vel dum alium thoracis ad locum eundem aegri retulissent, conspeximus. Cum vero pulmonem aegrae nostrae dextrum tribus in locis perforatum videremus; nata nobis est suspicio, ideo illius parenchyma sub medio ac forti bronchiorum incendio subsedisse, quod humor puriformis, aliâs a parenchymate pulmonis susceptus ac fotus, per hos abscessulos in thoracis cavum effluxisset, ac tumorem hujus visceris spongiosi praevenisset; ast vero pulmonis sinistri integerrimi bronchia non minorem inflammationem, nec tamen ullum tumorem, conceperant; et aquae in ejus cavo minore copia collectae, colorem adeo magis rubrum, quam in dextro thoracis cavo, in quod abscessuli patebant, contraxerant. Quod vero hujus cavi thoracici dextri, tanta copia aquarum inundati, angustias augere debuit, *hepar magnum*, et ad costam usque ex veris quartam protensum, fuit; atque summa ejusdem cavi extensio, certe non parum ad majores in dextro thorace cruciatus contulisse videtur. Pericardii ab aquis subitanea repletio, doloris sensum ad cordis scrobiculum, ab aegra accusatum, satis explicat. Vomitus aegrae, sicut in pneumoniis non tam rarus et consensualis esse solet: ita uteri quoque, tam gravidi, quam ad abortum excitati, effectus esse potuit. Hoc unum his addimus; sputa, hoc in morbo rejecta, quod in pneumoniis solet, nunquam a cruore fuisse tincta. Hoc interim signo *bronchitidem* a *pulmonum inflammatione* eo minus distinguere factum est; quod in fortissimo pulmonum incendio sputa nimis saepe nulla, aut etiam sanguini non commista, secedant.

XXIX. *Encephalitis.*

Die 23*a*, mensis decembris 1785 cadaver juvenis torosi in nosocomio *Ticinensi* aperuimus, qui dicebatur jam sex per dies apud suos ferociter delirasse. Deferebatur ille hoc sub statu ad dictum nosodochium. Curam hujus mali habuit dexterrimus hujus Instituti

ediens, post duos vero dies aeger e vita decessit. ulsus hoc tempore erat frequens et fortis. Totum rpus, ut aqua ebulliens, prae sudore fumabat. Jabat supinus aeger, respirabat frequenter, et aërem enis buceis efflabat, spumabat; non amplius furieat, neque ad quaestiones respondebat; jussus tamen nguam exerere, conatus ad id faciebat. De eapitis olore interrogatus, et ad illud eompressus, braehium extrum elevavit, versus calvariam porrexit, ereetum i tenuit, tandem capiti sat diu admovit, sieut illi ciunt, qui capitis vulnere laborant. Oculi erant rnerrimi, ut vix album illorum cerneretur, torvi simul; cies accensa.

Sectio cadaveris.

Cadaver, quod nostros in usus convertere voluius, juvenes inexperti cum serra, ealvariae admota, m incaute tractare inceperant, ut duram matrem rca oeeiput, ipsumque cerebellum, quibus scilicet loeis multus aterque sanguis utrimque effluxerat, eserint. Calvariae parte, jam divisa, a nobis detraa, dura mater, quamvis ejus vasa hinc turgerent, on erat inflammata. Utrumque cerebri hemisphaerium iamplurimum rubebat; vasa venosa valde turgebant, que arteriolas ubique eomites habebant quasi injeas, alibi seetionum visui obtectas. Sinus longitudilis, sanguine crasso et nigro adhuc valde plenus, on tamen eoaeto. Cerebrum solito firmius, ut eultro agis resisteret. In substantia medullari, plura puna, quam in aliis, comparebant, et ubi comprimeatur cerebrum, sanguis transudabant. Ubicunque r substantiae cortiealis anfraetus pia mater deseenbat; ibi vasa plura infareta sanguinem fundebant agis. In ventriculo eerebri laterali dextro, uneia una citer aquae haerebat. Corpora striata vasis depicta ant, et eodem se modo thalami nervorum optieom habebant. Cerebellum ubique vasis rubris, minimis, ornatum, quasi roseum. Ad internam substanam, eodem modo, ac cerebrum, firmius, puncta bra quamplurima offerens. In basi ealvariae aquae nciae cireiter tres haerebant.

Historia morbi et seetionis, quam hîc exposuimus,

est illa, de qua in *Epitomes* L. II. §. 140 vol. I p. 138 breviter diximus: » nos (in encephalitide) conspexisse sudorem copiosum, ac vaporem quasi ab ebullientibus aquis e corpore toto elevari, et caput, cum ad unum bregma intensius doluisset, ad oppositum corporis latus paralysin induxisse. » De causa hujus morbi, ejusque primo incessu, nihil resciviraus.

XXX. *Encephalitis per erysipelas faciei judicata.*

Dominica Masseroni, quindecim annorum famula, catameniis necdum subjecta, sat irritabili fibra dotata, si febrem, ante annum sponte sanatam excipias, semper sana, postquam ante tres circiter menses pernionibus ad manus vexata fuisset; *die* 3a mensis februarii 1792, cum vini generosi duo pocula, talibus non adsueta, ingurgitasset, dein reclinato capite aranea texta verrisset, a tam vehemente capitis dolore correpta fuit, ut lectuli petendi necessitas subintraverit. Post paucas horas, hunc dolorem secutus est calor magnus, febrilis, cum vomitu materiae amarae ac viridis frequente. Cum haec symptomata indies maxime circa vesperas, augerentur, die sexta februarii, tertia morbi, ad clinicum *Ticinense* Institutum aegra delata fuit, ubi sequentia notanda obvenerunt.

Notabilis virium prostratio, cutis sicca, calor, dolor per omne caput expansus, internus, continuus, acutus, pulsatorius, dentium nervos in consensum trahens, et somnum quemcunque avertens. Facies erat tumidiuscula, sitis inexplebilis, tussis hinc inde cum aliquo exscreatu, respiratio tamen sat facilis; os amarum, lingua muco albido obducta, ructus, nausea, vomitus materiae amarae viridescentis, abdomen molle, alvus quotidie aperta, pulsus pleni, duri, tam frequentes, ut minuto primo, centum triginta quatuor ictus formarent.

Decoctum hordei cum nitro et oxymelle pro potu, venaesectio ad uncias decem, cataplasma frigidum ex panis mica, aceto, sale ammoniaco, capiti applicandum, et clyster emolliens praescribuntur. Noctem aegra transegit insomnem; vomitus sexies circiter ejusdem materiae successit.

Die 7a. Eductus heri sanguis corio obtectus est. Arteriarum ictus ad centum et triginta per minutum primum ascendunt, pleni, duri, ac minus ordinate micantes. Tendinum subsultus hinc inde occurrit. Alvus occlusa.

Praescribuntur pulpae tamarindorum, et mannae iâ uncia una, Cremoris tartari solubilis uncia dimidia, in sero lactis solutae, ac enema emolliens. Venaesectio altera ad uncias novem instituitur.

Ad vesperas, aegrae adspectus quidquam melior, sanguis nullo corio obductus, sed ponderosus est. Tendinum subsultus iidem ut mane. Ortus est dolor, actum non perferens, ad utramque parotidum regionem, in quarum sinistra, glandula lymphatica intumuit. Vomitus aliquoties redivit. Faeces quater copiose gestae. Porrigitur ad noctem emulsio arabica cum duabus nitri drachmis. Hirudines decem temporibus apponuntur. Fomentationes frigidae *Schmuckeri* fronti applicantur. Parotidum regioni, prius cum linimento volatili inunctae, cataplasma emolliens superimponitur.

Die 8a. Nox insomnis, capitis dolor anteriora praecipue tenet. Summopere dolet parotidum, inprimis sinistrae, regio. Extenditur dolor ad oculos, dentes, et jugulum, quod externe tactum haud perfert; glandulae submaxillares quidquam tumidae, dolens est deglutitio, nec maxillas facile deducere, nec linguam expedite exserere aegra potest. Oris amaror accusatur; vomitus tamen nullus accessit. Alvus ter soluta, abdominis dolores aliqui; tendinum subsultus continuant. Pulsus adhuc pleni, duri, centum viginti et quatuor ictus minuto primo offerunt. Etsi hucusque deliria nulla se manifestaverint, de latente tamen in calvaria inflammatione dubium nobis non superfuit. Venaesectio igitur ad uncias decem repetitur, et potio laxans alvum praescribitur. Externa quoque continuantur ut heri.

Ad vesperas, doloris sedes dilatatur ad omne caput internum, ad aures, oculos, dentes, a jugulo ad mammarum regionem usque extensa. Has omnes nempe partes, absque ejulatu aegrae tangi non licet. Difficulter os aperitur, semper adhuc amarum; loquendi hinc facultas vix non ablata est. Potum interim et prae-

scripta medicamina aegra assumit. Haec tamen aliquoties eum vomitu rejecit. Abdominis dolor, soluta alvo, disparuit. Tendinum subsultus frequentius redeunt. Sanguis ultimo emissus, corio, etsi densus, destituitur. Tota die de statu proprio querula, soporosa nunc jacet aegra. Pulsus frequentiores sunt matutinis, minus pleni, sed duri. Vesicans nuchae emplastrum imponitur, serum lactis pro potu porrigitur.

Die 9^{a}. Dolor capitis multum imminutus; de aurium vero et juguli dolore aegra adhuc conqueritur, mandibulas ea facilius deducit. Facies hodie tumidior est, vomitus cessavit. Alvus aperta, urinae jumentosae sunt. Pulsuum ictus numerantur centum et sexdecim minuto primo, minus pleni, sed duri; nulli tendinum subsultus occurrunt. Somnus aliquis, sed terrificis imaginibus intermixtus, accessit.

Omittuntur nunc fomenta frigida; linimentum volatile et cataplasma circa parotides replicantur. Haustus salinus cum nitro ac roob sambuci, pro medicina est; serum lactis pro potu.

Hora quarta vespertina, manifesta accedit exacerbatio: dolor ad caput, pone aures, ad jugulum, intensius urget. Summe dolent oculi, quorum dexter praecipue a tumidiore facie ex toto fere clauditur. Evidenter nunc inflammatio, ab internis, exteriora versus propagatur. Abdomen quantisper tumet ac dolet. Pulsus frequentiores, pleniores sunt; minus tamen constans haec plenitudo sub digitis tangitur. Emulsionem iterum arabicam praescribimus; enema injicitur. Linimentum volatile pone aures et jugulum, cum camphora junctum, inungitur; his partibus vero cataplasma emolliens imponitur.

Die 10^{a}. Tota nocte aegra soporosa jacuit. Dolor internus capitis vix non disparuit. Sed omnem faciem nunc *erysipelas* corripuit, ut quae tumida et livida conspicitur, summopere dolens, inprimis pone aures, dolore ad jugulum extenso. Vomitus non rediit. Pulsus pleni, ac duri, centum et sexdecim ictus minuto primo nobis offerunt.

Venaesectionem ad sex uncias instituimus, pedes balneo tepido immergimus, cataplasma seponitur.

Ad vesperas sopor, qui omnem per diem continua-

erat, minor est. Dolor nec in capite, nec ad jugu-um est. Facies tumida, dolens, sublivida, cum vesica d auriculam parva, quam aperiri curavimus. Polsus, si matutinis frequentiores, minus tamen duri ac pleni. anguis emissus, corio obtegitur. Haustus salinus pro edicina est. Facies cum linteo obtegitur.

Die 11*a*. Aliquantulum aegra dormivit, et a somno vamen habuit. Dolor ad faciem, adhuc tumidam, minutus est. Pulsationes arteriae centum et quinque umeravimus, parum plenas, non duras. Oris amari-es cessat, lingua pura est; alvus aperta. Sedimentum urinis nullum.

Ad vesperas, res melius incedunt: erysipelaceus fa-ei tumor quidquam subsedit. Sudor copiosus inse-uitur, alvusque solvitur.

Die 12*a*. Per omnem aegra noctem dormivit, suda-it; bis alvum deposuit; cutis ad faciem desquamari cipit; ciborum desiderium subintrat.

Sic sensim sensimque, cotinuante, leviore tamen dore, desquamatio faciei absolvitur, vires redeunt; vigesima quarta mensis, aegra sibi suisque restitu-fuit (1).

Epicrisis.

Etsi nulla hac in aegra deliria sese manifestaverint; causa tamen praegressa, ex febre tam acuta, ex oci et fixo ad caput internum dolore, ac vomitu, n ex primarum viarum saburris, sed ex ventri-li cum capite consensu inducto, ex statu sopo-so, ad internum capitis incendium, quod ad me-ges fuisse, hariolati sumus, conclusum fuit. Sub nto febris in puella needum menstruata, sed men-uis vicina, impetu, sub pulsu constanter pleno duro, tendinum nos subsultus, quo febrem in-mmatoriae contrariam vereremur, minime induxit. m vero dolor ad parotidem ac circa aures se pro-ret, prognostici *Hippocratici* (2) non immemores,

(1) Historiam hanc egregius tunc juvenis, *Josephus Antonius* *colai*, Cremonensis, conscripsit.

(2) „ Rubores circa aurem ex praegresso dolore in febribus entes, signum quidem sunt erysipelatis in facie futuri. „ c. 200. „ Erysipelas ab externis partibus intro converti, llum, ab internis vero, extra, bonum. „ Aphor. vj. 28. ac. 103.

erysipelas faciei praediximus; nec tamen, vel hoc ipso, etsi aliquo cum levamine, comparente, cum febris nimiae symptomata urgere continuarent, donec stimuli moderamen haberetur, ab ultima venaesectione abstinuimus.

Verum in virgine nostra vel cerebri ipsius, vel potius meningum, erysipelas, priusquam hoc *exterius* prodiret, subfuisse, dubitari haud postest. Ne vero, comparente, post signa encephalitidis, in facie erysipelate, hoc ipsum aegro sanitatem praedicere credamus, nisi incendii capitis interni symptomata vel plurimum sedentur, aut cessent, prout in *Epitomes* L. III. §. 289. vol. II. p. 30, occasione hujusce exempli, jam monuimus, cavendum est.

Sic vir illustris, ac universitatis *Ticinensis* moderator, tumores sibi ad caput externum folliculosos, contra medici ordinarii opinionem, aperiri curaverat, ac refrigerio expositus, erysipelas ad caput et ad faciem contraxit. Dissipato hoc vitio, per annos aliquot illaesa valetudine gavisus est; sed folliculis ad capitis partem capillatam de novo turgentibus, sectioni eorum se iterum, et mox ab hac, solis verni radiis sub vento satis frigido, caput exposuit. Imminentis sibi morbi sensum, declinante vix die, percipiens, ne caro nimis proetio salutis suae haec incuria veniret, timorem, ante cubitum expressit. Altera jam die, somno apoplectico sepultus miser jacuit. Cum tertia morbi die erysipelas ad faciem prodiisset, spem amicorum erexit medicus aegri ordinarius. *Mediolanum*, in consilium accersiti, clari viri prognosi ex eo, quod erysipelatis ad *exteriora* propagatio, sensus aegri internos nec quidquam sublevasset, adhaerere, eheu, non potuimus. Morte aegri jam alteram in diem subsecuta, praeter tumorem faciei insignem ac lividum, inflammatio duram meningem validissima, cerebro a lymphatica et coacta materia inundato, oppresso, tenuerat.

Sic anno 1787, vetula in clinicum *Ticinense* Institutum delata fuit, quam, decem ante dies, praecedente anorexia, frigus intensum, tres per horas exporrectum, calor summus, cephalaea atrox, cum narium obstructione, prehenderant. Tertia jam morbi die,

erysipelas pustulosum ad faciem comparuerat. Die duodecima, dolor et erysipelas in crure, absque tumore, e manifestarunt. Sic per septem dies. Tunc pulsus parvi, virium prostratio, facies tumida, foeda, acuissimus cruris dolor. Die decima tertia, dolores ad brachium, ad articulos omnes. Surditas, pulsus inordinati, parvi, dyspnoea. Erysipelas nunc ad brachium, ntense inflammatum. Accedunt meteorismus, sopor, tupor, surditas major, debilitas; faeces aegra inscie emittit. Die decima quinta, aphona est, tendines subiliunt, difficulter respirat, pulsus minimus, crustae aciei sunt nigrae, alvus liquida. Mors die sequente cenam claudit. In cadavere, sub meningibus serum lavum, cerebrum materia lymphatica coacta obtetum, vasa cerebri a cruore quasi injecta. Cerebellum qua rubella obtegit. Simile serum ad brachii musculos inflammatos in tela cellulosa stagnabat. Hic igitur morbus, malignae febris sub specie incessit; sed in era *encephalitide*, per erysipelas ad exteriora comparens nec quidquam mitigata, constitit.

Sic mulier, anno 1791 in clinicum Institutum *Ticinense* suscepta, die sexta februarii, ad noctem, dolore forti ad aurem internam correpta fuit. Die septima, tota facies ejusdem, et collum et fauces tumuerunt, cum magno dolore, ad aurem etiam perstante. Nunc febris cum frigore atque calore. Die octava, purulenta multa ex ore rejecit; dolor auris mitigatus fuit. Facies interim valde tumet sine pustulis. Oris faucium que phlogosis, collum tumidulum, dyspnoea observantur. Die undecima, deliria, sopor accedunt. Venaesectio instituitur. Die duodecima, deliria continua, disparuit erysipelas; respiratio stertorosa, pulsus inaequales sunt; moritur mulier. Secto cadavere, pulmones inflammati; in aure dextra abscessus ad cellulas mastoideas. Omnia hac in aure, per tubam inflammata, cariosa reperta fuerunt. Fauces, aspera arteria, bronchia inflammata. *Symptomaticum* igitur et hic fuit erysipelas, nec eodem in externis comparente, strages minor ad interna fuit. Os temporum hujus feminae cariosum, museo pathologico *Ticinensi* commisimus.

Sic denique jam a. 1787 mulier erysipelate faciei

correpta, ad idem Institutum clinicum delata fuit. Die 14*a* mensis, accesserant frigus, calor, cephalaea, membrorum gravitas, febris magna, erysipelas, stupor. Die 18*a*, ad nos defertur. *Loqui aegra non potuit.* Die 19*a*, facies tumida, livens, oculi clausi, dentes nigri, lingua siccissima, aphonia, respiratio frequens, pulsus celerrimus, intermittens, contractus. Floccos capit mulier, stupida est. Vena secta, et vesicans nuchae impositum fuit. Die 20, os clausum, contractum, sopor, prostratio virium, subsultus tendinum, pulsus intermittens. Posita fuerunt duo vesicantia; sed eadem die obiit aegra. Sectio cadaveris, serum copiosum ad cerebellum, et circa foramen occipitale magnum, — cerebellum tamen molle, cerebrum vero durum, ostendit.

XXXI. *Cerebri abscessus post Otitidem.*

Antonius Quaglia, rusticus 40 annorum, quindecim diebus, antequam ad nosodochium *Ticinense* accederet, *dextrae* auris internae inflammatione correptus fuit. Tertia morbi die, gravissimo universi capitis dolore prehensus fuit et insigni frigoris sensu, ad caput constanter relato. His igitur quotidie auctis, aeger ad nosocomium defertur, ubi sequentia adnotata fuerunt.

Hemiplegia lateris *sinistri*, quamvis imperfecta, aliqualis enim aderat motus. Certa stupiditas, summa virium dejectio. Cephalaea et frigoris sensatio eadem. Venaesectio ad venam jugularem instituitur; vesicantia ad nucham, sinapismi ad plantas pedum admoventur. Interius haustus salinus cum grano tartari emetici, tandem vero cum duobus hujus granis, propinatur. Aeger continuo stupidior redditur; facies inter trucem et moestam; pulsus debiles, parvi et tardi redduntur; interrogatus, de dolore capitis et de sensu illo frigoris conqueritur. Ad corticem peruvianum, serum lactis vinosum, et ad vinum ipsum, sat larga dosi, confugitur. Sensim sensimque mussitat, subdelirat; lingua est aridissima; summa virium prostratio, pulsus iidem, manus sinistrae tremores, in manu paralytica nulli. Camphora, serum lactis vinosum prae-

scribuntur sinapismi, vesicantia hinc inde replicantur; sed stupiditas indies augetur, ita tamen, ut mane sui potentior, vespere autem stupidior, quasi comatosus, et aphonus esset. Pulsus semper minimi, non adeo frequentes. Abdomen jam multis a diebus insigniter retractum, et quasi concavum. Iterum ad corticem, cum liquore anodyno minerali *Hoffmanni*, dein ad moschum, valerianam recurritur. Fomentationes quoque frigidae, glacies ipsa, capiti admoventur. Tandem magis magisque aeger collabitur, abdomen semper retractum, brachia spastice inflexa, musculi faciei quoque rigent; venae frontis, dum spastica partium contractio urget, in tumorem elevantur seu turgent, ista vero cessante, subsidere observantur. Cutis, quae semper hucusque frigebat, calidior nunc redditur. Pulsus, ut minimi, jam frequentiores redduntur. Summa corporis est macies. Mors denique his aerumnis succedit.

Sectio cadaveris.

Aperta calvaria, dura mater prope aurem lateris dextri, tam firmiter cum subjectis sibi membranis ac cerebri substantia cohaeret, ut nonnisi vi adhibita ab eadem potuerit divelli. Subtus vero, in ejusdem auris directione, substantia cerebri erat durior, et nucleum afferebat ad castaneae magnitudinem: quo transversim dissecto, substantia durior, ex cinereo nigra, in ejus centro reperta fuit. Canalis exinde, ad parvi digiti diametrum, prodibat, qui altero suo fine hunc ad tumorem, — altero in amplam cavitatem, ducebat. Haec cavitas in ipso cerebri hemisphaerio dextro haerebat, et ex medulla laesa, destructa, et penitus consumpta constabat. Pomi mediocris volumen hocce cavum aequabat, atque nec cum cerebri ventriculis, nec cum nervis communionem alebat. Pulmones rubri, graviores, inflammati fuerunt (1).

XXXII. *Abscessus cerebri, cum paralysi.*

Vir 35 annorum, Faber lignarius, robustus, 10a men-

(1) Observationem hanc nobis anno 1790, prima Januarii, communicavit *Joannes de Felici* M. D.

sis februarii 1792 ad clinicum Institutum *Ticinense* accessit. Huic, ex causis externis, violentis, nares interdum sanguinem fundebant. Ante quinque circiter menses fortiter ad *dextram* narium partem, cum capitis concussione, percussus fuit: unde magnam cruoris copiam per nares amisit, et exinde tantam in hoc profluvium proclivitatem contraxit, ut vel a levi narium allisione facillime sanguis ex iisdem prorumperet. Tredecim ante dies, hinc post quatuor fere menses cum dimidio, a quibus ultimam narium laesionem expertus erat, nulla data occasione, *stuporem in dextra manu* persensit, qui stupor lente increscens, omnem tandem digitorum motum abstulit. Hunc stuporem, brevi *dolor ad sinistram* capitis partem insecutus est. Dum ad nos pervenisset, nulla amplius digitos ad manum dextram movendi aderat potentia; aderat tamen sensus et calor aliquis. Brachium ipsum facile movebatur. *Crus dextrum* interim cum pede, gravitate quadam et stupore, brevi praetereunte, quandoque corripiebatur. Aderat simul quaedam loquelae difficultas, orisque, sub ista, evidens ad sinistram distorsio. Alvi et urinae facilis excretio. Capitis dolor continuus, in sinistra inprimis parte, noctu cum aliqua febricula insurgens, facies admodum rubra, oculi splendentes, fulgentes, pulsus pleni, fortes, vibrantes sunt. Sanguinem mox ex jugulari vena sinistra, ad libram, detraximus, ac alvum cum pulpa tamarindorum et cremore tartari evacuavimus.

Die 11*a*. Mane, dolor ad caput sinistrum insigniter auctus; nulla tamen febris fuit. Cucurbitulas scarificatas occipiti apponimus. Ad vesperas dolor paulo minor, pulsus vix frequentior est. Alvus difficulter et purganti medicinae, et clysteri respondet.

Die 13*a*. Dolor quidquam minor, pulsus pleni et fortes sunt. Venaesectio ad libram instituitur. Ad vesperas pulsus paulo frequentior, alvus soluta est.

Die 15*a*. Formicatio in manu sinistra, dolor oculi sinistri, sub erecta corporis positione evanescens. Parvum vesicans, ut rubefaciens, tempori sinistro adponimus, unde insigne doloris decrementum fuit.

Die 16*a*. Manum aeger dextram quidquam movit. Ad vesperas dolor oculi auctus, altera die adhuc ma-

jor, cum lucis impatientia. Octo hirudines tempori sinistro admovemus. Abinde dolor oculi imminuitur, ac lucis aufertur impatientia.

Die 19*a*. Cephalaea major, pulsus pleni, fortes, rubor faciei major. Hirudines duodecim tempori sinistro, mox vero vesicans imponitur.

Die 20*a*. Dolor quidquam minor, atque sic nunc major iste, nunc minor fiebat.

Die 23*a*. Valde hic auctus fuit levi sopore, stupore universali, pulsu pleno, forti, alvo clausa. Os amarum est. Sanguinis iterum unciae decem detrahuntur, et potio laxans praescribitur.

Die 25*a*. Mane. Pulsus molles, exiguus capitis dolor, alvus soluta.

Die 27*a*. Melius aeger se habuit; hinc inde tamen pedis dextri contractiones observantur.

Die 28*a*. Aliquoties in die visus obnubilatur, pulsus tardi, 54 in minuto primo.

Die 29*a*. Formicatio manus paralyticae, pulsus lenti, motus in illa aliquis hinc inde. Levis interdum vertigo, cephalaea moderata.

Die 2*a*. mensis martii, nulla; pulsus naturales.

Die 3*a*. pruritus, pustulae (aegro antehac solitae) ad brachium sinistrum, sequente die adauctae. Hinc brachio huic vesicans imponimus.

Die 5*a*. Nullus capitis dolor; disparuit impetigo, sed urina copiosior est. Cruris impotentia. Dantur calomelas grana duo.

Die 8.*a* Vertigines, et visus obnubilatio recurrentes. Alvus adaperta.

Die 9*a*. Liber fuit aeger a capitis dolore, vertigine.

Die 10*a*. Surditas auris sinistrae. Vespere, *frigus* diuturnum, calor auctus, pulsus quidquam febriles, pleni. Altera die, loquendi difficultas, rubor faciei, aliquis capitis dolor.

Die 12*a*. Oculi dolor aliquis.

Die 13*a* melius se habet, manum quidquam movet. Circa meridiem, *convulsiones epilepticae* ad latus utrumque. Vespere, satis bene se habet, dolor capitis nullus.

Die 15*a*. Pulsus pleni, dolor capitis, facies accensa, loquelae difficultas. Sectio venae jugularis ad uncias novem. Ad vesperas, dolor capitis exiguus, sed ma-

gna loquendi difficultas, altera die adhuc major, cum pulsu pleno, tardo.

Die 20*a*, iterum pejus aeger se habet: dolor capitis auctus, rubor faciei, major loquelae difficultas. Cucurbitulae sex, rasis capillis, capiti imponuntur.

Die 21.*a* Capitis dolor exiguus, summa loquendi difficultas, stupiditas, inscia urinae in lectulum excretio.

Die 22*a*. Loquelae potentia fere sublata est, dolor capitis nullus. Pulsus vibrantes ac pleni sunt. Venaesectio ad uncias decem. Sanguis a corio quidquam obtegitur. Parum aeger sudavit.

Die 23*a*. Capitis dolor, loquela vix ulla.

Die 25*a*. Eadem rerum conditio, sed pulsus pleniores, fortiores sunt. Sanguis ad octo uncias detrahitur.

Die 26*a*. Singula imminuta sunt symptomata.

Die 27*a*. Haec iterum augentur, cum pulsuum plenitudine: nova venaesectio ad uncias decem.

Die 30*a*. Cucurbitulae ad nucham et ad tempora. Pulsus vero magis vibrantes et pleni reddebantur. Hinc sanguis ad libram unam ducitur ex vena jugulari.

Sic per dies aliquot res semper in pejus ruebant, donec constans demum lateris dextri paralysis accesserit. Sic multos adhuc per dies eodem in statu res permansit; tandem vero *die* 16*a*. aprilis iterum convulsiones epilepticae, 21*a* die repetitae, accedunt, et aeger 22*a*, *apoplectice* exstinctus fuit. *Nulla unquam deliria !*

Sectio cadaveris.

Adaperto cranio ac dura meninge, mox in cerebri hemisphaerio *sinistro*, ad posteriora, tumor prosilit, quatuor digitos in transversum latus, et ultra duos pollices profundus, mollis, et duabus maculis lividis notatus. Apertus hic tumor retulit cavum amplum, materia coacta, brunea, molli, cum sanguine remista, et cerebri corrupti substantiam referente, plenum, cui digitus anteriora versus, ad pollicem unum cum dimidio immitti potuit. Huic ulceri anterius, alterum

ulens, superius primo, comparuit in ipsa pariter medullari substantia positum, nullibi eum priore communicans. In media cerebri, sinistri hemisphaerii, medullari substantia, prope sinum falciformem, macula sese obtulit livida, quae, semper latior, ad ipsum usque ventriculum sui lateris descendebat, incipientem in medio sui veluti suppurationem offerens. In dextro hemisphaerio, similis ventriculo laterali macula superimponebatur, lata admodum, similemque atram materiam sistens. Ventriculus cerebri lateris utriusque, praeter paucum serum, materia brunea, molli, quasi polyposa, opplebatur: quae materia ex uno ventriculo in alterum, communicationem alebat; hac vero sublata, fundus ventriculorum integer erat. Cerebellum sanissimum. Reliquae cerebri partes intactae fuerunt.

Epicrisis.

Confirmat haec observatio, quae in *Epitomes* Lib. II. §. CXLII. vol I. p. 139, docuimus: « aliquando scilicet, post encephalitidem, in uno alterove cerebri hemisphaerio, aut in ipso cerebello, tumoris fere circumscripti, ex pallido rubentis, flaviusculi speciem detegi, in quo pultacea quasi ac cinerea, pure tamen quodammodo crassior ac fere sicca inveniatur materia. » Sectionum pathologicarum huic spectantes historias plurimas collegit *Lieutaud* (1), atque *Morgagnius* similiter recensuit (2). Quamvis autem *Burserius* speciali de *Sphacelismo Hippocratis* capitulo tractaverit, atque hunc morbum a cephalitide disjunxerit (3); nimis tamen inconstantia sunt unius ejusdemque morbi a *gradu inflammationis* symptomata, quam ut ideo genus inflammationis diversum per certos characteres exprimere queant. Graphica interim egregii quondam nostri antecessoris ac amici de *sphacelismo* cerebri descriptio est: « Facies, inquit, tumet rubetque; oculi

(1) Hist. anat. med. T. II. L. 3 pagina 169. 170. seqq.

(2) De sed. et caus. morb. Ep. vii. Legi quoque meretur *Fischer*, Abhandl. von einer verborgenen Entzündung und Eiterung des Gehirns. S. Samml. der auserles. Abh. für Wundärzte. 7 St. S. 237.

(3) Instit. med. Vol 3. §§. 168 — 180.

« venis sanguine turgidis distenti, ac fere defixi immobilesque prominent; mens veluti stupida torpet; « aeger ab imo pectore trahit suspiria, ingemiscit subinde, obsurdescit, aut certe difficilius audit. Interrogatus, respicit quidem alloquentem; sed vix « respondet unis plerumque intercisisque voculis; deinde mox ab alto silentio premitur, sensusque prope « amittit, solo motu superstite, quo adeo irrequieto « plerumque agitatur, ut locum, quo conquiescat, « in cubili invenire non posse videatur. Exsilit etiam « quandoque, inordinate modo huc, modo illuc se « revolvit; modo crura pedesque dimovet; modo brachia projicit; modo manus ad caput convertit, modo « capillos, modo barbam evellens, modo faciem unguibus sibi dilacerare aggreditur. Morbo autem jam « provecto, se · ibusque prorsus exstinctis, sedatur, « languet, ex toto obmutescit, oculos interdum, alta « voce excitatus, aperit, sed nihil respondet, imo « ne annuit quidem, et quandoque, vel acriter punctus, membra non retrahit, nec ejulatum emittit, « apoplectico tum haud dissimilis, atque inter funestissima haec symptomata citissime interimitur. In « pueris saepe vidi resolutionem unius lateris, aut « opisthotonum, aut motus convulsivos aliqua in parte, inprimis circa faciem, mortem praecedere (1). » Eximie certe cum hac descriptione convenit sequens, quam hîc breviter modo ex nostris diariis excerpimus, historia.

Vir juvenis *Ticinensis*, triginta circiter annorum, anno 1790, sine causa manifesta, in lethargum incidit, quem atrox capitis dolor praecesserat. Succiplenum floridumque hunc juvenem tunc per venae jugularis sectionem, ac per hirudines ad tempora, et post aures positas, nec non per alviductiones blandiores, sine reliqua paralysi, unius spatio hebdomadae, restituimus. Anno vero 1792 vir hic idem ab atroci capitis dolore, faciei rubore insigni, correptus fuit. Febris tunc pauca fuit; et pulsus pleni ac vibrantes, eandem sibi, quae duos ante annos tam utilis fuit, medendi rationem exegerunt. Nunquam

(1) Lib. c. §. CLXV.

tamen, sub morbi principio, sopor accessit, neque aeger aut ferociter unquam, aut aliter, quam vel ante, vel post somnum solent homines, deliravit: sed per dies adeo extra lectulum versatus, sub pulsu non amplius febrili, etsi pleno, nihil, praeter perpetuum cephalaeae incrementum, accusavit. Sic aliquos per menses, modo plus, modo minus, de hac ipsa conquestus est. Tandem supinus ac in dorsum semper jacuit, et oculis semiclausis dormire videbatur, sed facta quaestione, nihil quidem respondit; manum vero utramque versus caput tulit, hoc ipsum non tetigit, sed quantum id doleret, quasi mutus, manifestavit. Oculi aperti, vasis rubris ac turgidis undique picti, turbidi ac moesti fuerunt, mox iterum a palpebris obtecti. In altos interdum ejulatus aeger rapiebatur; aliquando lectulo cum impetu prosilit, per cubile, desperabundus, citiore gressu ambulavit; nunquam tamen vomuit, aut mentis impos est visus. Sub fine morbi lethalis, nobis tunc *Papia* absentibus, quietus et quasi stupidus, in unum latus capite conversus, nec oculos amplius aperiebat, nec verba proferebat: sed ambabus manibus capiti admotis, profunde suspirabat, ac tandem sensu omni destitutus, more apoplecticorum exstinctus fuit. Amplissimus in cerebri hemisphaerio sinistro abscessus, vix tamen pure, sed caseosa quasi ac pultacea, cinerei coloris materia repletus detectus fuit.

Sic etiam vir quadragenarius, mense Januarii 1786 ad clinicum Institutum *Ticinense* susceptus, sinistro in latere paralyticus, sub fine morbi lethalis, enormes capitis dolores, continuos ejulatus extorquentes, manifestaverat; *parum* interim *deliravit*, parum dormire potuit. In cadavere, *dextrum* cerebri hemisphaerium, ad centrum semiovale *Vieussenii*, largum is nobis abscessum obtulit. Similem etiam abscessum in parte cerebri posteriore deteximus.

Partem vero cerebri conspicuam, sine functionum mentalium laesione devastari posse, quod jam ab aliis adnotatum fuit, ex propria etiam observatione fuimus convicti. Mercator, prope *Bruchsaliam*, a latronibus ad caput percussus, fertur ad urbem. Ob vim summam calvariae illatam, spes vitae servandae pauca

chirurgis conceditur. Post novendecim tamen hebdomadas, hunc virum per plateas versantem, praeter parvum ad frontis partem dextram vulnusculum, fascia munitum, aspectu sanum vidimus. Cum igitur chirurgus expertus, hoc vulnusculum, pertinaciter apertum, specillo, caute admoto, examinandum, in supino aegro subjiceret, cariem ille quidem ad os frontis detexit; sed specillum suo pondere calvariam, plures ad pollices, ut vastum in cavum, penetravit ac delapsum fuit. Perterritus chirurgus, instrumentum, quin aeger hujus sensum habuisset, ex cerebro retraxit, ac terroris percepti rationem amice nobis exposuit. Cum vero hic mercator, *Frankofurtum* altera jam die petiturus, per urbem nobis obviam prodiret, ab itinere eundem, etsi nullius incommodi sibi conscium, donec vulnusculum ad frontem clauderetur, deflectere incassum tentavimus. Ipsa scilicet nocte insequente, hoc iter in curru publico suscepit, nec de importuna corporis ab eodem conquassatione conquestus est; vix autem urbem allide rat, cum, subitaneo ad caput erysipelate correptus, tertia hujus symptomatis die e vivis discessit.

Sic anno 1766 virum robustissimum *Rotalbae*, quo loco primam lucem conspeximus, tractavimus: qui vir probus, ut vicini sui boves ab interitu salvaret, ex altissima rupe in vallem profundam ipsemet praecipitatus fuit. Ad prominentem rupis angulum, capite, sub lapsu, allidens, calvariam miser in octo partes diffregit adeo, ut digitum inter ossis parietalis sinistri fragmenta transversim imponere potuerimus, et ut singula hujus lateris integumenta capillata, horrido aspectu, cum ipsa aure externa, ab ossibus cranii divulsa, super humero pependerint. Atqui tamen hic vir, non modo novem per dies supervixit; sed nec minime deliravit, semper sibi praesens, si duas ultimas ante mortem horas, quibus utique delirium accessit, excipias.

XXXIII. *Vomitus lethalis ex encephalitide.*

Mense martio 1792, mulier 30 annorum, clinicum Institutum *Ticinense* adivit, sexto mense gravida. A quadraginta duobus jam diebus illa vomitu fere continuo laboraverat. Insignis ad caput dolor praecesse-

rat, nec ullum huic remedium oppositum fuerat. Caput nunc quoque doluit, sed facies pallida fuit atque cachectica. Amaror oris, vomituritio perpetuo urgent, et frequens est bilis aeruginosae ex ore rejectio. Deliria, quod noverimus, hucusque nulla fuerant; foetus sese in utero adhucdum movebat. Ad vesperas, pulveres ex cremore tartari cum quarta parte grani unius tartari emetici mixto, porreximus. Die sequente, maximam aeruginosae bilis copiam ad horas matutinas evomuit, continuas nauseas accusans. Praebuimus tunc radicis ipecacuanhae grana duodecim. Mox ista revomuit. Cum vomitus ad vesperas urgeret, laudani liquidi viginti guttas porreximus. Ex instanti et ista revomuit. Eadem tunc medicina, absque alio vehiculo, propinata fuit. Retinetur haec per horam; tunc partum praematurum mulier passa est. Mox vomitus iterum ingruunt, ed ad finem noctis moritur aegra.

Sectio cadaveris.

Aperto cadavere, nihil morbosi in abdomine comparuit, exceptis vermibus, ex ascaridum lumbricoidum familia, tribus, flava viscidaque bile obductis, et in ventriculo repertis. Vesicula fellea collapsa et fere vacua fuit. Aperta calvaria, duram meningem ad utrumque os parietale summopere inflammatam, atque versus cerebrum a pseudomembrana investitam, ruberrimam conspeximus. Serum puriforme cerebrum non durum, ac piam matrem inundaverat.

Epicrisis.

Erravimus igitur, dum, morbum biliosae indolis credentes, levissimum licet, emeticum porreximus. Absentia delirii, soporis, quadraginta duo dies, sine alio, quam vomitus, phaenomeno transacti, hunc nos in errorem in muliere, quam certe nulla methodus salvasset, traxerunt.

XXXIV. *De Glossitide.*

Dum *Epitomes* secundum, de inflammationibus, librum ederemus, viginti sex annorum in rebus medicis experientiam, non communem sane, habuimus. Ingenue interim tunc fassi sumus (§. CLXIII), *glos-*

sitidem primariam illuc usque; unico modo exemplo nobis ipsis comparuisse. Aliorum hac de re scriptorum observationes ignorare certe non potuimus. Ab eo tempore, sexies hunc morbum conspiciendi occasionem nacti sumus; ut igitur in amplissimo artis, per novem fere lustra, exercitio, modo *septem* hujus morbi specimina nobis ipsis oblata sint. Cum senioribus variarum regionum medicis non paucis, ut consuevimus, hunc etiam circa morbum conferentes, et illis eundem aut raro, aut nunquam obvenisse intelleximus (1). Casu interim, aut forte fortuna, junioribus aliquando talia, quae senum oculos fugerant, videre pluries conceditur. Sic occasione primae glossitidis a nobis *Ticini* conspectae auditorum nostrorum unus (2), cui fidem denegare non licuit, sibi octo hujus morbi, *Heidelbergae* ante annum quasi *epidemici*, exempla vel unico in anno oblata esse publice testatus est. Quamvis autem varii glossitidis casus in fastis medicorum descripti legantur; ob morbi nihilominus raritatem, aliquos ex illis, qui, praeter illum, quem in *Epitome* nostra l. c. §. CLXIV, retulimus, aut nobis aut amicis nostris oblati sunt, hîc referri, non inutile fore ducimus.

XXXV. *Glossitis catarrhalis.*

Mitioris specimen glossitidis hîc primum tangimus. *Josephus Schwedler*, novemdecim annorum juvenis, opifex scriniarius, robusti satis corporis, praeter psoram et aliquem ventriculi dolorem, a quibus ante annum liberatus fuit, sanus semper vixit, donec ante mensem, pectoris nariumque catarrhus eundem corripuerit. Quatuor ante dies, horripilationes vagae, caloribus interruptae, dolor capitis, tussis inanis, deglutitio impedita accesserunt, quibus singulis neglectis, dolor faucium increvit. Tandem, 8*a* mensis decembris 1796, de nocte, ardentem aeger dolorem ad

(1) *Viennense* in nosocomium, cui novem per annos dirigendo praefixi fuimus, *sexdecim* circiter *millia aegrorum* ac *parturientium* quotannis suscipiuntur. Deductis his ultimis, 13000 circa aegrorum per annum superstant. In tanto vero aegrorum numero, nec *septem* quidem *glossitidis* exempla fuerunt.

(2) *D. Edmundus Schmuck*, Heidelbergensis, morte praematura literis ereptus.

apicem linguae persentit. Mox haec intumuit multum, exaruit, doluit, et ad loquelam inepta, oris cavum moleste implevit. Nosodochium igitur Viennense ingressus juvenis, alvo primum purgatus est, sine levamine, decies.

Die 9*a* decembris, aeger ad Institutum clinicum, susceptus, doluit ad caput, ad frontem inprimis; sensibilior ad lucem fuit oculus, coryza perstitit, lingua rubro admodum colore notata, tumida, arida et ardens, nec porrigi, nec retrahi potuit; tumuerunt glandulae sublinguales, tonsillae; vox simul et deglutitio fere impeditae, libera quidem respiratio, nisi per tussim turbata; sitis magna, cutis sicca et ardens, pulsus frequentes, quidquam elevati, horrores caloribus intermisti, adnotata fuerunt.

Cataplasma emolliens sub mento, vesicans ad nucham posita, vapores tepidi ad linguam dirigendi, collutorium ex lacte, enema nutriens ex jusculo carnium cum ovi vitello, — pro medicina vero, infusum, ac roob sambuci, cum aceti ammoniacalis uncia una et dimidia, praescripta fuerunt.

Die 10*a*. Noctem aeger sat bene transegit; lingua mobilior, dolet minus, toto corpore sudor prorupit, alvus quinquies soluta fuit, tussis arida, dolor capitis continuant; urina rubra, parca est.

Die 11*a*. Linguae tumor dolorque magis imminuti; capitis dolores cessant; liberior est deglutitio. Sudor undique profluit; alvus bis mota fuit.

Die 12*a*. Nox inquieta fuit, dolor ad oculorum orbitas haeret, dolent artus, tussis inanis aegrum divexat, cujus interim lingua minus dolet, magisque detumuit. Pulsus molles ac debiliores sunt.

Corticis chinae decoctum, cum liquoris anodyni Hoffmanni drachma dimidia pro usu interno, infusum vero sambuci cum melle, pro collutorio, propinantur. Cataplasma, vapores continuantur.

Die 13*a*. Sudor hac nocte copiosus fuit; tumor linguae, tonsillarum, disparuit; somnus placidus, febris vix ulla.

Ad vesperas, caput iterum dolet, sitis urget; dolent artus, pulsus iterum febriles, sed molles sunt; lingua iterum humida, deglutitio non dolens, transpi-

ratio cutis acidum redolet. Decocto corticis, camphorae superadditur scrupulus.

Die 14a. Nox melior successit. Dolor capitis evanuit, sudor aliquis, nullus ad linguam aut fauces dolor accusatur, pulsus naturalem frequentiam observant.

Die 15a. Praeter tussim, disparuerunt morbi symptomata. Camphora seponitur, removentur cataplasmata, vapores.

Die 18a, convalescens juvenis ad suos laetus redivit (1).

XXXVI. *Glossitis cum suppuratione.*

Quindecim annorum puer, vitae campestri adsuetus, ab omni morbo hucusque immunis, octo circiter ante dies, cum, sub gelu acuto, levi veste munitus, labori fortius incumberet, dolorem a dorso linguae versus apicem extensum, simul vero ad fauces dilatatum, expertus est. Lingua, hoc rerum sub statu, intumuit. Successit nunc frigus per tres dies continuum, nulli calori intermistum.

Die 8a mensis decembris 1792, hic puer ad clinicum Institutum *Ticinense* defertur. Facies illius rubet, caput vero dolore liberum est. Verba, quae proferre tentat, intelligi ab aliis haud queunt. Difficilis maxillarum diductio est. Lingua dura, situm mutare, aut porrigi medico haud potest. Cochlearis per manubrium quidquam ea depressa, muco tenaci obducta, tumorem ad radicem suam, ab attactu dolentem, modice elevatum, praesentat. Screatio, vel tussis nulla. Praeter fluida, jam duobus a diebus, deglutiri nil potest. Glandulae submaxillares tument, et omne quasi mentum occupant. Nullum adest ciborum desiderium, respiratio tamen facilis, pulsus pleni ac duri sunt; venter mollis est.

Cruor ad uncias decem e vena emittitur. Sub mento, cum linimento volatili illito, cataplasma emolliens imponitur; lac tepidum, ore detinendum, enema praescribuntur.

(1) Aegro adstitit, ac morbi historiam conscripsit *Antonius Seichter*, medicinae candidatus.

Die 9a. Somnus nocte nullus, cutis arida; caetera symptomata continuant. Sedimentum in urinis puriforme conspicitur. Octo hirudines sub mento ponuntur. Decoctum hordei cum nitro et melle pro collutorio praescribitur.

Ad vesperas, pulsus pleni, frequentes, subduri; dolor glandularum sublingualium acerbus est. Famem puer nihilominus accusat; lactis vaccini libra, tepide haurienda, conceditur.

Die 10a. Absque sudore noctem transegit. Dolor submaxillaribus in glandulis major est. Lingua magis rubet, ac a lymphae coagulo obducitur; mobilior tamen, verba quaedam melius pronunciat. Febris imminuta, pulsus tamen adhuc frequentes sunt.

Praescribitur haustus salinus cum grano tartari emetici; continuantur reliqua.

Nulla circa vesperas exacerbatio fit; durities glandularum interim perseverat, et ad minimum attactum hae dolent.

Die 11a. Nox quieta fuit, sudor nullus, puriformis in urinis materia subsidet, febris vix manifesta est.

Post prandium sudor accessit, non quidem largus, sed tamen per omne corpus diffusus. Pulsus magis pleni sunt, deglutitio liberior.

Die 12a. Tumor ac durities ad glandulas continuant; in urinis nihil subsidet; sudor nullus est.

Die 15a. Tumor in glandulis submaxillaribus hucusque increvit, rubore, dolore pungente, pulsante, ad attactum aucto, distinctus. Hirudines octo iterum adponi jussimus.

Die 16a. Manifestum in tumore suppurationis initium digito se prodit. Cataplasma illi adponitur.

Die 17a. Fluctuatio manifesta nunc in tumore percipitur, febris vero nulla est.

Die 19a. Pus per foraminula tumoris sponte prorumpit, per duas dies effluere continuans. Sic tumor magis magisque imminutus tandem evanuit, ac naturalem sibi formam mentum adeptum est.

Die 16a. puer, sanitati perfectae restitutus, decessit ad suos (1).

(1) Historiam morbi descripsit, et aegro adstitit *Edmundus Schmuk*, medicinae Candidatus.

XXXVII: *Glossitis altera, in suppurationem versa.*

In pago *Mandelli*, Auditor noster, *Vincentius Pini*, Medicinae Doctor, virginem rusticam 24 annos natam, morbo nullo hucusque vexatam, pinguem ac robustam tractavit ex glossitide correptam. Die nempe 15*a* mensis augusti 1793, illa, postquam, pridie sudor ei suppressus fuisset, in tussim siccam, cum faucium titillatione et loquelae difficultate, incidit; quibus, vesperascente sole, febris consociata fuit. *Die* 16*a* mane, haec quantisper remisit, sed paulo post exacerbata fuit cum diuturno, et membra concutiente frigore, tussi sicca, faucium et linguae ariditate, ardore atque tensione, ad vesperas adauctis. *Die* 17*a* nulla accessit febris remissio, sed symptomata recensita increverant, ac omnis tam deglutiendi, tam loquendi facultas ablata fuit. Ad noctem febris, cum magna cephalaea, intensior facta est.

Die 18*a*. Accersitus nunc medicus praeter symptomata relata, faciem observat rubram et tumidam, oculos splendentes, capitis gravedinem; os, ob linguae, ultra dentes propendentis, tumorem, apertum. Pars linguae, oculis subjecta, materia lardacea ac alba obtecta est. Magnus tumor glandularum sublingualium, maxillarium, ad magnam juguli partem, in sinistro praecipue latere, extensus, aderat. Urgebat sitis, sed nulla fuit deglutiendi possibilitas, respiratio erat difficilis. Pulsus oppressi magis, quam pleni, abdomen tumebat, alvo a tribus jam diebus minime reserata; cutis arida fuit et sicca. Vena tunc ad libram secta, cataplasma emolliens mento et collo admotum, et enemata praescripta fuerunt. Ut lactis tepidi, quantum liceret, vel ore retineret, vel deglutiret, imperatum fuit.

Die 19*a*, mane. Sanguis emissus nullo obtegitur corio, sed admodum tenax est. A clystere, alvus copiose mota fuit; noctem aegra valde insomnem transegit. Pulsus magis elevati, duriores sunt. Glossitidis, cynanchis symptomata vigent. Altera hinc venaesectio ad libram instituta, in caeteris vero continuatum fuit. Ad vesperas, sanguis extractus corium aliquod obtulit. Faciei rubor, splendor oculorum,

capitisque gravedo vix amplius persistunt. Faucium pariter ardor et tensio imminuuntur; respirandi interim atque deglutiendi difficultas continuant. Pulsuum eadem et plenitudo, et durities est. Tertia hinc venaesectio instituta, cum caeteris autem continuatum fuit.

Die 20*a*, mane, sanguis heri emissus crusta evidentiore obtectus est. Alvus bis laxata fuit. Quamvis autem febris aliqua symptomata remitterent; lingua tamen mole sua omne oris cavum adhuc implebat: quapropter decem hirudines sub mento et ad colli anteriora positae fuerunt, quarum ope septem circiter cruoris unciae effluxerunt. Linteoli ope tenacior materia caute a lingua abstersa fuit. Ad vesperas, tumor externus non parum imminutus comparuit. Dolor et tensio faucium minores sunt. Nulla febris observatur exacerbatio. Cutis erat madida, et pulsus non amplius aut duri, aut vibrantes fuerunt. Infusum hinc sambuci propinatum, enema praescriptum, ac in cataplasmate continuatum fuit. Versus horam nonam nocturnam, medicum, mater aegrae, ut ad filiam, morti vicinam, properaret, supplex orat. Ad orci fauces revera haec haeserat. Omnem nempe spiritum linguae tumor strangulans adimebat. Hoc tremendo rerum sub statu, de tracheotomia cogitavit medicus, si mortis augerentur discrimina; sed novam prius cruoris missionem instituit, quam, nisi terror ad affinium impedivisset, ad venam jugularem tenasset. Mox a misso sanguine, respiratio aegrae facta est liberior; stertor et anxietas moderari coeperunt. Post aliqua vero minuta, sub valido ad tussim nisu, nemine id suspicante, *abscessus*, qui ad latus sinistrum basis linguae haerebat, diruptus fuit, et puris concocti tres fere unciae, cum summo aegrotantis levamine prosilierunt.

Die 21*a*. Nulla amplius febris comparuit; lingua glandulaeque detumescunt. Magnam puris quantitatem illa primis diebus fundebat. Cutis coepit madescere; alvus bis mota. Ter quater in die linguae ulcus cum hordei decocto et melle abstergitur.

Die 24*a*. Nullam hucusque febrim accusavit aegra; ulcus, nova substantia repletum, parum puris funde-

bat. Noete copiosus sudor manabat sub calore vix non naturali. Urina sedimentum deponit lateritium. Loquela indies fit clarior.

Die 28*a*. Cum linguae abseessus coaluerat, tuberculum ad latus illius durum remansit, quod sub loquendo dentes allidens, difficilem reddere verborum pronunciationem, ac ingratam sensationem aegrae adferre solebat. Hinc uncia mellis cum aeidi sulphurici drachma una remista et bis terve in die cum istis tuberculum ad linguam illitum fuit. Quindecim dierum spatio hoc ipsum, hac sub methodo, dispersum, perfectae vero aegra saluti restituta fuit.

XXXVIII. *Glossitis, ex Nicotianae tabaci foliis orta.*

Audotia Tichonova, nautae uxor, 37 annorum, constitutionis haud robustae mulier, et praegressis morbis variae indolis, tum aliis, aut syphiliticis, nec non venaesectionibus ex consuetudine institutis, exhausta. Anno 1805 haec femina duorum foetuum abortum passa est, et ab hoc tempore urinae laboravit involuntario profluvio. Anno 1806 odontalgia vehementissima suborta est, ad quam sopiendam, aegra consilio agyrtae, *nicotianae tabaci folia* dentibus applicuit. Remedio hoc per nycthemeri spatium in oris cavis detento, lingua ad tantum tumorem, sub summis doloribus, increvit, ut os nullo modo claudi potuerit. Rubebat pars haec summopere. Salivae fluxus uberrimus, continuus, sub tussi adauctus, accessit. Hoc misero sub statu, aegra, sine omni auxilio adhibito, vix deglutire potuit, vix verba quaedam proferre. Magna simul respirandi difficultas, vigiliae nocturnae, has miserias ita augebant, ut, *die* 12*a* novembris, haec aegra, in clinicum Institutum Academiae medico-chirurgicae *Petropolitanae* delata, moribundae faciem feminae nobis offerret.

Examini hoc in loco subjecta, foetorem haec mulier insignem vixque tolerabilem late sparsit. Salivae magna copia perpetuo ex ore fluxit. Lingua tumefacta, dura, praerubra, muco albo, cremori lactis simili, copioso, involuta, immobilis haerebat, ad omnem attactum sensibilissima. Parotides simul dolent tumentque; urgent vertigo, cephalaea. Deglutitio prorsus

fere est impossibilis, ac parum modo liquidi fauces transire valet. Respiratio laboriosa, loquela fere nulla, ut solis cum signis aegra se exprimat. Pectoris quoque et hypochondrii sinistri dolorem manifestat; facies pallida, oculi moesti, lachrymantes sunt. Maxillae inferioris motus impeditus, os vero late apertum est. Ad noctem aegra frigus, quod calor insecutus est, persensit. Lassitudinis insignis imago coram habetur. Conatus urinam mittendi frequens est, nihilominus ista nolenti feminae profluit. Abdomen molle, sub attactu non dolet.

Pro collutorio praescribitur infusum florum chamomillae, cum lactis aequali portione remistum. Glandulae parotides, mentique regio, cum linimento volatili inunguntur, ac panni lanei calefacti applicantur his partibus.

Die 13*a*. Noctem aegra sine somno transegit, sitis summa; pulsus exiles, frequentes fuerunt. Alvum hoc mane liquidam, paucam, excrevit. Linguae tumor, rubor, dolor insignis. Post meridiem, frigus in longum tempus extensum, ab aegra percipitur. Sequitur hoc calor cum pauco sudore. De pectoris, nec non de sinistri hypochondrii dolore, novae querelae. Fauces dolent ac ardent. Respirationis difficultas quidquam imminuta est; pulsus semper exiles ac debiles sunt. Ex oris cavo foetor, cum illo ex urinis, in lectulum continuo demissis, conjunctus, per omne spargitur magnum cubile. Decoctum malvae, cum melle despumato pro collutorio nunc praescribitur. Lac tepidum, aut jusculum, qua potest, ratione ingeritur.

Die 14*a*. Somno interrupto per horam aegra dormivit. Foetor oris hodie quidquam magis est tolerabilis. A jusculi quidquam calidi deglutitione, frustum sanguinis coacti, durum, magnitudinis unius pollicis cum dimidio, ex ore decidit, unde quidquam levaminis mulier percepit. Alvus hodie non fuit deposita; urinam vero aegra, hujus excretionis conscia, minxit. Ad noctem febris augetur, cutis vero mansit sicca; caput doluit, lachrymabantur oculi; dormivit parum, sed quidquam facilius respiravit aegra. Pulsus semper debiles et frequentes sunt. Alvus parum soluta, foetidissima et fluida. Linguae dolorem aegra,

sub attactu, minorem accusat, sub verborum vero articulatione pungentem experitur. Alba spissaque materia omnem linguae superficiem superiorem obtegit, nec tumoris in illa decrementum observatur. Volumen interim parotidum, saepius cum linimento volatili cum camphora inunctarum, sensim imminuitur. Mollior etiam hic tumor est; parumque doloris inducit.

Die 15*a*. Cephalaea quidquam minor, dolor vero linguae, sub loquela pungens, continuat. Pectoris atque hypochondrii sinistri dolores dissipati, ad articulationes conversi sunt.

Pomeridianis horis, sitis magna fuit, ac frigus intensum accessit. Linguae, pauco nunc muco obductae, durities imminuta est, ac tumor quoque subsidet. Salivae fluxus foetidae perpetuus est. Pulsus frequentes, molles, et quidquam elevati sunt.

Collutorium hodie praescribitur ex infusi florum chamomillae libris duabus, et laudani liquidi *Sydenhami* drachma una.

Die 16*a*. Nulla rerum mutatio est.

Die 17*a*. Febris parva, sitis exigua, capitis dolor nullus, observantur.

Per tres dies symptomata mitiora sunt.

Die 21*a*, loco laudani liquidi, opii puri grana decem collutorio superaddimus.

Die 22*a*. Lingua, ad naturalem quasi magnitudinem redacta, aliquem jam motum exercet. Parotidum etiam tumor ac dolor dissipati sunt. De sola debilitate aegra, nunc hilaris animi, conqueritur. Febris eam nulla tenet, clare ac distincte loquitur, foetor oris disparuit. Parum interim somni conceditur. Porriguntur hinc ad noctem laudani liquidi guttulae duodecim.

Die 23*a*. Somno aegra bono gavisa est; lingua mollis, ac fere pura est. Decoctum amarum pro medicina praescribitur.

Restitutis tandem, sub victu nutriente, viribus, aegra die mensis ejusdem 30*a* dimissa fuit (1).

(1) Historiam conscripsit, ac aegrae adstitit alumnus Academiae *Worotjewitsch*.

XXXIX. *Glossitis cum gangraena.*

Summum quendam foetorem, sub nosocomii *Viennensis* inspeetione, in uno ex ejusdem cubiculis, aegrorum eurae destinatis, percipientes, medicum istorum ordinarium, qui tantam atmosphaerae corruptionem tolleraret, ex officii ratione eompellavimus. At ille, praeseriptam rerum aërisque puritatem religiose observari eonfirmans, nos ad leetulum aegri, qui eadaverosum hunc foetorem ex *linguae gangraena* spargeret, conduxit. Vir, quem hîc observas, inquit, scorbuto detentus, in typhum incidit, cujus praecipuum symptoma *glossitis* fuit. Ad apieem linguae seilicet suborta est inflammatio; quae paucorum spatio dierum, ac antequam hunc ad locum aeger, morti vieinus, deferretur, in sphaeelum abiverat. Ac revera, mox linguam hujus viri quinquagenarii, ad duas tertias sui partes in tabem conversam, nigerrimam, cum horrore eonspeximus. Hunc igitur aegrum, ne tam saevam mephitim exhalans, sociis obesset, separatum ac amplum ad cubile deportari, ac ibidem, ob summa vitae, tam ex typho, quam inprimis ex instante vasorum linguae eonspicuorum profluvio eruento, diserimina, proprio chirurgo et eustode mox instrui curavimus. Post triduum, a media nocte, sanguis, quo loeo eschara gangraenosa separari incepit, primum non plurimus, viam sibi paravit. Interea ehirurgus *secundarius*, de imposito sibi gravi officio minus sollicitus, leetulo se proprio eommiserat; ae tertia licet viee in auxilium, non sine instantis admonitione perieuli, accersitus, stragula, donce fatale aegrum ex linguae vasis profluvium, die 20a septembris 1796, e vivis rapuisset, deserere neglexit. Etsi vero nobis pro aegro, vel solum ob typhum gravissimum, scorbuto adsoeiatum, spei parum, aut nihil, affulsisset; ac licet haemorrhagiae ex linguae gangraenosae vasis majoribus, profundo in oris antro, compeseendae difficultas nos minime latuisset; chirurgus tamen, utpote de iis, quae tanto sub discrimine tentanda forent, probe instructus, ob tam sancti neglectum officii, a nosodochio relegatus fuit.

Epicrisis.

Ex quinque his *glossitidis*, expositis a nobis, exemplis, tum causarum, quae hunc morbum producunt, tum symptomatum, tum febris eundem comitantium diversitas, ac methodi medendi, huic ipsi adaptandae, ratio elucent. Tam ille ipse, cujus in *Epitomes* Lib. II. §. CLXIV, meminimus, quam alii quatuor, quorum historiam hîc tradidimus, subitancae transpirationis interceptioni hanc affectionem adscripserunt; atque sic, quemadmodum *cynanchis*, ita etiam *glossitidis*, scaturigo; quamvis longe rarius hujus ultimae, hoc ex fonte, prout eodem in opere §. CLXV, indicavimus, derivanda est. Aegram *Petropolitanam*, nicotianae tabaci e foliis hunc sibi morbum adscivisse, licet eorundem foliorum frequentior masticatio apud plurimos hunc effectum haud exserat, eo minus mirabimur: quod mulier haec debilis et cachectica, ob praegressas luis venereae rationes, frequentem mercurii usum fecerit, atque majorem sic longe oris sensibilitatem contraxerit. De inflammationibus, a vulnere, laesione, corporibus peregrinis ad linguam productis, sermonem hîc, ut qui nobis tantum de *glossitide primaria* est, non instituimus. Ac prima quidem ex illis, quas descripsimus, *catarrhalis* ea manifeste progeniei dicenda fuit. Ad secundam vero quod respicit, num ea de *cynanchis*, quam *externam*, seu *parotideam* vocavimus (Epitom. Lib. II. §. CLXXIV.), familia sit, eo magis dubitari licebit: tum quod eo ipso tempore, in quod haec glossitis incidit (a. 1792.), illa ipsa cynanche, *Ticini*, inter juniores, latissime regnaverit; tum quod submaxillares glandulae, non modo a primo febris impetu, ad extremum usque, volumine augeri, dolere observatae sint; sed mobili, ac verba modulante jam lingua, tumere continuaverint, ac demum in *abscessum* transiverint. In omnibus interim glossitidis conspectis a nobis exemplis, tum hae glandulae, tum sublinguales, ac in uno vel ipsae parotides, partem sibi symptomaticam sumpserunt. Quodsi quis parum in artis exercitio interesse dixerit, num *cynanchis externae* magis soboles, num idiopathicae naturae sit glossitis; replicabimus huic: in pri-

ma ex istis, quam, cum *Josepho Pratolungo* (1), morbis nunc magis *exanthematicis*, quam *inflammationibus* subjugare vellemus, raro tantam venaesectionum necessitatem subintrare (Epitom. Lib. c. §. 180), frequentius vero has, ob faciles metastases, esse noxias. Quod interim eam, quam secundo loco descripsimus, glossitidem, cynanchi parotidaeae haud fuisse affinem, nos credere inducit, *suppuratio* est, quae raro in hac ipsa, nisi forsitan ex aure, contingit. In duobus autem ex adductis hîc exemplis, *abscessus*, et ab aliis descriptus, secutus est: quorum ultimus, nisi prudens medicus illico cum sanguinis missione periculum evitasset, antequam ille rumperetur, aegram, jam stertorosam, suffocasset. Febrem vero nunc satis exiguam, nunc vere hypersthenicam, nunc autem typhöden, diversimode glossitidem circumdare, ac ideo venaesectionem nunc nullam, nunc saepius replicatam, hanc sibi exigere, ex adhibita felici, nunc blandiore, nunc deprimente, nunc vero incitante medendi ratione jam satis elucet. Gangraenam, quaé ultimo in aegro comparuit, cum *glossanthrace Sauvagesii* (2), ut morbo bestiis domesticis fere proprio, nil habuisse commune, supponimus.

XL. *Tumor et ulcus laryngis.*

Rosa Gatta, ex *Siccomario*, rustica, annorum 46, antehac robusta, semper sanissima, firmique corporis habitus, per duos menses a tussi vexata fuit. A mense, gutturi superadditur dolor profundus, tussis fit asperior, sequuntur sputa admodum copiosa, puriformia. spirandi difficultas, aliquod in cibis ad ventriculum demittendis impedimentum, febricula. Remittunt haec; ast vero a quindecim diebus respiratio est difficillima, sonora, sibilosa, cum gutturis angustia pectorisque supremi oppressione peragenda. Febris interim vix ulla adest. Ructus foetidissimi ac vix tolerandi exploduntur. Alvus pertinaciter obstructa, magna cordis palpitatio, pervigilia continua. Aliquando cervice erecta lectoque insidens aegra, ob imminen-

(1) Vid. *Burserii* Instit. med. pract. Vol III. pagina 275.
(2) Nosolog. meth. T. IV. p. 360.

tem suffocationem, respirare cogitur. Post duos in nosocomio *Ticinensi* peractos dies, infelix mulier praefocata periit.

Sectio cadaveris.

Ad laryngis parietem posticum, qua arytaenoideae cartilagines, inter ipsas membranas, abscessus detectus fuit, nucis avellanae magnitudinem aequans, cujus adhuc spectabilis est cavitas. Arytaenoideae ipsae et earundem ligamenta, medio in abscessu haerentia, non nihil corrosa erant et consumpta. Pulmones erant sanissimi.

Epicrisis.

Epitomes libro III. § CLXXIII pag. 172, de *cynanche laryngea* pauca quidem, sed quae potissime ad rem facerent, docuimus. Hanc doctrinam illustrat praesens morbi historia, quam viri egregii, *Joannis Defelici*, medici Ticinensis, ac nostri quondam auditoris, solertiae, sicut multa alia, debemus. Praeparatum, ut vocant, pathologicum hujus morbosi laryngis in museo *Ticinensi* expositum est. Exempla multa *pseudomembranarum*, superficiei laryngis internae post inflammationem adhaerentium, — aliqua *polyporum*, natura sua bis affinium, *aphtharum, variolarum* hîc residentium, pauciora, — carunculae, sarcomatis paucissima habentur. Ipsae, quibus cavum laryngis investitur, *membranae*, a sero flavescente, tenaci interdum *tumuerunt*. *Ulcera* quoque non tam raro has ipsas membranas atque cartilagines laryngis corroserunt. Cartilaginem cricoideam laryngis ex ulcere pene destructam conspeximus anno 1793, in nosocomio *Ticinensi*, atque laryngem posterius suppuratam illinc in museo pathologico conservavimus. In clinico Instituto *Vindobonensi*, mense maji, anno 1804, arytaenoideas cartilagines corrosas observavimus. Ulcus cancrosum laryngem interius erosit (1). *Pus* ex albo cinereum et quasi pultaceum, in obturamenti modum formatum, laryngis cavum in

(1) Haec laryngis vitia collegerunt, G. C. *Conradi*, Handbuch der pathol. anatomie, S. 457. 8. — F. G. *Voigel* Handb. der pathol. anatomie, II. B. S. 310 311.

virgine asthmatica, repentina morte ablata, obturaverat (1). Nec *tumorum* ad laryngem exempla desunt. Glandulas laryngis apud proles, quarum parentes ex phthisi pulmonali perierant, obstructas ac tumidas reperiit celeberrimus *Portal.* In quibusdam phthisicis glandulae laryngis, sicut illae pulmonum, aegrotant, et partim tabem producunt, partim ab ista intumescunt. Ad pisi magnitudinem tumentes vidit ille has glandulas, pluresque ex istis suppuratas cum ligamentis rimae glottidis, et ipsa epiglottide ac larynge erosis (2). Rariores vero tumores majores sunt, in cavo laryngis reperti. Morte tamen subitanea periit aeger ex *tumore scirrhoso* ad internam et posticam laryngis partem, ex praevia cynanche relicto (3). Aeger, cujus historiam recenset *Flormann* (4), jam ab aliquo tempore difficulter respiravit, deglutiit, tandem vero suffocatus periit. Ad laryngis partem posteriorem tumor detegebatur pure repletus, nucis juglandis magnitudinem referens. Fere totam posteriorem laryngis partem is occupabat, atque ad primam cartilaginem circularem tracheae pertingebat. Interius, tumor laryngem quasi obturabat, cartilago cricoidea erat erosa, pusque ipsum hoc foramen penetrans, internam laryngis membranam in tumorem elevaverat. Nec minorem sibi medicorum attentionem meretur tumoris supra descripti, ad laryngem in *abscessum* mutati historia. Hic etenim morbus, non ut cynanche laryngea, febrem acutissimam accendit, ac etsi aeque lethalis, longiorem decursum agnovit. Dolor ille profundus, quem mulier, post tussim duorum mensium, alterum per mensem accusaverat, inflammationis non tam erysipelaceae, quam phlegmonodis, tussi, nunc asperiori, junctae, principium sistit. Sputa, quae nunc rejiciebantur, non tam purulenta, quam *puriformia*, et quidem *plurima*, fuerunt. » Tantum nempe puriformis humoris cogi in eum locum potuit, quod non modo glandulae sub ea tunica consitae; sed et ven-

(1) *Morgagni* de sed. et caus. morb. Ep. XV. n. 13.
(2) Cours d'anatomie médicale, T. IV.
(3) *Smyth*, medical Communicat. Vol I. n. XXXI.
(4) Schwedische Abhandlungen, XI. B.

triculorum caveae, in quas ea tunica se producit, tum ejuscemodi glandulae, tum inferius crus operiens glandularum arytaenoidearum eundem largirentur (1). » Sed jamjam a tumore, angustia ac dyspnoea majores exortae fuerunt, nec non ipse oesophagus vicinus in cibis inferiora versus propellendis quidquam impeditus fuit. Quo tempore febris aliorumque symptomatum insecuta est *remissio:* suppuratio tumoris jam absoluta erat; atque hoc sub statu, quindecim per dies respiratio laboriosa magis ac sonora, interdum sibilans, non rauca, ut simplici ac satis aperto in ulcere, successit. Tunc etiam aegra, magis ac antea, de laryngis angustia, pectorisque supremi oppressione, ab aëris scilicet, infra laryngis tumorem remoram patientis, columna inducta, conquesta est. Ructuum, quibus antehac mulierem hanc subjectam fuisse credimus, nunc *foetidorum*, causam, nisi ventriculo symptomatice affecto ac cibos ingestos vix subigente, foetor ille venerit, in aëre, sub transitu super abscessum ac erosas super cartilagines aritaenoideas, cum corruptis istarum exhalationibus recentius commisto, quaerendam esse putamus. Qui pulmones rodunt abscessus, ii longe non omnes foetorem sensibilem halitibus aegrorum communicant; alii vero odorem putridum, adstantibus intolerabilem, et vel ipsis aegris molestissimum, inprimis horis matutinis, et post somnos quidquam protractos exhalant. Tubercula pulmonum ulcerosa, maxime antiqua, si plurima, amplam satis istius visceris superficiem occupaverint, vel ubi, *sinuosa*, pus collectum diutius retinuerint, vel partem cartilagineam bronchiorum sibi vicinam simul in tabum infestum commutaverint; hos effectus maxime producunt. Quae vero laryngem, aut tracheam, potissime superiorem, cum ardore ad fixum illorum locum constante, occupant, ulcera: ea, utpote rimae laryngis viciniora, mephitim, quasi minus ab aëre dilutam, ac prorsus cadaverosam exspirant. Alvum in aegra, quae parum cibi potusque assumpsit, fuisse

(1) Hanc explicationem jam dedit *Morgagni* de casu virginis, cujus larynx a pure in totum obturata fuit. l. c. Ep. XV. n. 14.

onstipatam, minime mirabimur. Cordis autem palpitationes, vel sola respirationis, vel circuli sanguinis per ulmones impedimentà, ut in ipsa pneumonià frequentissime observavimus, producunt. Erecta cervice n acutis respirari certe malum; sed in laryngis ac racheae morbis, inprimis ubi vox simul acutior et onora, clangosa editur, nisi sputa copiosa, purulenta equantur, promptissimo eventu lethale est. » Pessima eorum significatio, cum glutiunt vocem quasi trangulati (1). »

LI. *Cynanche laryngea, cum bronchiorum hydrope acuto.*

Mense decembris 1787 virum juvenem ictericum, t aureo plane colore instructum, in clinicum Institutum *Ticinense* suscepimus. Febri autem hunc icterum comitata est, et rebellis hic per tres fere hebomadas restiterat, dum simul, praevio exanthemate, uod scarlatinam miliformem fuisse suspicamur, et uod jam disparuerat, de faucium dolore conqueri eger inciperet. Faucibus inspectis, videbantur eae inc inde quasi ulceribus obsessae. Deglutitio erat valde boriosa; non tamen difficulter respirabat. Post tres ies aeger clinicum Institutum motu proprio deseruit, ecdum a morbo liberatus. Post triginta horas, sub mpestate frigida et pluviosa, iterum ad nos deferur, sed cum summa difficultate respirans, cum voce auca, nec tamen sonum metallicum edente. Deglutio erat valde impedita; inquietudo, anxietas tanta, t quaestionibus propositis vix satisfaceret. Liquida ro potu assumpta, per nares redibant. Pulsus erant leniusculi; duri; facies ex flavo rubra, et a pristino abitu mutata. Venam tunc secuimus, et emplastrum esicans laryngi adposuimus. Sanguis emissus tenax nox corium nobis obtulit cum lympha profunde flaa, et linteum eidem immersum tingente. Sequente ie, quae erat *quinta* cynanches, exstinctus est aeger.

Sectio cadaveris.

Quid ratione *icteri* observaverimus, alio loco, quo

(1) *Plinius*, Hist. nat. n. X. Sect. 5.

de hoc morbo sermo nobis erit, referemus; sed in thorace, uterque pulmo, ut in strangulatis solet, infarctus erat et lividus, cum sero cruento in sinistro pectoris cavo, et amurca cruenta pulmonem hujus antri obtegente. Pleura, cum tamen de nullo unquam dolore conquestus esset aeger, vel maxime inflammata reperiebatur. Pulmone hoc e thorace exciso, simulque bronchiali ramo majore cum eo resecto, magno cum impetu, et magna in copia ex hoc ultimo effluxit liquidum serosum, turbidum, subflavum, cui pelliculae exiguae albescentes, hinc a bile non tinctae, supernatabant. Sex vero circiter unciae et ultra hujus liquidi in cavum thoracis ex discisso ramo bronchiali effluxerunt. Tracheam nunc per omnem longitudinem aperuimus, cum ipsa larynge per medium sui dissecta. Illa quidem ubique rubebat admodum; laryngis vero superficies interna, a lympha coactâ, puriformi obtecta fuit: qua demum abstersa, nulla huic subfuit exulceratio; sed rubra et tumida erant singula. Epiglottis, crassior longe, ad linguam erat retracta. Eadem puriformis materia universum faucium cavum obducebat. Uvula crassa et longior. Palatum simili modo ipsaque linguae radix affecta erant.

Epicrisis.

Est haec observatio ea, cujus breviter meminimus in *Epitomes* libro II. §. CLXXIII. p. 172 ubi, de *cynanche laryngea* disserentes, monuimus: « sub ista aliquando seri puriformis magnam copiam per tracheae ramos in pulmonem depluere, eosdem replere, — et magnam in vivente aegro dyspnoeae ac peripneumoniae symptomatum partem habere. » Manifestum est copiosam illa in bronchiis unius lobi pulmonalis effusam materiam seroso-puriformem, suffocationem aegri auxisse. Nec certe, cum tot cadavera mortuorum ex peripneumonia hominum, quorum tamen bronchia undique erant inflammata, dissecuerimus, nobis unquam tanta liquidi puriformis copia, cum tanto impetu, ex dissectis bronchiorum ramis cujuscunque diametri, obviam venit (1). Membrana nulla laryngis faciem inter-

(1) Obvenit vero paucis abhinc annis Auditori nostro D. *Loefler*,

am obducebat; sed facile fuisset illam parari, si major norbi longitudo fuisset. Membranulae illae, et quasi arunculae, sese, probabili ratione, a larynge separaveunt. Cynanches vero tunc *Ticini* nullae regnabant, et exspectato hic morbus aegrum, triginta circiter annoum virum, jam antehac ictericum, invaserat. Vix duium nobis haeret, scarlatinae sobolem fuisse hanc ynanchem, etsi aeger non nisi de papulis in cute ru-is, non prurientibus ac citius dispersis, locutus fuet. Jam celebris *Cremonae* medicus, *Martinus Ghisi*, quem, nobis amicum, insignem certe virum, jam ctogenarium, a. 1794 nobis ereptum fuisse doluimus) idemiam cynanchis laryngeae, *Cremonae* a. 1747, 1748 regnantem, describens (1), monuit; dissectis ortuorum ex hoc morbo bronchiis quamplurimum umoris turbidi et albescentis ex iisdem effluxisse. Siili ratione celeb. *Chambon*, ac *Fourcroy*, in cadaeribus hominum hoc a morbo enectorum, materiam uriformem in ultimis bronchiorum ramis, atque in esiculis pulmonum (!) detexerunt (2). Eandem obervationem *Mahonius*, in duobus infantibus, instiit (3). In casu nostro, inflammatio faucium manife-

venditore rerum ad ornatum vel cultum elegantiorem speantium, *Vindobonensi*, ex tracheae ac bronchiorum inflamatione promptissime defuncto. In utroque cavo thoracis ntinebantur aquae circiter librae octo. Ad pulmonem dexum inflammationis superficialis vestigia comparebant, qua ute lobus ejus superior cum pleura cohaerebat. Pulmo siniter videbatur sanissimus. Ex trachea dissecta, sex vel octo unae humoris rubelli, spumosi, qualem aeger ante mortem tusendo rejecerat, effluebant. Tunica tracheae interna inflammata at, non tamen vasculis depicta, sed ruborem inflammatae itus arteriae prae se ferebat. Inflammatio descripta, ex tranea, per omnes bronchiorum ramos, quotquot aperieuntur, proserpebat; et compressis utrisque pulmonibus, umor ille spumosus copiose ex illis assurgebat. Nulla aut ordis, aut vasorum majorum, aut viscerum abdominis vitia in onspectum veniebant.

(1) Lettere mediche. Cremona 1749. Longe prior hic Scritor est *Homio*, qui suum de cynanche polyposa tractatum non nte annum 1764 edidit.

(2) Mémoires de la Société R. de médecine, Vol. II. p. 66. sq.

(3) L. c. Vol. IV. p. 81.

ste cum illa laryngis et tracheae, quod rarius in cynanche laringea contingit, incessit. Cum, antequam aeger ex clinico Instituto ad suos esset reversus, de nulla dyspnoea, de magno vero deglutitionis obstaculo, conquestus est; apparet hinc, illius statum a frigore humidaque tempestate sub morbo jam tam gravi susceptis, in ipsius demum laryngis et tracheae inflammationem lethalem degenerasse; nullis tamen cynanchis ulcerosae vel gangraenosae *Fothergillii* vestigiis ad fauces, tum a morbi principio, tum a morte comparentibus. In icterico homine venam non lubenter aperuimus; pulsuum interim plenitudo aliqua cum duritie, aetas juvenilis, et constitutio antehac vegeta, nec non inflammationis ad asperam arteriam haerentis symptomata, ne hoc auxilium omitteremus, nos induxit. Pleurae inflammationem absque ullo ad hanc partem dolore hoc in aegro latuisse, hoc mirum quidem, sed minime inauditum est (Epitom. lib. II. §. CLXXXVII).

XLII. *Cynanche laryngea cum ulcere et carie.*

Conradus Krudalewicz famulus *Vilnensis*, 49 circiter annos numerans, robusta corporis compage donatus, devictis variolis et morbillis, praeter epistaxin non raram, quae jam ante duos annos cessavit, semper sanus, baccho vires sustentans, vixit. Ante quadriennium, dolore pungente pectoris cum tussicula febreque laborans, nosocomium fratrum misericordiae adivit, ubi venaesectione aliisque remediis sursum deorsumque evacuantibus post sex hebdomadas sanitatem obtinuit.

Anno 1805, mense februario, die quadam ante bacchanalia, dolor stringens laryngis, de die in diem auctus, cum voce rauca, dyspnoea, deglutitionis difficultate, tussi, et abundante muci, sub ista, rejectione, continuo aegrum, sine febre, ut refert, vexavit. Cum haec pertinacissime gargarismati domestico, ex infuso salviae et sale prunellae parato, resisterent; *die* 9a. martii mensis; idem iterum nosodochium aeger adivit, unde mox ad clinicum Institutum *Vilnense* delatus, ac publico examini submissus, sequentem morbi statum exhibuit.

Caput sensusque omnes plena libertate gaudent, facies sani hominis; ad frontem tamen impetigo herpe-

ica, late expansa, rubra, prominens, in crustas con-
ersa, hinc inde cicatrices post se relinquens, a sex
am mensibus succrevit. Fauces, in quantum videre
icuit, nullo modo affectae. Larynx sub attactu magis
lolet, nullus tamen exterius tumor conspicitur. Vox rau-
a, vel potius aphonia observatur, hinc loquela perdiffi-
ilis. Sub inspiratione et exspiratione admodum mole-
tis, aër vibrantem in larynge sonum edit. Tussis fre-
quens, a larynge cum dolore ortum ducens, sub qua
ngens muci spumosi fluidissimi copia, ad duas cum
limidia libras nycthemeri spatio ascendens, rejicitur.
Deglutitio impedita, appetitus ciborum imminutus. Nulla
circa pectus, vel abdomen incommoda notantur; alvus
aperta, cutis mollis, calor et pulsus sani hominis.

Cataplasma emolliens loco dolenti, prius cum lini-
mento volatili inuncto, imponitur.

Ad vesperas, levis febris, cum pulsu et calore aucto
observatur. Sitis accusatur, ac sudor vaporosus per
omne corpus sub nocte insequitur. Vapores ex decocto
althaeae, ope spongiae ori admotae, frequentius in-
pirari jubentur.

Die 10*a*. Febris imminuta, cutis minus humida, alvus
a biduo non soluta est. Seposito linimento volatili, cum
unguento mercuriali, ad magnitudinem nucis avella-
nae, laryngis regio quotidie semel inungi jubetur; ma-
ne vero ac vespere, calomelas grana duo, cum magne-
siae muriae viginti granis porrigenda, praescribuntur.

Ad vesperas aeger cynanchis symptomata quidquam
mminui asserit; in pulsu tamen irritatio; sputorum
vero eadem quantitas est et conditio. Melior tamen
somnus subintrat, ac alvus bis solvitur.

Die 11*a*. Dolor laryngis, tussis et copia sputorum
minores sunt. Respiratio, deglutitio absolvuntur faci-
ius; pulsus interim frequentiores sunt. Vesicans em-
plastrum ad cutis ruborem, laryngi imponitur. Frictio
mercurialis circa vesicatorii plagam instituitur. Nox
sequitur, ob summum capitis et laryngis dolorem, in-
quietissima. Respiratio magis sonora et difficilior fuit.
Tussis frequentior, anima vero foetens est. Quantitas
sputorum eadem, sed ea, quae per noctem conservantur,
materiam purulentam, copiosam manifestant. Urina,
die 12*a* rubra, et sedimento laterítio instructa est.

Die 13a. Noctem aeger insomnem transegit; dolor capitis et laryngis idem, sed respiratio difficilior est et anima magis foetet. Tussis continua, aegrum fere suffocat. Sputa copiosa, cum abundante materia purulenta; pulsus contracti, febriles. De inferioris maxillae dolore aegrotus conqueritur. Gingivae tamen non rubent. Calomelas nunc suspenditur, continuantur vapores et unctio.

Nocte non dormivit. Dolor capitis et laryngis quidquam imminutus, tussis non tam frequens fuit.

Die 14a. Muci quantitas imminuta, purulentae vero materiae in sputis copia major fuit. Respiratio, deglutitio faciliores sunt. Continuantur pulveres ex calomela, vapores et unctio; vesicans emplastrum nuchae apponitur.

Die 15a. Nocte melius dormivit; sed foetor animae intolerabilis, debilitas major est.

Corticis peruviani decoctum cum infuso calami aromatici praescribitur.

Ad vesperas, symptomata mitiora sunt, facilius aeger respirat ac deglutit. Dolor capitis et laryngis, nisi sub tussi, nullus.

Die 16a. Elapsa nocte, sputa sub somno in larynge collecta, condensata, aegrum, cum aucto laryngis et capitis dolore, evigilant, ac tantum suffocationis metum aegro incutiunt, ut per mediam fere horam spiritum ducere vix potuerit. Anxius hinc et debilis, copiose miser sudavit. Tandem applicito laryngi cataplasmate ac inspiratis iterum vaporibus, sputa cum levamine symptomatum cum tussi rejecta fuerunt. Pulsus debiles, frequentes sunt; urina rubra, sedimentum lateritium deponit.

Die 17a. Dolor capitis, maxillae inferioris, laryngis, magis urget. Gravior quoque et respirationis et deglutitionis difficultas est. Foetor aëris exspirati major; tussis tamen rarior, et sputorum copia indies imminuitur. Pulsus frequens debilisque. Pauculum aceti, decocto, ex quo vapores aeger inspirat, superadditur.

Die 18a. Singula, ut heri, continuant; facies tamen magis cachectica, oris labia livescunt. Ob dolorem ad gingivas et maxillam, calomelas, cujus grana viginti hucusque adhibita fuerant, suspenditur.

Die 19a. Omnia eodem modo procedunt. Fonticu-
as in regione laryngis, vesicatorii ope, excitatur.

Die 20a. Idem rerum status est; deglutititio facilius
bsolvitur.

Die 21a. Meliorem aeger noctem transegit, dolor
ryngis imminutus, respiratio minus molesta, sed so-
ora est. Anima foetere continuat. Tussis rarior, et
outa minore copia, cum materia purulenta, frustu-
sque membranaceis supernatantibus, rejecta esse vi-
emus. Deglutitio facilior, capitis dolor idem, ille vero
naxillae inferioris cessavit. Labia, cum facie magis
achectica, livescunt magis, corpus emaciatum, pul-
us frequens est.

Die 22a. Nihil in aegro mutatum est. Decocto cor-
cis, elixir acidum *Halleri* superadditur.

Die 23a. Nocte, dolor capitis et laryngis, cum tussi
uffocativa, auctus, somnum omnem exclusit. Sputa
urulenta cum frustulis membranaceis copiosis. Re-
piratio valde sonora; deglutitio difficilior. Pulsus mi-
us frequens magisque elevatus.

Die 24a. Praeter dicta symptomata urgentia, spu-
orum copia mucosorum hodie aucta. Alvum aeger
er, sat liquidam, deposuit. Seposito cortice, lichenis
slandici decoctum cum lacte propinatur.

Die 25a. Ob summam respirationis difficultatem, ob
ussim suffocantem, ob capitis laryngisque auctum do-
orem; aeger somnum vix coepit. Alvum liquidam bis
leposuit. Sputa iterum copiosa, in fundo purulenta.

Die 26a. Nox inquieta, cynanchis augentur sympto-
mata, tussis longa et quasi suffocans. Sputa copiosa,
ourulenta, cum sanguine non pauco rejiciuntur; pul-
us frequens et debilis: alvus liquida. Ad vesperas,
anguinis per tussim rejecti, copia major est.

Die 27a. Noctem aeger insomnem transegit, summe
lebilis. Dolor capitis et laryngis continuo crescit. Re-
spiratio sonora et difficillima, tussis longa, fere suffo-
cans. Imminuitur iterum sputorum copia. Foetor ani-
mae cadaverosus, aphonia perfecta est. Pulsuum au-
getur debilitas, alvus liquida, quater mota: aspectus
aegri tristis, facies pallida, labia livida sunt. Deco-
ctum althaeae cum syrupo diacodii, pro medicina; ac
laryngis cum eodem decocto fomentatio praescribitur.

Die 28*a*. Hora septima matutina, sub longissimo ad tussim nixu, aeger exspirat.

Sectio cadaveris.

De unica morbi sede certiores, in laryngem modo ac tracheam sub sectione cadaveris inquisivimus. His igitur apertis, ulcus magnum ad cartilaginem thyreoidaeam circa rimam glottidis, pure condensato, albido, foetidissimo repletum, comparuit. Superficies hujus cartilaginis interna, corrosa, externa vero integra, sed nigerrima fuit. Cartilago cricoidea, anterius, a carie in integrum consumpta, cartilagines arytaenoideae cum epiglottide, intactae repertae fuerunt. Pars haec morbosa, museo pathologico, tunc saltem *Vilnae* erecto, commissa fuit. (1)

Epicrisis.

Post ea, quae praecedentis observationis occasione adduximus, pauca nobis de casu praesente dicenda supersunt. Hoc interim primo hîc adnotabimus: quod interea ac morbus vix descriptus aegro nostro fatalis fuit, cynanche laryngea, quam *polyposam membranaceam* vocant, *Vilnae* inter infantes (quamplurimis, ob neglecta primis diebus auxilia, exitialis) regnaverit. Adultos inter homines hunc morbum hîc occurrisse, ad nostram saltem notitiam non venit. Ex primo quidem aegri, de quo agimus, aspectu, voce rauca, vix non deleta, et gravi frontis impetigine, ne causa syphilitica in vocis organa egisset, dubitavimus. Sed praeter id, quod nulla hujus indolis infectio apud illum praecessisset, ac fauces ipsae, quae certe in venereis ante laryngem mulctari solent, ulcerosae non essent; de praegressa, quam singula symptomata docebant, laryngis inflammatione haesitare non potuimus. Quam promptum vero aegris interitum, angustioris tubi laryngei incendium, nisi manu celerrima deletum, praeparet, edocti; mirabamur utique, hoc idem, quod paucarum dierum spatio prolem teneram consumere consuevit, per tres jam hebdomadas hoc

(1) Historiam hujus morbi diligentius conscripsit Auditor noster *Franciscus Puczkowski*, medicinae Magister *Vilnensis*.

in viro, prius ac ad nos accederet, tam lente deflagrasse; et novum sic opinioni nostrae argumentum accessit: cynanchem trachealem, laryngeam, infantibus saepe minus ob vias has, aëri, per pseudomembranas, occlusas, quam ob convulsiones, vi morbi pusionibus inductas, et ob hydropem bronchiorum acutum, quo sese tam expedite, quam adulti, liberare vix queunt, tam cito esse lethalem. Ac revera, tanta fuit nostro in aegro sputorum tenuium, aquosorum quantitas, ut illa ex bronchiis, in quae per descensum distillaverant, venisse magis, quam in angusta laryngis fistula collecta fuisse, certum sit. His ipsis vero in sputis, *pseudomembranarum*, ante vigesimam et primam martii diem, qua per quatuor jam hebdomadas morbus duraverat, nulla fuerunt vestigia; vel quod sedes incendii prima in laryngis glandulis *mucosis* haeserit; vel quod non omnem laryngis, aut tracheae inflammationem necessario hae membranae polyposae comitentur; aut, si forsitan eae adfuerint, per tussim separari, expelli queant. Cum vero tarde nimis membranarum hoc in aegro rejectio comparuerit, earum frusta magis internae tunicae laryngis partem, quam pseudomembranas noviter formatas, exhibuisse, ex interna cartilaginis thyreoideae erosione, et ex sputorum tunc insigni corruptione, foetore, concludimus.

Quod si generatim nulla nos, sub ingressu aegroti ad clinicum, in diagnosi dubia tenuerint; num tamen, post tres septimanas, quibus morbus jam duraverat, resolutioni adhuc locus foret; num vero suppuratio jam successisset, etsi, quod in votis est, id facilius speremus; de hoc tamen, ut ad venaesectionem generalem, vel saltem ad localem vasorum per hirudines depletionem veniremus, non satis certi esse potuimus. Ne vero simul mercurii usum intentatum relinqueremus, sat frequens illius in hepatitide adynamica, suppurationem adeo jamjam experta, virtus nos induxit; quamvis et hoc auxilii genus, ob morbi jam nimis provecti rationes, manu minus liberali, quam sub ejus initio fecissemus, adhibuerimus. Nec certe, dum a secunda mox die, qua aeger ad nos accesserat, post pauculam remissionem, jam anima foeteret,

ac pus verum in sputis sat copiose subsideret, omissarum nos poenituit hirudinum. Moderatum mercurii usum, quo ulceris maligni progressibus obveniremus, donec mandibulae dolor, tertia jam die, cautos nos redderet, continuavimus; iterumque ad eundem, cum hic dolor minus a remedio venisse videretur, per dies aliquot reversi sumus. Aucta interim cariei, ac devastationis ad laryngem symptomata, mercurio seposito, nos, spe certe nulla instructos, ad corticem nihilominus confugere coëgerunt. Respirationis tamen aucta indies difficultas, labiorum livor, sputorum diminutio, sanguinis e larynge profluvium, diarrhoea, et hujus usum remedii excluserunt, et victas tandem morbo manus tendere jusserunt.

XLIII. *Cynanche faucium ulcerosa, in tracheiidem conversa.*

Periit *Vindobonae* filia quadriennis viri conspicui, quae die 5 augusti mensis 1797 febricitare inceperat; die 6a, sine febre fuisse dicitur; die 7a, de tumore externo utraque in parte colli dolente conquesta est, libere tamen deglutiit; conspexit tunc medicus quasi ulcus in faucibus, quod cancerosum (*chancre*) appellavit. Die 8a, nulla periculi idea subintravit, atque puella haec neque faucibus inflammata dicebatur, nec ullo cum labore cibos potumque deglutiit. Die 9a, praeter omnem opinionem, animam efflavit misella.

Ut mortis hujus improvisae occasio per cadaveris sectionem illustrari voluisset, prae omnibus sane optandum; eoque magis necessarium fuisset, quod reliquis illustris hujus familiae prolibus simile forsitan fatum imminebat. Posthabito interim tam tristi melioris diagnosis apud alios subsidio, reliquis sibi prolibus mater anxia, mox a morte filiae, pulverem rhabarbari, fine prophylactico sumendum, exhibuit.

Die 12a, mensis ejusdem, ad sexennem puellam, defunctae prolis sororem, arcersiti, eandem heri ad noctem absque praegresso horrore incaluisse, omnemque per noctem febricitasse, experimur. Aliquem ea hodie, in colli parte sinistra, tumorem, non quidem rubrum, sed tamen sub deglutitione dolentem, nobis offert. Cum interim ut biberet aegra jussissemus, po-

tum ea per fauces transmisit, quin doloris signum vel minimum prodidisset. Fauces nihilominus a nobis perlustratae, rubent quidquam ac satis intumescunt. Pulsuum frequentia, sana quidquam major est, calor vero naturalem haud superat. Linimentum volatile tumori inungendum, aquam vero sambuci cum aceto ammoniacali pro usu interno praescribimus.

Versus noctem aegra placide se habuit, de fame conquesta, ac somno gavisa est.

Die 13*a* mane. Tumor ad jugulum auctus, tres circiter glandulas lymphaticas, circa angulum maxillae sinistrum magis tumentes, ab attactu dolentes, non tamen rubras, manifestat. Apertis faucibus ac lingua depressa, utramque tonsillam tumentem, in sinistra maculam subalbam, quasi pure obtectam, fauces levi phlogosi correptas, conspicimus. Absque dolore interim bibit, hilaris est aegra, et de fame conqueritur. Pulsus tamen hesterno frequentior est, ac debilis. Respiratio libera, nec tussis ulla se prodit. Praeter hesterna remedia, aquam sambuci cum syrupo mororum, et pauxillo acidi muriatici, quibus fauces blande ac frequentius obliniantur, praescribimus.

Versus tertiam pomeridianam augetur, absque praegresso horrore, febris. Modo genua et crura dolere asseruntur. Calor autem sensim ita augetur, ut versus noctem et magnus esset ac urens digitos, cum pulsu celere ac satis inaequali. Somnolenta nunc est aegra, respiratio non est difficilis. Etsi vero fauces magis nunc tumere, ac adeo livescere videantur, macula etiam ad tonsillam albescens oculis se offerat; de nullo tamen sub deglutitione dolore aegra conqueritur, tumorque ad jugulum minor est. Cataplasma huic anodynum imponitur; cum vero faucibus quidquam retinere easque fovere recuset aegra, syrupum mororum, cum acido sulphurico ad gratam aciditatem remistum, frequentius lambendum ei offerimus. Infusum quoque radicis serpentariae virginianae; cum corticis peruviani extracto, et syrupo corticis ejusdem, praescribitur. Plantis pedum sinapismi admoventur.

Die 14*a*. Soporosa jacuit aegra per noctem, et sudavit. Calor hodie longe minor, pulsus minus febri-

les sunt. Fauces ac utraque amygdala tument, profunde rubent, ac sinistram ad tonsillam quasi ulcus albescens haerere observatur. Tumor externus in sinistra parte maxillae minor; sed similis hodie tumor ad angulum dextrum maxillae, infra aurem, ad glandulas lymphaticas succrevit, quin tamen ullus rubor externus compareat. A compressione tumorum dolor excitatur. Quater aegra hoc mane, quoties medicinam assumpsit, ex nausea, ut videtur, vomitum est passa. Alvum deposuit; ac satis placide tempus ludendo terit.

Continuatur syrupus cum acido sulphurico. Praescribitur decoctum chinae cum aquae cinnamomi vinosae et syrupi corticis peruviani portione. Sic et clyster ex eodem cortice paratus, cui camphorae grana decem miscebantur, bis in die injiciendus, insimul vero duo sinapismi replicandi suadentur.

Ad noctem, pauca exacerbatio. Nec deliria hucusque, nec tendinum subsultus, nec ad cutem exanthema comparuerunt.

Die 15*a*. Quietam omnino noctem transegit aegra, alvumque ter deposuit pultaceam. Ludentem illam ac hilarem reperimus. Pulsus minus frequentes satisque elevati sunt. Calor sano-similis. Faucium tumor minor, utraque tamen in tonsilla macula haeret ex albo flavidiuscula, suppurationem mentiens. Fames hesterna minor.

Die 16*a*. Dormivit hac nocte, non vero sudavit; tussitat subinde. Pulsus a naturali parum abludit. Respiratio, deglutitio sunt liberae. Fauces minus tument. Tonsillarum maculae in conspectum non veniunt. Tumor externus adhuc aliquis, ab attactu parum dolens. Sub die tussiit hinc inde aegra, et sub tussi, de dolore, non ad fauces, sed ad sternum conqueritur. Ad noctem aliquod febris augmentum observatur.

Die 17*a*. Febris remittit. Tussis rara, sed cum pectoris dolore incedit; respiratione tamen libera. Fauces minus turgidae, minusque rubrae, maculae ad tonsillas nullae. Continuantur praescripta.

Notari meretur, hac ipsa die et eoquam hujus familiae a cynanche, cum typho incedente, fuisse correptam.

Ad noctem, minor in aegra nostra., quam heri, exacerbatio.

Die 18*a*. Febris pauca, tussis aliqua cum dolore thoracis. Ludit et hilaris est puella.

Die 19*a*. Tota nocte dormivit aegra; hodie mane, praeter tussim, dolorem ad pectus et aliquem a pressione ad angulos maxillae, de nihilo conqueritur.

Die 20*a*. Eodem tramite res continuat. Lectulum aegra per horas aliquot deserit.

Die 21*a*. Eadem, ad horas matutinas, rerum est positio. Ad vesperas autem febrem reperimus violentam, tussim stridulam, sub qua in ipsa trachea et faucibus aegra dolorem caloremque accusat. Potum tepidum, vesicans ad nucham, interne vero radicis Polygalae Senegae decoctum, cum paucis granis camphorae solutae, consulimus.

Die 22. Nox inquieta, tussis frequens fuit. Sudor nunc aliquis. Tussis frequens cum strepitu ad fauces, et stridula. Sputa interim rejiciuntur sat multa, subrubra, respiratione non laesa. Pulsus sunt exigui. Laeti interim animi est parvula, lusibus suis intenta, ciboque appetens.

Ad vesperas, pulsus sunt exiles, filiformes, moderate tamen frequentes. Facies pallescit. Alvum aegra, primum pultaceam, postea liquidam excrevit.

Nox sequitur valde inquieta: tussis fere continua, cum dolore ad asperam arteriam, cum suffocationis sensu, et cum vomitu bis repetito. Calor corporis major.

Die 23*a*. Febris calorque moderate satis incedunt; sed tam atrox, nobis praesentibus, tussis est, ut anima in faucibus haerere videretur. Sputa pauca sunt. Linimentum volatile cum camphora tracheae illiniri, ac vesicans nuchae adponi jubemus. Serpentariae radicis infusum et clysteres ex camphora repetimus.

Ad vesperas minor est febris exacerbatio.

Die 24*a*. Mitius incedunt symptomata: febris minor, respiratio libera. Vox interim penitus suppressa est; tussis adhuc frequens, ac dolor sub ea circa tracheam accusatur.

Diebus 25*a* et 26*a*. Nulla in pejus mutatio, febris pauca, calor fere naturalis fuit. Raucitas cum tussi continuat.

Diebus 27*a* et 28*a*. Febris fere nulla, vox clarior; redit somnus, ciborum viget desiderium. Ultima hac die fili sanguinis aliquot cum muco per tussim rejiciuntur. Mox ab hinc trachcae dolor major accusatur, brevi tamen tempore sopiendus.

Sic sensim sensimque, non sine phthiseos timore, morbus disparuit. Redibat enim hinc inde thoracis dolor; tussis aderat cum sputis admodum copiosis, mucosis, flavescentibus; vox necdum sonora fuit; sudores hinc inde nocturni fluebant; pulsus semper quidquam, inprimis circa vesperas, frequentiores erant, facie interea pallida atque tumidula. Corticis peruviani et lichenis islandici decoctum cum lacte praescribimus. Sub finem septembris, morbo jam in melius vergente, levis quidem, sed pruriens admodum *urticaria* in cutis superficie comparuit, et sanitas pristina restituta fuit.

Epicrisis.

Nisi funus sororis, eodem malo correptae, praeter medici parentumque opinionem praecessisset: tanti quidem ponderis puellae nostrae morbus, cujus hîc descriptionem extensam traderemus, non esset. Habuit tamen et iste, quae medicorum attentionem sibi adsciscant, non communia phaenomena. Sororem aegrae, quinta morbi die alterius medici sub cura defunctam, ex *cynanche ulcerosa*, vel *gangraenosa*, quam in *Epitomes* L. III. §. CCXCVI. descripsimus, periisse, dubium nobis superesse non potuit. Cum vero *scarlatina* nec defunctam infantem, nec aegram nostram tenuerit: patet, nos in eo quondam, quod dictam cynanchen malignam *soli scarlatinae* adscripserimus, l. c. §§. CLXXV. CCXCVI, etsi haec quidem causa inter omnes communissima sit, a vero aberrasse. Atque sors iniqua defunctae jam sororis, quam insidioso cum hoste nobis luctandum foret, vel sola nos jam satis advertit; nec aegrae, dum febris vel quidquam remitteret, hilaritas, nec prona ejus in lusus infantiles dispositio, istius scilicet apud parvulos, vel gravissimis ac lethalibus adeo aliquando in morbis bene memores, ad arma, cum fiducia majore quam par est, deponenda nos induxit. Ac primo quidem,

morbus sub cynanchis, quam *externam* seu *parotideam* vocavimus (Epitomes L. II. §. CLXXIV.) larva comparuit: sed macula albescens, ulcerosa, quae, praeter tumores parotidum, cynanchi etiam malignae interdum communes (Epit. l. III. §. CCXCVI. vol. 2. p. 45), modo tertia morbi die in defunctae sororis faucibus comparuerat: ea, nostra in aegra, secundo jam nycthemero tonsillam infecit, et facilem morbi, sub dolorosa symptomatum blandiorum imagine, prout solent malignae incedentis, lethalitatem praedixit. Nec tamen, secundo, dum insidae morbum indolis tractandum suscepimus, eundem semper et ubique eadem cum ferocia incedere, *Swietenii* observatione suffulti, credidimus: qui scilicet speciem cynanchis *ulcerosae* descripsit, quae licet acriter satis partes dolerent, sat facilem nihilominus sanationem admisit (1). Ac revera, in morbo hîc descripto, nec deliria, nec tendinum subsultus, nec petechiae, aut alia altioris indaginis symptomata, medentis animum, sola tantum mortis, in altera puella absque signis terrificis insecutae idea commotum, feriebant. Ne tamen unquam cum tanto proditore se quis tutum satis esse credat, aegra nostra exemplo erit: ut quae, cum *decima* morbi die convalescere est visa, ad noctem ejusdem, secundam in febrem, aperte nunc furientem, et *tracheitidis* symptomatibus junctam, relapsa est. Cum ratione hinc alibi jam diximus: » non solam *faucium cynanchen*, sed et *trachealem* non raro cum gangraenosa exulceratione incedere « (*Epitomes* l. II. § CLXV.). Talem nimirum cynanchen epidemicam fuisse censendum est, quam *Cortesius* in Sicilia, et *Severinus* Neapoli viderunt (2); ac licet nostra in aegra eousque res non venerit; dolor tamen acutus et ardens in aspera arteria, cum febre violenta, tussi frequente, stridula, cum sputis, altera die, copiosis, subrubris, et cum suffocationis non tam a pulmonibus, quam a trachea oriundae, sensu, morbi sedem tunc mutatam, ac phlogosin malignam a faucibus

(1) Commentar. T. II. §. 811. p. 683.

(2) *M. A. Severini*, tractatus de pestilente et praefocante pueros abscessu; Neapoli 1620.

hanc aëream ad fistulam principalem, aut gangraenae, aut strangulationis sub discrimine, conversam fuisse, testatur. *Urticariae* levioris exanthema, quod sub fine mensis septembris et morbo principali jam superato accessit, nullam cum isto connexionem habuisse, et ex facili hac in aetate refrigerio venisse videtur.

XLIV. *Scirrhus glandulae thyreoideae lethalis.*

Andraeanna Savini, loci S. *Giorgio-Lumellina*, annorum 58, gracilis quidem corpore, sed sana semper fuit. Circa dimidium septembris a. 1790, sentit haec mulier colli partem anteriorem sibi intumescere, ita ut paucos post dies tumor sat notabilis hanc partem occuparet, et femina de hoc novo sui gutturis, strumoso, ut putabat, ornamento rideret. Vix autem emensum erat trium mensium intervallum, cum examini commissus, tumor apparuit *scirrhosus* glandulae thyreoideae, sinistrorsum ovi gallinacci volumen offerens, complanatus in medio, iterumque dextrorsum, licet minus, assurgens. Durus nempe hic tumor erat, indolens, inaequalis, atque tracheae non minus, quam laryngi firmiter omnino adhaerebat. Dextra inprimis portio compressa, tussim excitabat, qua femina vexabatur nonnunquam. Cataplasma nunc ex foliis cicutae virosae et malva tepidum admovetur, sed nullum ex eo levamen aegra retulit. Post aliquot hebdomadas, ob suffocationis instantis metum, paucae sanguinis unciae detrahuntur, unde fuit insigniter sublevata. Tumor hic jam summopere increverat, cum die 10 januarii 1791 admodum anxia redditur mulier. Decubitus supinus impossibilis, aegram, ut in lecto, capite retroflexo, sederet, coëgit. Respiratio, tum inspirando, tum exspirando, sibilosa est. Sudores nunc frigidi viscidique, nunc calidi fluunt. Pulsus lenti sunt, ac debiles. Post sex horas, aegra sibi quasi iterum restituitur, atque erecta, diem mensis undecimum transigit. Vespere a simili orthopnoea invaditur, quae ad mediam noctem denuo lenitur, oborta aliqua cephalalgia cum tussi ac sputis sanguinolentis. Per tres tunc dies quieta mansit mulier, verum die decima quinta, novo ea corripitur insultu.

Ab hac die usque ad vigesimam, variae quietis et anxietatis vicissitudines locum habent, sputo tamen non amplius cruento. Diebus 21a et 22a, lipothymiae sese manifestant, et sudores frigidi cum suffocationis metu. Die 23a liberior est respiratio; ast sequente die, ad meridiem, simili aegra correpta insultu, post paucas horas ea, quasi strangulata, obivit.

Sectio cadaveris.

Integumenti cervicis, musculisque sterno-mastoideis, sterno-thyreoideis et sterno-hyoideis, qui molem sibi subjectam strictius compresserant, incisis, tumor sese elevavit scirrhosus, laryngi, tracheae, ipsique, cum multis propaginibus membranosis, oesophago, circumcirca strictissime adhaerens. Vasa hujus diametrum sibi ordinariam quadruplo superabant. In ipso tracheae tubo, immediate infra primos illius annulos ac sinistrorsum, tumor durus in conspectum venit, magnitudinem fabae mediocris referens; per quem tracheae diameter summopere arctabatur. Caeterae partes corporis morbosi nihil offerebant.

Epicrisis

Has partes vitiosas, insimul cum morbi lethalis historia, nobis, pro museo pathologico *Ticinensi*, in quo eaedem expositae fuerunt, transmisit egregius auditor quondam noster, *Domenicus Majocchi*, M. D. Omnis quidem *struma* successu temporis, aut ab externis injuriis, scirrhosam induere indolem potest; sed *schirri* ad glandulam thyreoideam aliquando nascuntur, qui de struma ne hilum quidem participent. Talis ille, de quo hic agitur, scirrhus fuit, in eo tamen sua in genesi, a plerisque scirrhis diversus, quod quatuor mensium spatio, ad dictam magnitudinem ac duritiem increverit, ac mortem tam cito, sine alio, quam compressionis externae, obturationis vero internae, ad tracheam, symptomate, induxerit. Scirrhorum exigua saepe ac tarda sunt principia, illorum vero incrementum in partibus inprimis laxis, praecipue ad ubera, accedente animi apud aegras depressione ac diuturna moestitia celerrimum esse consuevit. Nulla tamen hujus causae apud aegram nostram fit

mentio. Quodsi vero *internus*, qui ad tracheam haerebat, tumor non simul subfuisset; tardiorem certe hoc malum progressum habuisset, ut quod majoris longe voluminis scirrhus thyreoideam ad glandulam per annos saepe tam lugubres effectus non agnoscat. Asperam arteriam *Soemmerringius* a struma praegrandi penitus compressam, et circellos illius cartilaginosos vix non fractos, seu inflexos reperiit (1); quo in casu, haud prorsus raro, major sane ab externis tracheae angustatio, quam in relato mulieris exemplo, fuit. Cum etiam, sub ampliore ejusmodi tumore, oesophagus plerumque simul compressus sit; mirabimur sane, quod, etsi tumor ille cum isto concreverit, ac sinistrorsum magis luxuriaverit; nulla tamen in deglutiendis esculentis difficultas hîc occurrerit. Nec minus mirabimur vasorum diametrum, quae sub lentis partium intumescentiis, plerumque simul augetur, paucorum etiam intervallo mensium non minus quadruplo fuisse adauctam. Ex hac vasorum dilatatione, ad interna forsitan non minus extensa, sub tantis respirationis nixibus, sanguis utique vas unum alterumve deserere, ac in cavum tracheae deflectere potuit; nec aliter, dum a majore strumarum extensione, venae jugulares compressae, quo minus cruorem a capite revehant, arceantur, sanguis ad cerebrum collectus, effusus, morbum apoplecticum inducit. Caeterum, frequenter in glandulis bronchialibus, trachealibus, obstructiones, et conspicuae magnitudinis tumores nascuntur, quos venae varicosae superscandunt, ed abinde compressae, sanguinem, aut, iniquo minus eventu, in bronchia, tracheam, aut cum phthiseos periculo, in ipsam pulmonum substantiam eructant. Saepe nimis hi tumores glandulosi inflammantur, tussim siccam, febrem lentam, maciem, ac tabis pulmonalis ulcerosae lethalia symptomata inducunt (2). Internam tracheae, per duos pollices et ultra coarctatae, substantiam, sana crassiorem, a

(1) Baillie Anatomie des krankhaften Baues, S. 49.

(2) *Portal* mém. de l'Acad. R. des Sciences. Paris 1780. et Cours d'Anatomie médicale.

parvis nodulis occupatam, *Bailleus* (1), — similesque nodulos per tracheam dispersos, *Lieutaudius* (2) recensuerunt.

XLV. *Febris continua nervosa, pluricodes veterum.*

Victorius Gandini, vir quadragenarius male nutritus, nimiisque laboribus assidue obrutus, plures jam peripneumonias, in clinico Instituto *Ticinensi* feliciter pertractatas, passus, vix ineunte martio 1794, sensum levis horroris percepit, vagis intermisti caloribus. Accedit tussis, coryza, et ponderis, maxime ad sinus frontales, sensatio. Posthinc vero lassitudine corripitur spontanea, tristitia, morositate animi, et artuum gravitate praecipue. Subsequuntur oscitatio continua, suspiria hinc inde, somnolentia, stupiditas, ut quid sibi velit, vel optet, aeger ignoret; vix ullum ciborum superest desiderium. Nec tamen ideo lectulum petit miser, sed cum morbo luctatur per vias, donec *die* 8*a* mensis ejusdem, horror in verum *frigus* commutetur, nec tunc temporis, nec unquam ab ullo calore excipiendum. *Altera* die, nulla prorsus conceditur remissio; continuo crescit virium jactura. Aurium quoque superadditur susurrus; lumborum dolores; respiratio difficilis accedunt; alvus pluries per diem, fluida, et inscio aegro, laxatur. Tandem hic, morbo magis magisque ingravescente, *die* 11*a* mensis, ad idem, quod vitam jam plures servaverat, Institutum clinicum defertur. En, quot hic nobis portendat pericula!

Debilitas universalis, extrema, conspicitur. Facies morbi gravitatem denunciat, ad latera nasi pallescens, subflava; aurium susurrus, oculi moesti, lenis hinc inde obducti; somnolentia, notantur. Labia quidquam livescunt; respiratio difficilis, nullus tamen ad thoracem dolor, tussis nulla est. Lingua humida, albescens, exigua oris amarities, alvus duodecies, aegro inscio, soluta, fluida, viridescens, cum tenesmo ventrisque aliquot torminibus sociata, calor cutis sano certe minor, nec tamen interna valdopere urens, observantur;

(1) Anatomie des krankhaften Baues, S. 48.
(2) Hist. anat. med. Lib. I. Obs. 8. Lib. II. Sect. I. Obs. 7.

perpetuae interim ab aegro, a morbi principio hanc usque in diem, de frigore querelae moventur. Pulsus ad carpum dextrum, nulli, ad sinistrum vero filiformes, exilissimi tanguntur.

Praescribuntur sequentia:

Vini Malacensis unciae novem, capiat tertiam partem omni bihorio.

R. Camphorae mucilagine gummi arab. solutae drachm. j.
Decoct. Cort. peruv. unc. jx.
Extracti Cort. ejusd. unc. semis.
Laud. liquid. Syd. guttas xx.
Syrup. Cort. peruv. unc. j.

Capiat alternatim cum vino vasculum dimidium.

Extremitates involvuntur pannis laneis; infuso herbarum aromaticarum vinoso imbutis.

Vespere, stupiditas, somnolentia continuant; subdelirat aeger interdum; frigus eum divexat continuum. Medicinam cum vomitu rejicit; diarrhoea pergit. Sibi ipsi quidem aeger, se melius habere persuadet; virium interim jactura de hora in horam augetur; animam ore hiante ducit; subsiliunt tendines hinc inde; pulsus pariter nullo modo persentiri queunt.

Ponuntur vesicantia; vinum Malacense, fomentationes aromaticae continuantur; aether sulphuricus cum aqua cinnamomi, laudano liquido saepius porrigitur.

Nocte interim sequente, fluxu alvi adaucto, medicina per vomitum rejecta, deliria crescunt, ac finis vitae miserae imponitur (1).

Epicrisis.

Acutissimus hic morbus, *continuis* quidem febribus, quas *nervosas* appellavimus (*Epit.* L. I. §. LXXXVII.), adnumerandus, cum ea tamen *intermittentium perniciosarum*, quas *algidas* dicimus, aut quas Veteres *phricodes* vocabant, symptomatum ratione, affinis est. In *algida* nempe febre, » omnis affectio in *rigore* consistit: ita ut nec pulsus elevetur, nec calor inva-

(1) Adstitit aegro, ac historiam conscripsit *Angelus Balador.*

dat, atque ubi post aliquot etiam horas aeger adhuc-dum in paroxysmi principio haerere videtur; ubi sitis summa, anxietas, suspiria, et facies cadaverosa advertuntur. « Sic etiam in Veterum *phricode*; « vel primo paroxysmo aeger mortem subibat; vel post sat longum tempus paululum iterum incalescebat, pulsus parum elevabatur, quin tamen multo frequentior evaderet, quam in sanitate esse consueverat. Oppressus adhuc aliquomodo, et calor moderatus videbatur, lingua quidquam aspera erat, urina copiosa, tenuis, aquosa, vel parca et obscura. Credebatur aeger jam in apyrexia constitutus; moriebatur tamen, ubi symptomata fuerant vehementia, jam saepe sub secundo paroxysmo. « Sic anno 1770 ad civem *Rastadiensem* accersiti fuimus, qui, aetate quinquaginta circiter annorum, corpore firmus ac satis crassus, vel optima semper valetudine gavisus erat. Hunc, praeter causas sibi cognitas, de nocte frigus summum invadit, quod nec fotus calidi, nec juscula fervida per horas moderari queunt. Hora decima matutina, aegrum conspicimus, marmoreo prorsus frigore prehensum, summe anxium, inquietum. Oculi fuerunt moesti, facies mutata et sibi dissimilis, pulsus filiformes, vix tactu percipiendi, lingua interim madida, pura, amaror oris nullus, nullus aut vomitus aut vomendi conatus, abdomen molle ac indolens. Vitalis potissimum indicationis rationem habentes, volatilia, liquorem cornu cervi, tincturam castorei cum infusis diapnoicis, frictiones cum pannis laneis calefactis, fomenta aromatica praescribimus. Seniorum consilium medicorum expetimus. Conspirant istorum cum nostris conamina; ast aeger, quin ullus unquam calor accessisset, eo ipso sub frigore, quatuor circiter post horas, ac primo igitur nycthemero, exstinctus fuit.

Morbus vero, cujus occasione haec referimus; catarrhalia primum symptomata, coryzam, tussim, horrores caloribus intermistos, artuum lassitudinem, per sex circiter dies, antequam frigus illud magnum, per quatuor dies et ad mortem usque, sine quavis intermissione, extensum, accederet, offerebat; nec alvi illud profluvium aquosum, tenue ac viridescens, alienam a catarrho intestinorum indolem agnovisse

videbatur. Atque haec nobis *febris catarrhalis malignae* ideam revocant, cujus imaginem varii, sub aevi elapsi principio, Scriptores, diversis interim coloribus, depingunt. Quod si suspicio multorum de latente hîc contagio, cadaveris sectionem admisisset; colluviei forsitan seroso lymphaticae (ut ex prima ponderis ad sinus frontales sensatione, ex tardioribus sphincteris ani resolutione, somnolentia, stupore, delirio, vomitu, conjicimus) super ipso cerebro, cerebello, collectio, tam lethalium symptomatum nobis rationem reddidisset.

XLVI. *Vesica urinalis lacertosa.*

Presbyter septuagenarius *Genuensis*, gulae vitiis perdeditus, succiplenus, alvi constipationibus frequenter subjectus, anno 1788 de ventriculi incommodis conquestus, singultu inprimis hinc inde, quin id eundem vel auram liberiorem petere, vel sua munia per urbem obire impediret, vexatur. Praeter ista, tumor circumscriptus cum tensione regionem hypogastricam, sub anni 1786 principio occupavit. A febre aeger, etsi venam illi secuerint, alvumque pluries purgaverint, quadraginta per dies extensa corripitur. Post istam, pristina redeunt circa ventriculum symptomata, et in usu evacuantium persistitur. Mense octobris ejusdem anni, febris nova, tertianae quasi typum observans, accedit. Explorato abdomine, praeter dictum in hypogastrio tumorem, duobus digitis supra umbilicum hernia ventralis detegitur. Pulsus non febriles quidem, sed debiles sunt. Singultus interdum augetur. Urinam aeger frequentius deponit; sub ejusdem vero excretione, ardor ac difficultas se produnt. Lotium sat multum bonique coloris est. Cum interim vesica ipsa tumoris in hypogastrio causa esse videretur; catheter huic nihilominus immissus, et hujus ope sex circiter urinae turbidissimae ac foetentis librae extractae fuerunt. Hoc praestito, aeger sese sublevatum esse refert. Enema nunc praescriptum fuit, quod cum post horas aliquot per alvum evacuaret, convulsus aeger animam simul reddidit.

Sectio cadaveris.

Aperto cadavere, ventriculus cum duodeno intestino

inflammatus comparuit. Tam in illo, quam ad istud, tunica villosa deficere videbatur. Hernia ventralis ab omento ac intestino jejuno, cujus ultimi portio simul inflammata est, formabatur. Cum vero in cadavere, ante sectionem, duae herniae inguinales, de quibus mentionem aeger nunquam injecerat, in conspectum venissent; pars quoque ilei intestini inflammationis vestigia exhibuit. Ast vero maxima degeneratio in *vesica* reperta fuit. Duritiem nempe haec magnam subiverat; glandula vero prostata fuit praetumida. Externa vesicae facies valde inflammata, interna vero, tunicis sic dictis tum villosa, tum nervosa destituta videbantur. Tunica hujus visceris musculosa, crassitie multum aucta fuit; ad partem internam fibrarum muscularium fasciculi valde distincti, sed suam ob albedinem, quasi tendinosi comparebant. Diversae fibrarum harum intersectiones, secundum varias earundem directiones ab anatomicis descriptas, aperte hîc intuentium in oculos cadebant, et loca intermedia seu lemnisci (maglia, *Masche*), qui in statu valetudinis a textu celluloso occupantur atque replentur, erant vacui. Interna vero superficies vesicae, internae ventriculorum cordis superficiei perfecte fuit similis, ac talis, qualis jam a *Valsalva* descripta fuit (1).

Epicrisis.

Historiam hujus morbi ac sectionis pathologicae, amicus *Burserii* et noster, cujus memoriam pie semper venerabimur, *Josephus Pratolongo*, Anatomiae tunc publicus professor, et expertissimus *Genuensium* medicus, die 5 decembris 1789 nobiscum communicavit. » Singulare non minus ac verissimum, est, scribebat, quod non obstante tanta partium degeneratione, quae omnino paucorum dierum opus esse haud potuit, aeger nihilominus, et plateis publicis interesse, ac cibis, more sibi solito, quamplurimum indulgere continuans, lectulo tamen, nisi ab ultima febre, septimo jam die funesta, affixus non fuerit. « — Sed plura, quae adnotari merentur, hîc nobis se offerunt. Nec enim febris ultima, typum quasi tertianae obser-

(1) Apud *Morgagni*, de Sed. et caus. morbor. Ep. XL. n. 4. Ep. XL. n. 33.

vans, tam vehemens fuit, quin pulsus, etsi debiles, frequentiam febrilem proderent; nec, si ad inflammationem tum ventriculi, tum intestinorum duodeni ac jejuni praesentem respicias, ullum istius signum, ut vomitus, dolor, pulsus contracti, duri, frequentes, praegressum est. Ad singultum quod pertinet, illum diu ac ab anno jam fere continuum, intestinorum huic incendio utique vix attribuas; vel, si attribuere contenderis, fac ut originis diversae symptoma aliquod, dum aeger hunc solum accusaret, nobis manifestas! Nec in alvi obstructione quid est, quod huic presbytero voraci a multis retro annis proprium non fuerit. Dein, a *tribus* illis *herniis*, uni homini, quod rarum est, molestis, tum singultus ille, tum alvus tardior, explicari non minus possent. Cum autem tam ventriculus, quam intestina, saepius a morte (maxime dum sanguinis ex illis, sacco hernioso susceptis, reditus difficilior quidquam, vasorum repletioni diu ansam porrexerit) hic illhcve *rubeant*, quin, ante obitum, vera inflammatio hic locum habuerit; — praecipue cum de livore et aucta crassitie horum viscerum, mentio, quae mortem ex *gangraena* illorum descendisse docebit, non facta sit; dubitari adeo licebit, num hocce incendium tam tacitum, num alia longe causa, vitae finem imposuerit? Concedamus vero, — eorum non immemores, quae de *gastritide* (§. CCXXX.), ac de *enteritide* (§§. CCXXXVIII. CCXXXIX. CCXLI.), inculcavimus, quos morbos nempe hinc inde absque ullo, nobis noto, symptomate, lethales fieri, observationes, quas in praelectionibus adduximus, docuerunt, — mortem nostro in presbytero ex dictarum partium incendio eo magis venisse, quod jam simplex inflammatio, absque gangraenae tardioris imperio, vita hominem spoliare queat; non minus igitur mirabimur, tumorem in hypogastrica regione, sine alio vesicae laesae symptomate, quam singultu, jam antehac consueto, tam diu comparuisse, ut si febrem primam, per 40 dies extensam, excipias, nec dolor ad vesicam, nec lotii suppressio successerint; sed in ultima tantum, unius hebdomadis, febre, mictus frequentior, ardor aliquis ac difficultas sese prodiderint. Quamvis autem, cum his, urina sat multa bonaeque indolis

uceesserit, laudamus tamen magnam experti ac senis iedici perspicaciam, ut qui, praesente hypogastrii ıcognitae naturae tumore, in consilium accersitus, ec ab urinae quantitate, nec ab ejus debito colore, e, quin catheterem vesicae applicari jusserit, seduci nivit, atque sex libras *urinae turbidissimae* ac *foentis* eduxit. Saepe scilicet cum ejusmodi tumoribus ypogastrii, quamvis urinae sat multae secedant, eaum tamen *retentio* simul adest, ac dum, quod ex sdem clarum abscedit, liquidum effluxit, ad partem esicae posteriorem ac inferiorem, quae saccum recto testino incumbentem, saepe sat magnum, et alvi ccretioni contrarium, constituit, *faex lotii* turbidissima foetida stagnat. Sola per intestinum rectum investiatio molliores hos vesicae tumores distinguit. Si tamen nte catheteris introductionem aeger vel paulipser deubulet, vel hinc inde per lectum revolvatur, vel prius, pite ac thorace profundius quidquam positis, in gea et cubitus aliquamdiu procumbat, faex dicta, cum ina clariore intime commista, simul cum ista, turbior secedet. Caeterum, non tam rarum est, fibras esicae musculosas, per calculos, aut per morbos alios udum vexatas, mirum quantum mole augeri; ac ut ures in *sexti* voluminis *Epitomes* parte prima, IDCCLXIX. ac hoc ipso in opere conservatae observaones testantur, in trabeculas elevari, et in vesicae caum, sic imminutum, prominere non modo, sed colorem bescentem, tendinum illi similem, induere. Fateamur terim, mortem aegri jam ultra septuaginta annos nati, r morbos non parum fracti, ac nullo certe modo u conservandi, *repentinam*, *inanitioni* potius promptio-, tum ex sex libris urinae per vesicam, tum ex eneate cum faecibus per anum rejectis, inductae adribendam esse, nobis saltem videri. Cum vero *tucam villosam* hac in vesica *defuisse* referatur; etsi ajus tunicae variis a corporis partibus per morbos, ut er cynanchen ex trachea, per dysenteriam ex intenis, secessus, tum a veteribus frequenter accusetur, m a *Littrio*, et ipso ab immortali *Morgagnio* defentur (1); fatemur iterum, nos, nisi vera superficiei

(1) De sed. et caus. morb. Ep. XLI. n. 16.

visceralis suppuratio praecesserit, plerisque his in casibus non tam *villosam*, quam *pseudo-membranam*, seu concretionem polyposam in secedentibus his, a parte prius inflammata, pelliculis, cum *Portalio* (1) videre. Posse interim inter fibras musculares, mole auctas magisque torosas, ac in fasciculos insolitos sibi adpressas, telam cellulosam, per quam nervorum vasorumque ramuli decurrunt, compressam, vix non disparere, aut colòre rubro, vel stramineo, ut pro musculari, aut tendinosa substantia habeatur, tingi, hoc quidem in dubium vel minime revocabimus.

XLVII. *Retentio urinae ureterica.*

Vir nonagenarius, a multis retro annis calculis renalibus subjectus, viribus collapsis ac pene consumptus, nosodochium *Ticinense* adivit die 7*a* mensis septembris 1793. Continuos ille circa lumbos dolores usu lactis ac emulsionum moderare solebat; cum tandem sub nixu ad alvum deponendam diuturno ac vano *delabentis* sibi *ex rene* sinistro *ponderis*, deinceps vero *acsi quidquam sibi hunc ad locum rumperetur*, sensationem habuit. Ab eo tempore, pene ac testiculo retractis, urinas non aliter, quam cruribus ad ventrem reductis, cum insigni ad mingendum conatu, et cum extremo dolore guttatim exprimere potuit. Dolor, a renis sinistri regione incipiens, antrorsum versus insertionem ureteris furiebat, a motu, concussione, inflexione corporis, atrocior. Post septem dies tam misere transactos, tumor circumscriptus attactum prae dolore recusans, natus est. Hic tumor, postquam decem per dies continuasset, sub aegri adventu fluctuabat; et a lienis regione umbilicum versus, octo pollices longus, sex vero pollices latus, tendebat. Praeterea cruris sinistri stupor, paresis, vomituritio, moestitia, fletus fere continui, ciborum interim non deleto desiderio, adfuerunt. A biduo, cum nixu licet summo et continuo, urina tamen nulla secesserat. Pulsus erant frequentes, exigui, contracti. Nullus circa vesicae regionem tumor erat, nec urinam catheter illi cum labore immissus, detegebat. Ad locum dolentem,

(1) Mém. de l'Acad. R. des Sciences de Paris 1780.

m oleo prius inunctum fomentatio emolliens institu-, et hordei decoctum ordinatum fuit.

Altera *die* 8*a* septembris, quae erat morbi decima na, dolor, inquietudo, continuant. Aeger hinc semi-pio commissus, post istud vero fomentatio, emul-ne pro potu praescripta, continuata; cum vero ad speras dolor ad locum tumoris, inquietudo, jacta-aegri urgerent, cataplasma emolliens impositum, opii solutio aquosa porrecta fuit.

Die 9*a* septembris, dolor imminutus, facies colla-a, hyppocratica, summa per omne corpus, quod at-tum fugiebat, sensibilitas, alvus inscie deposita, sin-ltus, extremus virium languor, tremor manuum, tremitatum frigus adsunt. Post meridiem, praevio lore ad locum tumoris, ad quem aeger manus con-uo ferebat, novo, mox sensus fatiscebant, ac sub i jactatione, singultu, sensu frigoris, mors optata in-cuta est.

Sectio cadaveris

Reserato abdomine, in parte sinistra, versus ure-is initium, tumor, nullibi adhaerens, leviter ad su-rficiem inflammatus, ex ipsius pelvis renalis sinistrae atatione inductus, comparuit. Cum vero simul ren nister, colore magis rubro instructus, et calculum sua substantia, quasi nucleum, recondens, molem adruplo naturali majorem agnosceret; tumor pelvis teriora versus ab eodem propulsus fuit. Hic tumor, rva sectione apertus, tres circiter urinae turbidae aeris saporis libras effudit. In fundo hujus sacci pleti, duo calculi non magni, sed duri latebant. r omnem ureteris sinistri longitudinem plures cal-li friabiles, inter quos hic canalis arctius se con-axerat, haerebant. Ren dexter, si pelvim ejus, ad atuor digitorum latitudinem extensam, rubentem, ac ina repletam, excipias, a statu sano non abfuit; eter vero ab eo descendens, a sex calculis, non agnis, oppletus fuit. Vesica, in qua lotii nec quidquam pertum est, admodum contracta, parietibus crassio-bus, hinc inde prominentibus, instructa, calculis, versae magnitudinis, partim friabilibus, partim ve-duris, repleta fuit.

Epicrisis.

Praeter communia calculis renalibus eorumque in ureteres descensui (clariora quam multis in aliis) phaenomena, historia haec, ab auditore nostro *Alexandro Buzzi*, *Ticinensi*, in civitatis hujus nosodochio conscripta, speciem tumoris circumscripti, attactum recusantis, fluctuantis, a lienis regione umbilicum versus protensi, offert, cujus indoles non facile nisi anatomicae disquisitionis beneficio intelligi potuit; hac vero face praelucente, futuris in casibus intelligetur facilius. Quamvis nempe pelvis renalis non parum dilatatae exempla non sint tam rara; quamvis hujus dilatationis specimen ipsi huic operi inseruerimus; et licet renem ipsum, tantum in utrem, ut omne cavum abdominis impleverit, ac pro ascite imposuerit, viderimus; raro tamen symptomata nostro in sene obvia, diagnosin tam arduam reddunt. Facile nempe illis, qui ad rationes calculi, vesicae urinis vacuae, ac absentium causarum, symptomatum, quae suppurationes internas, hydropem saccatum producunt, comitantur, minus attenti fuissent, vel peritonaei, vel lienis abscessus, vel hydrops omenti subesse, videri potuisset; et ad similem in diagnosi errorem, rara pelvis ac ureteris superni, etsi levis, ad externam superficiem inflammatio non parum contribuere valuisset. Cum vero ad constantem urinae in vesica absentiam, nisi ex universi systematis, vel ipsius organi secernentis vitio ordiatur, *utrumque ureterem* impervium esse oporteat (§. VIII. Epit. L. VI. P. I. §. DCCLXV); pauca sane *ischuriae* ut male vocarunt, *renalis* exempla horum ductuum ex culpa, in libris medicorum descripta sunt. In casu praesente, etsi catheter urinam nullam in vesica detexerit, nec ullus circa hanc tumor exstiterit, summus tamen ac perpetuus, scilicet ex calculis in vesica sicca latentibus, ad mingendum nisus fuit; ex quo, non in omni *ischuria*, quam etiam *spuriam* dixerunt, mingendi nisum violentum deesse concludimus. Tantum sensibilitatis per omne corpus augmentum, ut attactum recusaret, paucis ante mortem horis in sene jam descripto successisse, rariora inter agoniae phaenomena ponendum est. Nec minus, ob-

ervata, sub hoc externae sensibilitatis incremento, doloris ad tumorem interni diminutio; istius vero, priusquam aeger animam efflaret, tam crudelis renovatio, admirationem nostram percellit.

XLVIII. *Retentio urinae ureterica.*

Antonius *Aspergalli*, vir 67 annorum, mercatorum *Ticinensium* scriba, biennio frequentius urinae difficultatibus ex calculis, quos miliformes excernere solebat, obnoxius, die 2a. septembris 1793 *sub nixu* ad alvum deponendam fortiori, a violento ad renem sinistrum dolore, ac *sensu partis internae sub illo diruptae*, prehensus fuerat. Mox urinae, si paucas modo guttulas excipimus, quas maximis ac repetitis sub nisibus cum insigni ardore expresserat, supprimitur excretio.

Die morbi sexta, 7a nempe mensis septembris, aeger ad *Ticinense* nosocomium defertur. Noctem lapsam ille expertus erat insomnem, turbulentissimam. Regio hypogastrica nunc tumet ac dolet. Ructus adsunt frequentes, singultuosi, sitis inexplebilis, facies pallidissima. Alvus interim aperta est. Circa vesperas abdomen, etsi cathetere jam prius vesicae immisso, nihil ille urinae hoc in viscere detexerit, insigniter tensum, ad attactum dolet. Ventris haec tensio aequalis et circumscripta est, ac, supra umbilicum ascendens, diaphragma fere attingit. Semicupio aeger immergitur, et fomenta posthinc emollientia apponuntur abdomini.

Die morbi septima, abdominis moles aucta est. Vix aliquot urinae guttulas aeger hac nocte excrevit. Languor, pallor, pulsuum exilitas sunt maximi; singultus continuat. Post meridiem mors prompta his aerumnis finem imponit.

Sectio cadaveris.

Integumentis abdominis disscetis, intestina insigniter inflata, tumoris antehac in illo reperti rationem reddebant. Renis sinistri, ex atro lividi, moles, illam capitis infantilis vix non adaequabat. Pelvis renalis mirum in modum extensa: ureter hujus lateris ad quam cum vesica connexionem calculis minoribus op-

pletus erat. Vesica ipsa, parve contracta, exceptis calculis exiguis, vacua reperta est. In dextro uretere, cum pelvi renali quidquam dilatato, prope vesicam, calculus pariter haerebat.

Epicrisis.

Observationem, quam hîc tradimus, conscripsit D. *de Antoni*, qui chirurgi adsistentis in clinico Instituto *Ticinensi* vices indefesse implebat. Pelvis renalis morbosa, museo pathologico *Papiensi* commissa fuit.

In praesente retentionis urinae uretericae exemplo, non tanta quidem, ac in eo, quod vix exposuimus, pelvis renalis sinistrae et contigui ureteris dilatatio, — nullus tamen in istis, nisi dum calculus in ureterem descenderet, dolor, sicut nulla inflammatio fuit. Praecessit tamen summa renis ipsius extensio, et gangraenae vestigia relinquens incendium. Utraque vero in historia attendi meretur: descensus calculorum ex pelvi renali in ureteres *sub nixu ad alvum fortiore* occasio, ac *doloris quasi quid ruptum sub eo fuisset*, sensatio. Quamvis autem, hoc in aegro, ren uterque calculos generasset suoque ureteri committeret; calculi tamen renalis, si brevem, sed fortiorem, sub ejus in ureterem descensu, ad renem sinistrum dolorem; et ructus copiosos, singultuosos, excipias, defuerunt consueta aliis symptomata: lumborum diuturni cruciatus, vomituritio, vomitus, colica ut vocant nephritica, crurum stupor, penis testiculorumque retractio. Cum vero, morbi die sexto, regio hypogastrica cum dolore intumesceret, venterque omnis praeter modum assurgeret: licebat utique, sub urinae a quatuor jam diebus suppressione, vesicae ab illa repletionem conspicuam, utriusque tumoris ut causam, suspicari. Atqui tamen, nec introductus, sub primo aegri ad nosocomium adventu, in vesicam catheter urinam in ista detexit; nec post mortem lotium hoc in viscere, potius parvo et contracto, repertum fuit, ac omnis abdominis hunc fucum faciens tumor, suos meteorismo ex calculis symptomatico natales debebat. Quemadmodum vero in priore huic exemplo, sub perfecta urinae fluxus in vesicam suspensione, nixus tamen

d illam excernendam cum atroci dolore perrexit: a et praesente in casu, iterum ex calculis. et quiem exiguis, hoc morbi phaenomenon, quod in reali seu spuria, ut vocitant, ischuria deesse dixerunt, ltro continuavit; et quae, *Epitomes* libro VI. Parte I. .DCCLXV. docuimus, « nec pectinis scilicet tumorem, ec atroces mingendi nixus in *spuria* sic dicta *ischuria* emper et ubique deesse, » comprobavit. Caeterum, ullibi ureterum positionem calculorum, etiam parvoum, hujus magis funestam esse, quam quo loco hi ongi canales inter vesicae urinariae membranas obliue decurrunt et ab ipsa stimulati hujus visceris conractione retinentur, et hoc exemplo, ultro quam opus sset, evincitur.

XLIX. *Retentio urinae cum vesicae gangraena.*

Ischuria venerea jam pluries corripuerat Josephum N. annorum quinquaginta virum dum *Laudensi* nosocomio die 24 februarii 1788 receptus fuit. Diri tunc cruciatus in regione hypogastrica, ad pubem praeserim, praecesserant. Tumebat venter, tumida ex lotio etento vesica. Febris aderat cum pulsu parvo, et viribus dejectis. Plures domi venaesectiones institutae uerant. Nycthemeri intervallum duntaxat ab invasione morbi, quantum scilicet ex aegro colligi potuit, elapsum erat; et tamen praesentis jam ultro gangraenae nstabant symptomata. Dum ope catheteris urinam educere tentaret chirurgus; resistentiam opponebant magnam collum vesicae, tumensque prostata, quam volumine auctam induratamque sentiebat digitus per anum explorans. Lotium, parca in copia eductum, nigricans est et admodum foetidum. Aeger interea post triduum a morbi principio, viribus prostratis, inter inaequales frigidosque sudores moritur.

Sectio cadaveris.

Penis integumenta, a radice ejus, ad extremam usque glandem, livida, atque a gangraena, ad scrotum usque propagata, correpta erant. Abdomine reserato, dum vesicam a vicinis partibus sejungendi esset animus, ureteres, diametro non parum aucti, utrimque in conspectum veniebant. His, ut vesica

una cum urethra ex pelvi extracta, melius pateret, filo injecto resecissis, inter secundum ex vesica nigricans, ex commisto ichore gangraenoso, lotium effluebat. Externum et posteriorem vesicae parietem defoedebant maculae late gangraenosae, dum interim membrana hujus visceris interna eo loci in validos lacertos, quasi plicata, assurgebat. Sphacelus quoque collum vesicae ita devastaverat, ut in tabem quasi membranae diffluerint. Glandula prostata et ipsa infecta, volumine tandem aucta, fistulam urinariam arctabat ita, ut ischuriae inde ratio elucesceret. Urethra quoque per totam ferme ejus longitudinem, praeter modum constricta erat, quin tamen vel ulla prominentia, vel cicatricula in conspectum venirent. Vesica et partibus contiguis per anatomen exploratis, ad ureteres, qui diametro aucti comparuerant, sectio conversa fuit. Utriusque renis pelvis praeter modum dilatata urinaque distenta erat. Ren dexter, evacuato lotio, per ureterem in longum dissectus fuit, ut inde melius, quae dilatationis causa et effectus essent, pateret. Ren sinister, cujus pelvis priore duplo fere amplior erat, integer servatus, et quo auctae capacitatis mensura haberetur, aëre inflatus fuit. Ambo renes, urina coloris aquei replebantur. Ureterum oscula in vesicam hiantia, a lacertis, in quos, reticulatim plicatos et inflexos, intima, posterior tunica assurgebat, ita ut lumen eorum valde esset imminutum, coarctabantur.

Epicrisis.

Laudensis nosodochii medicus expertus, *Gemellus Villa*, M. D. historiam morbi, in quam hîc inquirimus, amice nobis transmisit. Agitur in ea, de viro a morbis venereis frequentius mulctato. Quam crebro vero ab istis tum prostatae, tum vesicae laesiones multiplices, atque tam acutae, quam chronicae, vel mox a concubitu impuro, vel diutius ab illo, propullulent, et quam funesti saepe in istis vel ipsius methodi medendi perversae effectus sint, in diversis *Epitomes* locis dilucide satis exposuimus. Interitum aegris promptiorem minantur vitia hujus indolis, quae vias urinae in totum intercipiunt. Fateamur interim,

nobis, sub longo artis exercitio, nullum unquam aegrum, qui unius spatio nycthemeri a gangraena vesicae, tertia vero jam die, genitalium externorum etiam gangraena correptus perierit, obvenisse. Exempla non desunt, ubi a concubitu impuro, post paucas dies, gangraena et sphacelus, sat cito aliquando lethales, genitalia devastaverint; haec interim minus ipso hoc a veneno, quam ab incognita certorum hominum constitutione pendere, docet aliorum, qui eodem fere tempore, ex uno eodemque fonte malum istud hauserunt, sors longe mitior; qua in re contagia diversa, ipsumque virus variolosum, satis, conveniunt. Ex tribus adolescentibus, qui, *Mediolani*, una cum muliere infecta, unius horae intervallo concubuerant, simplici unus medorrhoea urethrali, duo alii vero ulceribus venereis, quae in uno ex istis mox gangraenam cum glandis jactura conceperant, affecti fuerunt. Sed lippis et tonsoribus nota hîc referimus. Diros cruciatus ad regionem hypogastricam in aegro nostro praecessisse, vesicam ex lotio retento, ventrem ipsum, sub ejus in nosocomium introitu intumuisse, ac verae sic *cystitidis* symptomata, repetitis a venaesectionibus nec quidquam mitigata, adfuisse percipimus. Hucusque igitur, si celeritatem morbi, ac penis ipsius scrotique gangraenam, sub simplici cystitide nunquam vel a nobis, vel, quod sciamus, ab aliis conspectam, exceperis, res a tramite consueto nihil aberravit. Ad primam quod spectat, dubitari saltem licebit, num aeger, dum nosocomium intraret, a vesicae gangraena jam correptus, ut verum morbi sui principium indicaret, satis sibi conscius dici potuerit? Et cum plures sibi domi jam factas venaesectiones ille referret, videntur hae aut non sub primis morbi horis institutae, aut non tam pauca inter se distantia repetitae fuisse. Quodsi vero hoc factum sit, num liberior cruoris in homine, a morbo contagioso jam diutius detento, detractio gangraenam non promoverit, quaeri posset. Quidquid vero fuerit interna vesicae hoc in aegro constitutio nostram sibi attentionem, — non tam ob sphacelum, quam ob *validos* ad posteriorem faciem *lacertos*, meretur: quos scilicet lacertos, minus intimae membranae, in plicas assur-

genti, quam *fibris* vesicae *muscularibus* sub illa, a longa irritatione, mole auctis, attribui vellemus. His nempe a lacertis, reticulatim plicatis et inflexis, ureterum oscula in vesicam hiantia, impedita, et ita ut lumen eorum valde esset imminutum, coarctata fuisse referuntur. Non solis nempe a calculis, sed a repetita saepius, sub gravi medorrhoea et prostatae glandulae incendio, phlogosi, ad vesicam crebro extensa et chronica, hae fibrae musculares stimulantur, molem morbosam assumunt, et vesicam non minus, quam, pro varia sua positione, ipsorum adeo ureterum, in illam hiantium ostia coarctant. Longioris igitur morbi, non paucarum modo dierum, effectus hic dicendus est; a quo scilicet ureterum, lotio in vesicam distillare impedito, et pelvium urinalium, et renum ipsorum dilatatio, non difficulter derivabitur. Cum urethram aegri, per omnem sui longitudinem praeter modum quidem constrictam, sed aliter haud mutatam, hinc neque a gangraena correptam, fuisse legimus; integumentorum penis scrotique livorem et ut vocatur, gangraenam, strangulationis et largioris ecchymosis quasi specimen magis, quam sphaceli cum interna vesicae gangraena communicantis, effectum fuisse suspicamur.

L. *Vesica urinaria cordis figuram habitumque aemulans.*

Notarius *Papiensis*, anno aetatis suae trigesimo secundo, dysuria laborare, mucum inde una cum urinis excernere, et sensim sensimque calculorum symptomata ad renes, ureteres, et vesicam experiri coepit. Indies muci quantitas in urinis augebatur adeo, ut urinae foetentis illam duplo superaret. Post septem annos, aeger binos calculos laevigatissimos, pisi magnitudine, sub propriis huic morbo symptomatibus dimisit; persistentibus tamen aliis, quae de calculi in vesica urinaria praesentia testarentur, phaenomenis. Aquam calcis absque ullo effectu adhibuit.

Cum ad quinquagesimum et nonum annum hic vir pervenisset, sensum languoris, debilitatis, plenitudinis accusavit. Explorato abdomine, tumor circumscriptus, duriusculus, pressioni tamen cedens, pyrifor-

mis, sex digitos transversos aequans, ad epigastricam regionem persentitur. Altera die, hic tumor in regione umbilicali, — tertia, in epicolica dextra, mox vero in sinistra, imo eadem in die, pro diversa aegri positione, et pro cibi diversa ratione, vel a tempore pastus, nunc in hac, nunc in alia abdominis parte locabatur; modo evidentissime comparebat; modo vix, ac ne vix quidem tactu percipi poterat; imo quandoque omni etiam adhibita diligentia detegi nequiebat. Pedunculati tumoris suspicio nata est. Ex solis martialibus remediis, praecipue cum sapone, vel cum extracto cicutae junctis, levamen aeger percipere solebat. Tandem post annum et ultra, dum autumnali tempore violentius per colles moveretur, post aliquot ad lumbos, ad abdomen, praecipue vero ad pubis regionem et ad perinaeum dolores, sanguinis sinceri minctum expertus est. Absoluto unico cruoris e vesica profluvio, consuetis symptomatibus vexatus, pulsus aeger offert debiles, intermittentes; nausea accedit, et assumptorum vomitus; singultus, tendinum subsultus, febris sequuntur, ac tandem, octavo ab haematuria die, aeger convulsus exstinguitur.

Sectio cadaveris.

Intestina maculis lividis ubique notata sunt. Epiploon, sicut annulo abdominali, ita vesicae fundo adhaeret. Miro modo hoc urinis dicatum viscus a statu sano aberrat. Color ei ex rubro lividus, figura vero conoidaea, et magnitudine non minus, quam parietum densitate *cordi humano* inverso, cujus apex scilicet inferior, basis vero superior foret, similis est. Longitudinem vesica, sic constituta, sex, — latitudinem vero quatuor pollicum habet. Fibrarum muscularium ordo et numerus ita multiplicati, crassitie tanta sunt, ut densitas parietum ad pollicem cum dimidio aucta compareat, cordisque compaginem omnino referat. Nec in cavo hujus visceris productiones lacertosae, numerosae, quae cordis interna exornant, deficiebant; ita ut, si ventriculorum divisionem excipias, nihil omnino, quod non hanc partem nobilissimam simularet, deesset. Cavitas vesicae adeo imminuta erat, ut quatuor modo liquidi uncias contineret. Superficies

ejus a muco male olente obducta fuit. Inter colli vesicae lacertulos, calculus subrotundus, niger, laevigatus, exiguus tamen, et modo grana viginti ponderans, haerebat. Alter, ejusdem voluminis et naturae calculus libere per vesicam movebatur. Tertius tandem, castaneae magnitudinis, ad superficiem posterioris vesicae parietis, inter duos carneos et magnos lacertos haerebat, lineis fere quatuor in cavum vesicae prominens, trochleae in modum excavatus, et albus, quo vero loco obtectus degebat, niger atque laevigatus.

Ren uterque, minus tamen dexter, mole auctus et durior. Pelves renales earumque ureteres mucus male olens, quemadmodum vesicam, obducebat.

Lien parvus, in superficie rugosus, caetera vero tam abdominis, quam thoracis viscera sine labe detecta fuerunt.

Epicrisis.

Acuti ingenii viro Doctori *Dell'u.* medico *Ticinensi*, *Tissoti* et nostro quondam auditori, memorabilis hujus casus descriptionem sollicitam debemus, ac promissam in *Epitomes* Lib. VI. P. I. §. DCCLXIX, hîc tradimus.

Quam longa interdum mora temporis inter prima calculorum urinalium symptomata, et eorundem vel secessum, vel praesentiae certitudinem, intercedat; ex *septem annorum* intervallo comparet, quo hic aegêr, postquam sensim sensimque calculorum, ad renes, ureteres, et vesicam phaenomena persensisset, ac postquam, praeter urinas foetentes, majorem indies, ac duplam muci copiam cum illis excrevisset, binos modo calculos, et quidem piso haud majores, ex urethra rejecit. Quamvis autem hi calculi tantum aetatis anno trigesimo fere ac nono, cum aliarum adhuc concretionum in vesica latitantium signis, secesserint; viginti tamen unumque annos aeger utcunque transegit, quin vel maximus ex tribus calculis, post mortem in vesica detectis, magnitudinem castaneae superasset. Ne aquae calcis, ab aegro quondam haustae, et ultra viginti jam annos sepositae, hoc attribuas, tum ipsius vesicae sensus nec quidquam ab

ista mitigatus, tum cognita satis hujus remedii interius adhibiti calculis inutilitas, tum denique calculorum singulorum non modo durities, sed et levitas vetant. Non tam felicem interim apud omnes in calculi augmento lentorem esse, matura puerorum ab illis vexatorum sectio, quae toties vel maximos eorum e vesica calculos eduxit, nimis jam docuit. Quantum interim auctoritatis in calculorum diagnosi foetor ille urinarum specificus, ac muci tenacis ac plurimi cum istis excretio agnoscat, ex hujus etiam aegri historia elucet. Quid vero tumor ille proteiformis in abdomine, pressioni cedens, duriusculus tamen, in regionibus nunc epigastrica, nunc umbilicali, nunc in alia, nunc nullibi comparens, significaret, hoc arduum fuit dicere. *Omentum* scilicet, abdominali tum annulo, tum vesicae fundo adhaerens, hos lusus induxit, ac prout intestina, flatibus aut faece turgentia removit, compressit, divisit, atque nunc hoc, nunc alio in loco detinuit, ita quoque tumorem multivagum exploranti digito opposuit. Talem quondam pars haec difficultatem diagnosis in ultimo Marchionum *Bado-Badensium*, cujus nos historiam alibi inseruimus, creavit: ut qui Princeps, dum jejunus esset, erecto quidem corpore incedere valebat; post assumptum vero prandium, aut anteriora versus oblique incurvus incedere, aut de ventriculi molesta tensione conqueri debuit; quod phaenomenon, ut sectio cadaveris nos docuit, epiploon cum testiculo in hernia, per lapsum, ut credebant, inducta, verosimilius tamen congenita, concretum, stomachum a cibis repletum, ne suam curvaturam majorem elevaret, impedivit.

Quae causa haematuriam hoc in aegro excitaverit, nisi a calculo, inter duos carneos et magnos vesicae densioris, contractae, ac sanguinis per sua vasa distributioni contrariae, lacertos haerente laesio quaedam contigerit, ex sectionis historia saltem non liquet. Non pauca quidem vesicae humanae praecipue post calculos, lacertosae, ac fibris muscularibus mole multum auctis instructae exempla habentur (1); sed hujus

(1) *Morgagni* de sed. et caus. morb. per anatomen indagatis, in Epist. Anat. med. XLI. Lib. 3. — *Baillie*, Anatomie des

visceris, in musculum torosum, cordis instar concavum, conoideum, ac tam crassis lacertis divisum permutati specimen descriptum esse nescimus.

LI. *Carcinoma vesicae urinariae.*

Vir religiosus quinquagesimum aetatis annum emensus est, quin ullo fere morbo premeretur; cum primum vero ad quinquagesimum secundum pervenisset, pustulae totum corpus occupantes comparuerunt nigricantes et pruriginem inferentes, quae tamen absque artis auxilio, squamatim deciduae, disparuerunt. Quatuor post menses, augusto nempe 1787, novam scenam lusit morbus, crebriores magisque nigras pustulas in medium proferens, quae nonnullorum dierum circuitibus humore rubro et purulento impraegnatae fuerunt, qui humor, sponte evacuatus, caustici adinstar agebat: partes enim istiusmodi humore madefactae, cito excoriabantur. Per mensem et ultra, magno cum aegri incommodo obduravit hic morbus; forti dein frigoris impressione disparuit. Sub finem mensis octobris, dolor ad regionem sinistri renis exsurrexit obtusus et continuus, qui ad anteriora interdum et ad pubem usque sese extendebat, ita ut aeger lateri dolenti incumbere non potuerit. Huic postea se adjunxit difficultas mingendi, et exigua febris; quae tamen, superstite semper dolore, opportunis medicaminibus fugata sunt. Aliquod post tempus urinae copiose profluebant, et in illis, absque aegri sensu, cernebantur flocculi albicantes, partim iisdem supernatantes, partim fundum petentes; oblongi, sanguinisque striis commisti, qui attente examinati, maceratae cujusdam membranae imaginem prae se ferebant.

Hocce in misero statu plura fuerunt remedia praescripta; sed incassum: nam dolor in mingendo, qui primum aberat, accessit postea. Urina guttatim et continuo plorabat; corpus gradatim emaciabatur; alvi constipatio, appetitus abolitio, et anxia respiratio torquebant aegrum. Sinistri renis dolor magis magisque

krankhaften Baues, S. 278. — *De Bingen* de carnositate vesicae urinariae morbosa. Altdorf 1759. — *Offer* in Act. Helvet. — *Voigtel.*, Handbuch der pathol. Anatomie 3. B. S. 207. sq.

saevit. Crescunt indies inanes mingendi conatus; fortis tenesmus insurgit, quin imo hisce sub conatibus summam ad vesicae orificium resistentiam experiebatur infelix, quae urinae viam claudebat. Per tres menses res ita se habuerunt; tandem vero mingendi conatu iterato, quadam cum explosione, corpus sanguineum et grumosum expulsit, ita ut oppositum parietem quatuor circiter passus ab aegro distantem, ille conspurcaverit. Hac ablata resistentia, magna sanguinis copia effluxit, quae ad libras tres ascendebat. Vires vitales fractae sunt, et in lipothymiam incidit aeger, a qua sublevatus, per quindecim dies nullam haemorrhagiam expertus est; praedictis tamen perdurantibus symptomatibus. Hisce elapsis diebus, in pauca urinae quantitate, quam laboriose emittebat, observabantur arenulae quaedam una cum grumis sanguineis. Pulsus inordinati ac debiles fiebant. Febris accessit demum, quae, constante ordine, sub vespera exacerbabatur. Catarrhalis quasi cynanche superveniebat; quae fluidorum omnium deglutitionem impediebat. Priori fortior nunc haematuria rediit, quae copiose per tres dies continuavit. Proinde subsecuta est omnimoda urinae suppressio, et purulentae materiei profluvii cessatio; dolor in renis regione sensim sensimque deletur, et continuus horror ossa invadit. Sub tanto rerum miserrimarum cumulo, alterius medici consilio expetito, de prostatae tumore suspicio nata est, proindeque cicuta externe ac interne praescripta fuit. Vix autem grana quindecim illius assumpserat aeger, cum vomitus comparuerit, ac materiae ejusdem indolis ac illae, quae prius per urethram stillaverant, cum illo rejectae sint. Singultus paulo post, tendinumque subsultus excitabantur. Anhelosa respiratio, frigidi sudores, et lethalis postremo diarrhoea tam cito aggressa sunt aegrum, ut brevi horarum spatio vitam cum morte commutaverit.

Sectio cadaveris.

Abdomen intropressum, nihil quidem livoris offerens, apertum fuit. Nulla hîc pinguedinis vestigia, et musculi quasi igne torrefacti videbantur. Peritonaeum in parte anteriore et inferiore tam arcte concretum

erat cum tota vesicae urinariae superficie, ut illud ab ista rectius separari non potuerit. Omentum disparuerat; intestina vero, absque inflammatione, vacua erant. Hepar a statu naturali non recedebat. Lien nucis magnitudinem prae se ferebat. Ren dexter nihil notatu dignum exhibuit, sinister vero, cujus regionem fixus et obtusus dolor semper occupaverat, consumptus omnisque obliteratus erat, nilque aliud, quam pelvis illius fluctuans de eo supererat. Ureteres dilatati non erant; sed levi tantum inflammatione correptus fuit ex illis sinister. Vesica urinalis tuberosa undique apparebat, et naturali volumine duplo major. Partibus adjacentibus illa ita adhaerebat, ut culter anatomicus, dum eandem avelleret, strideret, quasi secarentur cartilagines duriores. Separatae vesicae pondus ad duas libras ascendebat. Per medium secta, undequaque quasi lacera et ulceribus plena inventa est. Reperti sunt quoque sacculi purulenta materia turgidi nonnulli, disrupti alii. *Substantia fungosa* internum vesicae cavum adimplebat. Hujus cavum non ultra tres uncias fluidi continere poterat, ita erant ejus parietes crassitie aucti.

Epicrisis.

Circa observationem hanc, ab Auditore nostro D. *Paulo Dagna*, *Ticinensi*, anno 1788 conscriptam, varia, notatu digna occurrunt. *Vesicae urinalis scirrhi*, qui aliunde (ut ab utero, intestino recto) eidem non accesserint, sed propria hujus visceris in substantia natales agnoverint, rariores sunt; ac saepe parietum vesicae auctam crassitiem, et fibrarum muscularium torositatem scriptoribus pro scirrho imposuisse, ab aliis jam animadversum fuit (1). Non tamen prorsus igitur negari posse scirrhos vesicae *primarios*, exemplo manifesto jam evicimus in *Epitomes* L. V. P. II. §. DCXXX. p. 305 sqq.; et aliud vesicae carcinomaticae exemplum, in musices moderatore *Bruchsa-*

(1) *Baillie* Anat. des Krankhaften Baues. S. 176 177. — *Voigtel* Handb. der pathol. Anat. III. B. S. 276 — *Soemmerring*, Abhandl. über die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase und der Harnröhre. Einleitung, p. XIII. XIV.

liensi, viro scrophuloso. a nobis quondam repertum, alibi descripsimus (1). Non indignus idcirco attentione nostra vesicae hic descriptus scirrhus est, ut sub quo nec intestini recti, nec alterius partis scirrhosae, vesicae propioris, mentio injicitur. Impetigo, *anthracis*, ut videtur, species, hunc vesicae morbum praecessit. Disperso, per frigus, hoc vitio cutaneo, ad renem sinistrum dolor primum oritur, obtusus quidem, sed continuus, ad anteriora interdum, et ad pubem usque extensus. Huic sese mingendi difficultas ac febris exigua adsociant, mox iterum, superstite semper renis dolore, dispulsae. Augentur nunc urinae, quae flocculos, partim graves, et fundum petentes, sanguine simul stratos, offerunt. Hucusque certe *nephralgiae* magis, quam *nephritidis* urgebant phaenomena; nec enim aut febris violenta, per multos satis dies extensa, nec vomitus, nec dolores colici, nec stupor cruris, aut testiculi retractio, urgebant. Flocculi etiam illi albescentes, partim fundum in multis urinis petentes, puriformem materiam sistebant, sub quorum exitu, renum morbi inflammatorii solutionem praedicere sueverunt. Monuimus interim in *Epitomes* L. II. §. CCLVIII. p. 277. vel in ipsa *nephritide* « dolores, sub morbi principio, magis esse *obtusos*, tendentes ac prementes. » Adhortati etiam tirones nostros sumus ibidem, §. CCLVI. » quod, licet renum inflammationes, si calculorum in eosdem effectus excipiantur, rarissimae quidem videantur; interim saepius ac putatur, *occultae* his in visceribus *suppurationes* occurrant. » Ac revera, non vomitus quidem, aut ructus, sed macies corporis gradatim aucta, dolores sub mingendo, qui antehac defuerant, mox aegrum nostrum, atroces, cum immani ad renem sinistrum cruciatu, cum alvi constipatione, tenesmo, sensu resistentis ad ostium vesicae obstaculi, et respiratione anxia corripiunt. Tardius tandem febris lenta, sub vesperis aucta, accessit. Atqui sub cadaveris sectione ren sinister adeo consumptus fuit, ut nihil de eo, quam pelvis ejus fluctuans, supermanserit.

(1) In oratione academica, de vesica urinaria ex vicinia morbosa aegrotante.

Evidens igitur renis inflammatio in suppurationem conversa, et quidem *non ex calculis orta*, hîc subfuit. Nec etenim paucas illas areuulas, quas aeger una cum grumis sanguinis minxit, et quas in sanorum adeo hominum urinis haud raro conspicimus, hoc malum excitasse cum ratione quis asseret. Miramur interim, nullam *puris* cum urina simul excreti mentionem in morbi hujus historia injici; sed alia sunt, sub quibus, utpote majoris momenti phaenomenis, puris excretio, forsitan simul facta, praetervideri omnino potuit. Cum scilicet aeger tres integros per menses descriptis a doloribus, et a sensu illo haerentis ad vesicae ostium obstaculi vexatus fuisset, mingendi tandem iterato conatu, ille, corpus quoddam sanguineum et grumosum magno cum impetu in oppositum parietem e vesica expulsit, mox vero sanguinis ex ea jacturam tres integras ad libras passus est. Ubi de *haematuria vesicali* egimus in *Epitomes* L. V. §. DCXXX. p. 305. simul his de grumis sanguineis ac *polypis*, post mictum sanguinis saepe magno sub nixu e vesica expulsis, locuti sumus, ac neminem sane medicorum latet *Trallesii* de polypis vesicae copiosis et praelongis, ab amico sibi *Hahnio*, parturientis sub nixibus, expulsis, observatio. Hac demum sanguinis jactura per vesicam subsecuta, vires aegri, mox a lipothymia correpti, concidunt, ac vitae finem proximum adnunciant. Nova tamen, ac priore intensior haematuria, per tres dies extensa, suboritur: a qua demum omnimoda urinae, ac *purulentae materiae*, (de qua primum hîc mentio facta est) suppressio, lethali mox, nec tamen cicutae usui adscribendo, cum exitu, insequitur. Quo ex fonte sanguis ille, tum in grumos polyposos conversus, tum sincerus, defluxerit, dubium illi subnasci vix potest, qui descriptum vesicae statum scirrhosum et carcinomaticum attente consideraverit, et quam commune symptoma haemorrhagiae sub scirrhis esse soleant, secum reputaverit. Molem scilicet sana duplo majorem, pondus vero duarum librarum habuit vesica, inaequalis, tuberosa, ulceribus quasi lacera, abscessibus adhuc clausis hinc inde obsessa; *fungosa* vero substantia ejus cavum, prae parietum crassitie vix trium unciarum lotii continendarum capax, implebat. Haec

fungosa vesicae internae substantia sine dubio cruoris sub morbi fine tanta copia effusi unica scaturigo fuit, et carcinomaticam hujus visceris indolem ultro confirmat. Admodum verisimile nobis videtur, illam ipsam causam, quae prius, anthracum sub forma, cutem exederat, qualiscunque ea fuerit, tum in renis sinistri, tum in vesicae urinalis substantiam effectu lethali saevisse. In quo, certa nimis apud varios, ad *cancrum* dispositio haereat, hoc omnino nec hariolatu quidem pernoscimus; quod vero cancer per sectionem extirpatus saepe alias in partes non minore cum atrocia furiat, hoc flebili convincimur experientia.

LII. *Vesica urinalis in crumenam lateralem extensa.*

Joannes Dominicus *Caranti*, presbyter 73 annorum, ex loco *S. Leonardi*, venationi maximopere deditus, die 27*a* septembris 1786, dum carnem suillam aromatibus conditam comedisset, tres circiter post horas incidit in vomitum. Hoc cessante vomitu, aeger, nec quidquam sublevatus, dolorem punctorium ad regionem lumbarem, paulo supra ossis ilei cristam, versus posteriora sinistrorsum, eumque fixum persentit; qui dolor per quatuor dies continuavit cum siccitate, amarore oris vel maximis, ac siti. Oscitatio simul ac pandiculatio, et levis horror, sine ordine hominem invadunt. Accersitus chirurgus venam tundit, et olei olivarum uncias circiter quinque propinat. Evacuatur abhinc alvus, ac dolor sopitur. Post quinque dies, hic, vehementior, dexteram ejusdem regionis partem occupat. Ignotas nunc pilulas, a medico praescriptas, absque omni effectu aeger hausit.

Die 7a novembris, viribus insigniter fractus, ac dyspnoea correptus, primum quidem ad nosodochium, dein vero propter aliorum aegrorum in eo numerum, in clinicum *Ticinense* Institutum, quasi moribundus suscipitur (1). Abdomen, tactu quidem indolens, sed

(1) Tales nos aegros haud raro, sine difficultate, suscepimus; quos, ubi eos per artem conservari haud licuit, in usus tironum a morte secuimus, et si quid notatu dignum cadavera eorum obtulissent, museo id pathologico commisimus.

durum atque tumidum, manuum pressioni resistens, tribus veluti promontoriis seu tumoribus divisum est; qui tumores, non eadem, quidem, sed ordinata quadam altitudine, gradatim, ab inguine dextro, circa intestini cocci regionem, oblique sursum, ita ut medius, super pectinem, tertius vero ejusdem a latere haereret, ad sinistri confines hypochondrii; attollunt. Febris aegro vix ulla, sed pulsus exilis ac debilissimus est. Illi cum fomentis calidis, et vini pauxillo refocillato, num a multo jam tempore descriptos abdominis tumores animadvertisset? quaestionem proponimus. Respondet: ante primum illum in sinistra regione dolorem, nec tumorem, nec alvi obstructionem, qua nunc laboraret, sibi fuisse cognita.

Ob summam viri jam antehac adspectu cachectici, debilitatem, atque ob dyspnoeam, vesicantia suris imposuimus. Ab enemate simul injecto, alvus ter, satis copiose, excreta fuit. Nocte subsequente dormivit aeger, et vires a somno restauratas, pulsus magis elevatos, respirationem vero faciliorem exhibuit. Postquam sic diem sat bene transegisset: ad noctem inquietus, de oris magno amarore ac de alvi obstructione senex conqueritur. Salis igitur amari uncia porrigitur, clysterque applicatur. Sequuntur sedes aliquot; sed pristina symptomata continuant. Hinc pulvis rhei cum calomela praescribitur; inquietudo nocturna per sex fere dies nihilominus continuat.

Decima septima hinc die decoctum corticis ordinatur. Appetitus abhinc redire quidquam, et somnus augeri videntur; sed post duos dies, versus noctem, obtusus circa tumores abdominis (quos pro cysticis habebamus, ab aegro modo tardius per tactum observatus) dolor accusatur, urina vero nulla excernitur. Ventri linimentum inungitur volatile, ac praeter potum ex radicibus graminis, tartari solubilis drachma dimidia ter in die exhibetur. Nec tamen exinde aut faeces, aut urinae motae, aut dolores sopiti fuerunt, nec somno aeger gavisus est.

Die 21*a*. Venter quidquam ad contactum dolet magis; tres vero illi tumores in unum quasi coivisse videntur, intumescente quidquam abdomine. Enema

nunc injicitur, ae nisi urina simul seeedat, catheter ad vesicam duci jubetur.

Die 22*a*. Urinis, ut referebat, cum paucis faecibus excretis, eatheteris usum suspenderat chirurgus. Alterum enema injicitur. Nec hac tamen die, nec altera, aut urinae, aut faeces redduntur. Cathcterem applicari repetito jubemus; hujus vero loco clysterem injiciunt, et eum faecibus, urinae simul excretionem exspectant. Post mediam noctem, aegrum anxietas invadit; a lecto surgit, pedibusque erectus insistit; ad lectulum vero repositus, jactatur hinc inde, eustodem in auxilium invocat; mox vero, corpore sinistrorsum contorto, illius inter brachia exspirat.

Sectio cadaveris.

Cadaveris, quacunque ratione tractati, etsi horis triginta sex a morte jam elapsis, nulla rigiditas, sed undique molle illud atque flaccidum observatur. Abdomen interim livescit. Tumores nunc quasi *bipartiti* tactu percipiuntur in illo. Sectis primum ac separatis thoracis integumentis, cartilagines, quae costas cum sterno revinciunt, osseam in substantiam conversae reperiuntur. Cavo pectoris aperto, pulmones sani, filis hinc inde pleurae adnexi, comparebant. Pericardio inciso, aquae rubellae uneiae fere duae effluebant. Musculi abdominales quamplurimum extenuati erant. Aquae subrubrae, paucae tamen, abdominis in cavo haerebant. Intestina tenuia, sub hypochondrio sinistro eompressa. Hepar magnum, et livido colore instructum, altius versus pectus assurgebat. Ad utrumque nune umbilici latus, tumores duo, sat molles, quasi cystici, ad posteriorem faciem in unum confluentes, anteriore vero eum peritonaeo, vasculis intermediis, quidquam eoncreti, se offerunt: quos tumores ex ipsa vesica conflari, mox intelleximus. Separatis a peritonaeo vesicae his tumoribus, hos inter et faciem peritonaei internam, adeps, supra pubem eollectus, haerebat. Tumor dexter cum intestino coeco eohaerebat. Omnis vero tela cellulosa, quae tumores eum partibus vicinis, utrimque et posterius cum pelvi, anterius autem eum osse pubis, revinciebat, aqua rubelli eoloris madebat. Tota faeies tumorum anterior

a peritonaeo obtegebatur. Viscera abdominis, his a tumoribus compressa, inter se coaluerant. Immisso vesicae cathetere, urinae *octoginta circiter unciae* effluxerunt. Aëre vero tunc in vesicam compulso, ordinarium quidem haec volumen offerebat, oblonga tamen; sed adhaerens ei ad latus dextrum saccus alter, cum vesicae cavo communicans, comparebat. Haec moles, fere pellucida et tenuis, a spatio duorum fere pollicum diametri, inter fibras vesicae musculares prominebat, atque ex vesicae interna membrana, inter fibrillas vesicae carneas, minime justo crassiores, prominente, conflabatur. Pluribus in locis vesicae parvi tumores semipellucidi prominent inter fibras illius musculares: qui, sub vita aegri protracta, probabili argumento, easdem in crumenas extensi fuissent. Prostata glandula volumine suo multum adaucta et scirrhosa fuit. Experimur tantum a morte aegri, quod tribus abhinc annis haematuria ille laboraverit.

Epicrisis.

Plura quidem *diverticulorum, appendicum, herniarum, cellularum*, ad vesicas hominum urinales exempla in fastis medicis consignata legimus (1); non inutilem interim operam in publicanda conspectae a nobis quoque tam mirae aberrationis historia nos posituros esse speramus. Conscripsit hanc, qui aegri curam sibi assumpserat, vir egregius, ac indefessus per septem fere annos auditor et amicus noster, *Vin-*

(1) Magni quondam viri *Isaaci Casauboni* obitu jam nimis celebris hic morbus fuit. Vid. apud *Bonetum* in sepulchret. etc. cujus multum cum nostra commune habet observatio. De eodem loquuntur *Coiter*, exercit. et obs. anat. c. fig. Norimb. 1573, — *Berger*. hist. de l'acad. des sciences, année 1704. obs. anat. 22., — *Bohnius*, de officio med. duplici, p. 516., — *Heister*, Instit. chirurg. P. II. C. CXLV. Tab. XXXII. fig. 2., — *de Broke*, de vesicae urinariae appendicibus., Argentorat. 1754., — *Morgagni*, adversar. anat. III. animadvers. XXXVI. p. 92. Id. de sed. et caus. morb. Epist. VII. n. II. Ep. XLII. n. 30., — *Houstet*, obs. sur les pierres enkistées. Vid. mém. de l'acad. R. de chirurgie. T. 1. p. 395., — *Bordenave*, mém. de l'acad. des Sc. de Paris 1775., — Plures auctores collegerunt *Voigtel*, Handb. der pathol. Anat. 3. B. S. 236-241. et *Conradi*, Handb. der path. Anat. S. 269.

centius Solenghi. Vesicam abnormem, de qua agimus, museum pathologicum *Ticinense* conservat.

Nec *herniae* nomen huic vesicae urinalis morbo satis convenire credimus; eo quod nullum viscus in saccum morbosum abscesserit, nec *diverticulorum*, *appendicum* illud quadrare, quod in his, omnes visceris alicujus tunicae simul, praeter sanitatis leges dilatatae, ac in longum ductae sint, putamus. *Crumenarum* hinc nobis praeplacuit denominatio. Sunt vero hae, tunicarum vesicae internarum, seu villosae, ac nervosae, exteriora versus, inter secedentes hujus visceris fibras musculares, insinuatio, ac in saccum, plus minus extensum, vesicae ipsius parietibus integris tenuiorem, ac semipellucidum, nunc ipso cum peritonaeo vesicali, nunc sine isto, dilatatio. Ipsae cordis fibrae carneae, observante jam *Hallero*, uterino adhuc in foetu aliquando ita dehiscunt: ut membrana hujus visceris nobilissimi interna, inter illas fibras, externae tunicae contactu mutuo sese applicet, ac futuri, sub vita quidquam protracta, *aneurysmatis* rudimenta, congenito sic vitio, ponat. Nec morbo nostro, ad speciem hanc aneurysmatis formandam, nisi loci in arteria, et cruoris, in vicem urinae, per rythmos in suos parietes adpellentis, conditio deest. Cum vero nullum in vesicae urinalis superficie punctum sit, ex quo sacci hujus indolis aliquando non exsurrexerint; atque illi ad ipsum urachi locum, vel quo ureteres vesicam perforant, spatio (1), observati fuerint; etsi hoc ad latera cystidis forsitan frequentius contingat (2); exspectabimus sane, quasdam ex his crumenis, peritonaeum vesicam superscandens externo pro vestitu, densiores tunc, mutuari. Prout vero fibrae musculares vesicae, quidquam magis conspicuae ac fortiores, tumores ejusmodi amplectuntur, pseudosphincteris quasi officium in hos sibi, imperfectum interim, assumunt. Vix non semper tamen hae crumenae, non latam adeo, et ad basin compressam, qualem fibrae dehiscentes largiri

(1) *Walter*, Krankheiten der Nieren und Harnblase, S. 45. Tab. XIII. *Heis er* l. c.

(2) *Lobstein*, Diss. de calculis vesicae urinariae cysticis. Argentorat. 1775 p. 5.

videntur, sed sphaericam figuram agnoscunt; prima interim rudimenta, ovalem fere, aut verrucosam quasi formam produnt. Numerus saccorum dictorum, diversis in vesicis varius est. Sex eorum meminit *Nourse* (1); plurimos *Houstetus* adnotavit (2). Nostro in exemplo, praeter maximum saccum, novemdecim crumenulae vesicam obsident. Calculos saepe hi sacci, etiam singuli (3), — alii, plures simul (4), — alii vero nullos in se fovent. In vesica pueri, calculus quidem in vesica libere fluctuans, sed nullus in crumenis, forsitan adhuc nimis angustis, haesit; manifesto satis argumento, has ultimas ab illo nequaquam genitas fuisse. In presbyteri autem vesica, tot protuberantiis notata, nullus omnino calculus repertus fuit.

Ad originem hujus morbi in genere quod spectat, varias illas esse, supponimus (5). Dispositionem in variis hominibus vesicae congenitam, in pauco fibrarum muscularium aut numero, aut nexu laterali, aut in earumdem infirmitate consistentem, subesse vix dubitamus. Si fibrarum laxitas muscularium huc sola faceret; in feminis, in quibus uterus gravidus vesicam toties utrimque in latera complanat, et quibus fibrae in genere laxiores sunt, frequentius quam in viris, cum tamen contrarium obtineat (6), crumenae hoc viscus infestarent. Prostatae apud mulieres defectui, urethrae brevioris, simulque latioris majori ad calculos demittendos facilitati, ac rariori lotii retinendi, quam in viris, occasioni, hanc exceptionem tribuere, vetant innumeri tumores prostatae cum paucis vesicae hujus indolis affectionibus, frequens

(1) Medical Essays and observations, Vol VII.
(2) L. c. p. 396.
(3) *Houstet* l. c.
(4) *Nourse*, l. c. novem calculi in sex crumenis.
(5) Circa generationem crumenarum vesicalium dubius haesit celeb. *Baillie*, atque sedem illarum vel in tela cellulosa ad externam vesicae faciem esse ponit; vel illarum principium in dilatatione membranarum vesicae internarum, consistere credit. Primum illi minus verisimile videtur, quod tunicae vesicae internae, ut crumena cum vesicae cavo communicaret, suppuratio, ac tandem perforatio forent necessariae. Vid. Sammlung auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte. XX. B. S. 427.
(6) *Baillie*, l. c. S. 179.

crumenarum vesicalium absque calculis observatio, ac uberior in gravidis mulieribus, quam in viris, urinae retentio. Nec de *cystide fellea*, fibris scilicet muscularibus carente, valere haec ratio potest; in qua tamen non minus, quam in vesica urinaria, *sepimenta*, illam cystidem tam in longum, quam in latum dividentia, reperta fuerunt. A vi fibrarum muscularium vesicae densioris aucta, et majore illarum in urinas pressione has crumenas produci (1), opinio est, quae nostro saltem in aegro, cui crassior, carnosior vesica haud fuit, argumento destituitur. Si tanta calculorum in producendis his crumenis esset potentia; prae pondere illorum hi sacci aut ad cervicem, aut ad partem posteriorem, non vero sat saepe supremum, vel anteriorem vesicae ad parietem, quo calculi aut non assurgunt, aut certe non premunt, haererent crumenae. Neque argumentum ex calculis his in crumenis repertis, ut in quos fortuito incidere, aut in quibus, jam praeviis, nasci potuerunt, majus erit.

Praeter *congenitam* certarum vesicarum hunc in morbum *dispositionem*, credimus igitur, vel in fibris illarum quibusdam, *partiali paralysi* affectis, vel in textus *cellulosi* his fibris intermedii *destructione*, vel saltem in istius *repletione*, *extensione laterali* per materiam lymphaticam, puriformem, sub phlogosi vesicae in tremulam ac facile extensilem gelatinam hîc depositam, causam morbi de quo agimus, sicut quondam de generatione multorum *aneurysmatum* insinuavimus (*Epitomes* lib. V. P. II. §. DLXXI. p. 196.) esse quaerendam. Quod si occasionalibus hisce sub conditionibus diuturna majorque urinarum retentio accedat; facilis sane erit divergens fibrarum aut resolutarum, aut nullo cum vicinis nexu instructarum, ut molliore, facile cedente materia ultra quam par est divisarum, discessio. Constat nempe, fibras vesicae musculares, sub morboso earum incremento, non ut caeteras musculorum strenue exercitorum fibras, rubere magis; sed potius *albescere*, ac tendinum colorem simulare. Auditor quoque noster, quem supra

(1) Id. ibid.

laudavimus (1), dum experimentum cum vesica urinali, crassioribus, a calculi irritatione, fibris muscularibus instructa, ope *macerationis* instituisset, vidit illas colorem in aqua partim deposuisse, et materiam, quae fibras novas quasi creasse visa erat, in tomentosam, ac *cellulosae* similem telam abivisse.

Quod si igitur supponamus, presbyterum nostrum, a tumore prostatae glandulae scirrhosae multum adaucto, et, quod modo a morte ejus percepimus, ab haematuria correptum, quin de his unquam mentionem facere voluisset, urinae retentionibus aliquoties in vita fuisse subjectum; nisi congenita forsitan ad illius vesicam dispositio rem sola jam explicet, superaddita vel huic, vel resolutioni fibrarum quarundam vesicalium, vel praegressae in viis urinalibus phlogosi, et interpositae fibris vesicae muscularibus materiae puriformi necdum solidiori, et extensione vesicae facilius cedenti, *ischuria*, nodum hunc difficilem solveret. *Tres* in viventis aegri abdomine *tumores*, — in ejus vero cadavere modo *duos* comparuisse, id nos ita nobis explicuimus: quod compressum in dextris a tumore vesicae intestinum colon ascendens, flatus et stercora in *coeco*, inferiore sibi intestino, per hos ipsos extenso, coërcuerit.

LIII. *Altera vesica urinalis in crumenas extensa.*

Duodecim circiter annorum puer rusticus, brevi tempore post suum in nosodochium *Ticinense* adventum, ex morbo nobis ignoto defunctus, et ad amphitheatrum anatomicum delatus, sub sectione cadaveris vesicam exhibuit. Prima hoc in viscere morbi, quem praecedenti in exemplo descripsimus, rudimenta, crumenae scilicet minores, inter fibras vesicae musculares prominentes; sed post urinae effluxum in medio collapsae, se offerunt. Ex minoribus protuberantiis plures, et, ut putamus, ortu posteriores, verrucarum fere formam agnoscunt, nec ad apicem collapsae comparent. Calculus in vesicae cavo libere fluctuans simul repertus fuit, qui, etsi vix nucem juglandem adae-

(1) D. *Dell' ù*, vid. observ. de vesica urinaria cordis figuram habitumque aemulante.

quans, grandior sane, quam ut a majore etiam illius crumena contineri, atque illam sic produxisse potuisset. Prostata glandula hîc aequo major non fuit; nec abinde certe obstaculum excernendae urinae poni potuit. Nec tanta fuit vesicae in cadavere expansio, ut ex urinarum retentione mortem pueri vênisse credi queat. Calculus hac in vesica contentus, cervici ejusdem interdum admoveri, ac urinae sic effluxum praepedire, hinc fibras vesicae musculares ad fortiorem in urinas contractionem stimulare potuit; sed ex hac actione tot crumenas, in suprema adeo cystidis parte, venisse, ex eo non videtur probabile, quod fibrae musculares irritatae et contractae, minus a se ipsis dehiscant, ac firmiorem tunicae vesicae internae quam ut haec inter illas suscipi, ac extrorsum protrudi queat, obicem ponant. Concludimus igitur, quod (cum nec prostata glandula, nec ipse calculus inculpari hîc potuerint, et cum hae crumenae jam saepius absque calculis ad vesicas observatae fuerint) saccorum vesicae externorum, ex solis tunicis hujus visceris villosa et nervosa constantium origo, plerisque saltem in casibus, a congenita vesicae in certis locis inertia, fibrarumque ejus muscularium hinc illinc aut defectu aut laxitate, paresi, magis, quam ex causa quacunque alia, si retentionis lotii diuturnae occasionem excipiamus, derivanda sit.

LIV. *Vesica urinaria, in cava duo divisa.*

Provectae vir aetatis nosocomium civitatis *Cremensis*, paucis ante mortem diebus, emaciatus, et a febre lenta consumptus, accessit. Sub abdominis exploratione, tumor, super osse pubis ad umbilicum usque extensus percipiebatur. Duplex hic tumor erat, utrimque fluctuans et a linea alba quasi in medio divisus. Postquam aeger urinas excrevisset, subsidebant quidem hi tumores; ast aliquis ad anteriorem eorum faciem tumor mollis tactui se obtulit. Post ea, quae celebris *Troja* de morbis vesicae tradiderat, hoc viscus scilicet vel per sepimentum in longum decurrens, vel per vallum, ex adplicitis sibi mutuo duarum vesicarum parietibus constructum, duas interdum in cavea, ad exemplum cystidis in Actis R. Academiae

chirurgorum T. IV. p. 62 descriptae, dividi; non obscura morbi diagnosis esse potuit. Interrogato aegro: » num in sua juventute hunc ad locum dolores acutos persenserit? an difficulter, an vero cum ardore urinam reddiderit? an sibi quandoque lotium perfecte fuerit suppressum? an sub statu praesente, antequam mingeret, compressione quadam indigeret? » — » facilem sibi semper urinae excretionem fuisse, ac adhucdum superesse, » respondit. Quo tamen hujus assertionis veritatem ipsemet cognoscerem, urinae excretioni praesens esse volui, ac urinas ab aegro, pleno flumine, ad ultimam usque guttulam, absque omni labore expelli, conspexi.

Sectio cadaveris.

Postquam fatis aeger cessisset, cadaveris sectionem fieri imperavi. Etsi vero rem tanti momenti chirurgo nosocomii enixe commendassem; ille tamen, vesicam hanc, ubi recte de illa judicassem, a me velle conservari inscius, non debitam in eadem exscindenda curam adhibuit.

Carolus Pinaroli, M. D. Medicus Civitatis *Cremensis* expertissimus, hanc nobis observationem, pro sua in nos amicitia, communicavit die 28 mensis martii 1792, ut cujus objectum ad museum *Ticinense* pathologicum deposuimus.

Plura vesicarum, per proprium sepimentum a fundo ad cervicem, — aliqua transversim, divisarum, — quidquod tripartitae adeo vesicae, exempla habentur; atque huic fabricae abnormi, non minus, quam illi, quae *crumenas* laterales offert, numerum vesicarum uni homini concessarum, ut volunt, majorem, plerumque saltem attribues (1). In dicta vesica, parietem ambobus saccis, profunde divisis, intermedium sat brevem, per digitos exterius, et per specillum interius distinguimus. Cuivis sacco, ureter unus inseritur, qui unam modo, non duplicem vesicam esse ostendunt. Ad aetatem provectam venisse aegrum hac abnormi vesica instructum,

(1) Plurium vesicarum, uno in homine observatarum, collectionem dedit *Voigtel*, Handbuch der pathol. Anatomie 3. B. p. 234 — 236.

nec ullum eundem ab ista salutis incommodum persensisse, legimus. Quantum interim intersit, hanc abnormem hominis cystidem non praetervideri, ex casu, quo *calculus* ex illa; per sectionem extrahendus foret, sat clare elucet. Quodsi vero urinae retentio cum tumore hypogastricae regionis, in tali homine, vesicae punctionem sibi requireret; haec autem perforatio, propter magnum prostatae tumorem, per anum fieri nequiret; in medio saltem tumorum sibi aequalium, quo loco sepimentum nostro in casu haesit, peracta operatio, vesicam nisi dimidiam deplcret; sed in parte laterali, non sine laesionis arteriae hypogastricae discrimine, instituta, mox aequalem sibi in parte altera exigeret. In casu a *Fothergillio* descripto, vesica viri sexagenarii urinalis, per membranam transversim tensam, duas in partes divisa fuit; haec vero membrana per foramen, quod minorem digitum admisit, cum utraque vesicae camera communionem aluit (1). Non eadem interim in aliis vesicae sepimentis constitutio detecta fuit; et quae urinas ex uno cystidis cavo eduxisset, alterum intactum reliquisset, operatio. Catheter vesicae, sub duplici hypogastrii tumore, mature satis immissus, num utrumque illius cavum a lotio educto subsideat, num vero unum ab isto turgere continuet, docebit; in casu vero quo fistula in vesicam ferri non possat, hoc etiam diagnosis deficiente subsidio, solius ope tactus, num compresso uno tumore, alter magis tensus elevetur et vicissim, de communicatione cavorum vesicae vel praesente, vel absente, foret judicandum. In casu vesicae transversim divisae, ex *Ashii* observatione, *Baillieo* relato, superior vesicae cavitas globosum super pube tumorem efformaverat, ex quo, per catheterem modo paucae urinae unciae, tumore sic parum subsidente, educi potuerant. Sub erecta vero aegri positione, lotium interdum absque voluntatis imperio, magna co-

(1) Memoirs of the medical Society of London, Vol. I. No. III. p. 201. Similem fere casum jam descripserat *Gerardus Blasius*, in observationibus medicis rarioribus, Part. IV. Ob. VIII. p. 59. Recentiorem hujus indolis observationem, a Doctore *Ash* sibi communicatam, refert *Baillie*. Vid. Sammlung auserles. Abhandl. f. pr. Aerzte. XX. B S. 427.

pia, tumore pro tempore imminuto, secedebat. Sectio cadaveris, officium sepimenti pridem cum utroque vesicae cavo communicans, vix non integrum obliteratum exhibuit. Transversae igitur divisionis vesicae diagnosin Vir hic celebris in tumore super pube conspicuo, atque circumscripto ponit: sub quo tumore parcior urinae quantitas, quam sanis, cum pauca illius subsidentia, secedat, vel ab ipso siphone subduci queat; dum interim, sub mutata aegri positione, urina sponte, vel plurima sequatur, ac vesicae moles morbosa, donec ea de novo repleatur, dispareat. Divisionem vesicae urinalis in duo cava, *Baillieus* vel ex internae tunicae cystidis excrescentia in sepimentum continuata, vel ex contractione fibrarum transversarum *permanente* derivat. Haecce contractio, cum spasmodica ac temporaria uteri, in medio sui, ad figuram *horologii arenarii*, constrictione conspirat (1).

LV. *Scirrhus vesicularum seminalium.*

Scientiae medicae lacunas, quas explere pro voto impedimur, saltem, donec facilior ad eas aditus pateat, exsiccare, jam satis est. Impenetrabile ingenio humano generationis negotium, ob limites quos illi Natura posuit, maneat nobis incognitum! modo morbos organorum, quibus suum ad opus haec utitur, eorum modo phaenomena, origines, medendique rationem intelligi nobis liceat, et minus aspera nos premat necessitas ignorantiae. Sed, si modo utriusque sexus organa genitalia, quorum usus nec brutis animalibus incognitus est, excipias, de quibusdam aliis sat parum, de penitioribus vero nihil, quod insulsas hypotheses non oleat, perspicimus. Non mirum igitur, quod tanta physiologiae paupertas, in pathologia pauperiorem se filiam agnoscat; et quod, ut non nisi de morbis virilium loquamur, nec receptaculi quidem humano semini dicati vitia a longe nobis perspecta sint. Dimidiam illius partem, sub vasis deferentis, tunc largioris, supplemento, defuisse, — ostia ejusdem caecutiisse, — utriusque ve-

(1) De tali uteri constrictione jam egimus in oratione academica, *de utero placentam incarcerante.*

siculae, aut saltem unius ex istis, capacitatem praescriptam defuisse, — parietes illarum osseas hinc inde particulas concepisse, — infarctu easdem scrophuloso laborasse, — ex partium vicinarum incendio deflagrasse, aut in tabum purulentum abivisse, — haec quidem vel uno modo, vel altero exemplo edocti fuimus; sed quibus sub signis, huic modo organo propriis, hi morbi incesserint, id sane vel exercitatissimos in arte viros latet. A *scirrho* quoque vesiculas seminales posse corripi, unico modo, quod sciamus, apud *Morgagnum* exemplo constat: ut qui unius modo lateris vesiculam, ac vasis deferentis, huic contigui, partem, duriores ac vix non cartilagineas fuisse commemorat (1); quin hujus generis, summa vel *Bailliei*, vel *Soemmerringii* experientia quidquam his addiderit. Totius quidem receptaculi seminiferi scirrhum praegrandem, sed nulla cura e cadavere exsectum, et (quod magis dolemus) absque morbi historia nobis aliunde oblatum, museo pathologico *Ticinensi*, — unicum scilicet ut longae catenae annulum, etsi mancum ac rubigine obductum, talem tamen, cui aliorum solertia saniorem quondam utiliter adnectat, commisimus.

Ex his apparet, scirrhum vesicularum seminalium, cum scirrho prostatae simulac parietum vesicae cum aucta crassitie incessisse; atque hinc, probabili ratione, dictas vesiculas ex vicina morbosa magis, quam ex affectione propria primum induruisse, ac sortem cum prostata, cum qua intimius intricatae sunt, communem subivisse. Vesicae urinariae, etsi vacuae, non tamen collapsae, satisque extensae figura, de parietum hujus visceris non modo crassitie aucta, sed quoque de indole eorum vix non cartilaginea, testantur. Etsi vero prostatae tumores omnis generis, et qui pelvis cavum vix non omne impleverint, viderimus; nunquam tamen illos in vesiculas seminales aliter, quam easdem comprimendo ac obliterando, egisse conspeximus. Caeterum, sub tanta horum receptaculorum cum prostatae scirrho implicatione, specifica tamen eorundem, ac intestinulorum gyris similis quasi in-

(1) De sed. et caus. morb. Epist. XLVI. Art. 5.

flexio, sicut separatio a glandula prostata, adhuc satis conspicuae sunt. Vesicularum simul positio, sicut in casu a *Baillieo* descripto (1), altior est.

LVI. *Scirrhus prostatae in vesicam prominens.*

Carolus *Cassani*, ex Zeccone, rusticus, annorum 78, vir bibax, jam ab anno dysuria cum dolore ad glandem afficitur. Ab octodecim diebus ischuria perfecta, cum frequentibus ac dolore plenis mingendi conatibus, laborat. Vesica, cum aeger *die* 24*a* mensis martii 1793 nosocomium *Ticinense* petiisset, pyriformis, extensa super pube tactu percipitur, nec tamen ab isto dolorem significat. Febris nulla observatur. Extrahitur ope catheteris urina, decoctum althaeae pro potu, fotus regioni hypogastricae emollientes, primo vero balneum tepidum, praescribuntur. Ob aliquem oris amarorem, alvique lentorem, pulpa tamarindorum in sero lactis soluta propinatur. Continuatur aliquamdiu in istis. Urina bis terve in die extrahitur. Tandem superaccedunt singula *cystidis* symptomata; ob summos supra pubem dolores in ejulatus rapitur aeger; maxima adest anxietas, jactatio; pulsus contracti sunt, lingua arida, alvus arida, facies collapsa. Venaesectiones aliquot instituuntur, applicantur hirudines. Sanguis per illas detractus, denso semper corio obducitur. Continuantur demulcentia, balnea, fotus; clysteres parva dosi frequenter injiciuntur. *Die* interim 31*a* martii miser fato cessit senex.

Sectio cadaveris.

Vesica cum urethra et pene simul e cadavere extractis, ut penitiora vesicae paterent, sectio longitudinalis, primum satis parva, in parte ejus antica instituta fuit. Tumor illico ovalis, nucis avellanae magnitudinem aequans, levissimus, scirrhoideus, tantillum mobilis, in vesicam prominens, retro istius ostium, prope ejusdem in urethram ingressum, in conspectum prodiit. Hunc tumorem quaquaversum examinando, illum prostatae glandulae simul insigniter tumentis, retro vesicam alte ascendentis, ac scirrhosae partem

(1) A series of Engravings etc. fascic. 7 Plate I. fig. 2.

esse comparuit. Catheter introductus, viam in vesicam facile inveniebat, tumore illo retroposito id minime praepediente, sed pauxillum cedente; ast vero cathetere retracto, urethrae ostium hermetice occludebatur. Incisione per omnem vesicae faciem anteriorem in longum aucta, hujus visceris parietes crassiores reperti fuerunt. In postica vesicae parte, quoad imum ejus fundum, colore haec atro-rubente, ac vere gangraenoso erat depicta.

Epicrisis.

Ad virum doctissimum, ac in cadaverum perlustrationibus pathologicis maxime sedulum, *Joannem De Felici*, M. D. et musei pathologici *Ticinensis*, cui haec vesica morbosa commissa fuit, custodem, haec morbi et sectionis historia pertinet.

Non quidem rara sunt tumorum prostatae maximorum, in ipsum etiam vesicae cavum prominentium exempla; neque ob id, rei sat communis descriptionem, hîc tradi conveniret, nisi pars hujus glandulae schirrosa tumorem ad ipsum vesicae ostium, qui *valvulae* quasi officio fungebatur, constituisset. Sub tanto prostatae tumore scirrhoso, difficilima vix non semper, aut, et prorsus impossibilis, catheteris introductio est; adducto vero in casu, facilis haec erat et quavis die aliquoties instituta fuit operatio. Operculum nempe illud rotundum, impulsui siphonis cessit; hoc vero retracto, exitum urinae spontaneum, quem vesicae, tot a tumoribus oppletae, angustia frequentius sibi exegit, continuo impedivit. Cystidem in gangraenam conversam, impedita vasorum vesicae actio, ac stimulus continuus satis explicant.

LVII. *Scirrhus uteri virginei.*

Annorum triginta quatuor virgo, Cremonensis, *Elisabetha Antoniazzi,* a fluxu menstruo tardius salutata, catameniis vero posthunc modo paucis instructa, cachecticum semper habitum offerens, anno circiter vigesimo aetatis suae, menorrhagiae subjici incepit. Fluxus isti sanguinei non quidem cum impetu et copia majore contingebant, sed longius per tempus et per dies adeo viginti haud raro continuabant. Suc-

cessit languor; appetitus ciborum non quidem in integrum sublatus, sed in picam, ut vocant, et malaciam degenerabat. Praeterea moeror cum lenta febricula virginem tenebat. Sexies fere in anno fluxus ille uterinus recruduit; duobus vero annis elapsis, majoris momenti symptomata, parentes, ut medicos consulerent, induxerunt. Institutum ab his examen, uteri tumorem, doloris expertem, duobus digitis supra pubem extensum adesse, docuit. Ab adhibitis remediis meliorem aegra conditionem nacta, medicis valedixit. Brevi tempore in pristinum statum relapsa, saluti propriae prospicere neglexit, donec post annos morbus summum fastigium attigerit. Exploratio tunc instituta fuit circa uterum. Copiosus ex isto sanguis coccineus, nec foetidus proruperat. Facies aegrae summopere pallescit. Sub abdominis attactu, tumor se manifestat, ad umbilicum usque pertingens et ad ilia extensus, sinistrorsum praecipue, ubi tumor separatus, ovum gallinaceum adaequans, sub fluxu per vaginam majore, ac sub attactu dolens. Os uteri, ut quarto graviditatis mense tumentis, sursum ductum tangi non potuit. Pulsus minimi erant et celeres. Cutis calor parum a naturali distabat. Magna corporis macies, oris maxima amarities, ardor ventriculi aderant. Evacuatis cum pulpa tamarindorum et cassiae, sine impetu primarum viarum, sordibus, amaror oris ventriculique ardor cessarunt. Lenia tunc adstringentia et elixir vitrioli cum victu ex carnium jusculis, cum ovi vitello remistis praescripta fuerunt. Hac sub methodo profluvium ex utero quidquam videbatur imminui; sed febris magna aegram continuo vexabat. Ultimis decem fere diebus non sanguis sincerus, sed loturae carnis quidquam simile, pauca tamen quantitate, ex utero fluebat. Vires interim continuo magis fatiscebant. Corticis extractum cum aqua cinnamomi, aliaque remedia incassum porrecta fuerunt. Accesserunt demum stertorosa respiratio, jactatio continua, vaniloquia, pulsus minimi sed aequales; ac viginti post dies Creatori animam reddidit virgo.

Sectio cadaveris.

Vix aperto abdomine, magna moles, quatuor di-

gitis et ultra super pubem prominens, ab omento tenuissimo, pinguedinis experte, obtecta, conspectui se obtulit. Abducto omento, comparuit, hanc molem ex utero, albidissimo colore instructo, venire. Parietes hujus visceris, circa fundum, vix non membranacei, corpus uteri durum, cervix autem quasi cartilaginea et prorsus scirrhosa, os uteri dehiscens et crassius, fuerunt. Exsectus pelvi uterus, tres libras medicas cum dimidia ponderavit, digitisque compressus, quidquam fluidi continere videbatur. In cavo hujus visceris, tumor ruberrimus valde mollis, arcte uteri duriori substantiae infixus, haerebat. Vagina multo longior, quam ut per illam uterus in vivente aegra attingi potuisset, comparuit.

Epicrisis.

Non infrequens quondam sacrarum virginum morbus, tam *uberum*, quam *uteri scirrhus* fuit. Coenobiorum extra moenia, longe rarior in pura *virgine*, quam nupta, aut vidua in femina; frequentior tamen *ovariorum* scirrhosa adfectio est. Quodsi autem ob hanc solam jam rationem praesens conservari merebatur observatio; alia utique notatu digna haec in se fovent, quae breviter hîc tangimus. Sicut vitae sors longioris, brevioris; ita quoque morborum pars major *organicorum*, ut vocant, quos injuriae externae ac metastases non generant, prima sui rudimenta materno in sinu, ac primo hominis in germine nobis ponere videtur. Evolvuntur haec mala potius, quam tardius producuntur; et sua morbi similes, quos hodie ortos supponimus, sicut ipsa longaevitas, remota longe incunabula habent. Sunt forsitan haec, quae *dispositiones haereditarias*, *congenitas*, vel majorem partis corporis unius prae altera *debilitatem*, non doctiore nominum selectu, vocamus.

Tardiora primum virgini nostrae, adspectu chloroticae, menstrua, et quidem sub initio pauca, vigesimo vero jam anno non tam menstrua, quam fere continua, etsi non copiosa sanguinis ex utero profluvia fuerunt. Hucusque chloroseos magis, quam localis morbi, pro summo uteri in omne mulieri systema imperio, symptomata sistebantur. Post duos ab his

incommodis annos, scirrhi, duos digitos super pectinem prominentis gigantea vix non primordia deteguntur. Crescunt haec passu celeri, et aliquot iterum post annos jam pelvim, *vagina in longum ducta*, quod alio illustri exemplo quondam ulterius confirmabimus, exsurgunt. Quod vero carcinomati magis, quam scirrho, proprium est, febris continua et lenta virginem depascitur. Ac revera, in uteri antro intimiore jam est, qui hanc aluerit, sanguinemque impurum evomuerit, mollis, vel potius spongiosus, duriori substantiae uterinae firmiter infixus, tumor; ac jam diu fuit suspecta, versus ilia sinistrorsum pertingens, sub fluxu per vaginam majore, ac sub attactu magis dolens, durities.

Sed maxime, quod nobis prima hujus commentarioli verba expressit, *parietum uteri* circa fundum *tenuitas*, ac vix non *membranacea* constitutio est. Sic omnem uteri substantiam prae tenuitate vix chartaceam in alia muliere fuisse legimus (1). Huic forsitan structurae uteri in parte hac vel illa abnormi, frequens hujus visceris *obliquitas*, — huic non pauci *abortus*, in quavis graviditate eandem ad periodum subintrantes, — huic demum uteri hinc inde, sub moderato etiam violentiae illatae gradu contingens *ruptura*, et multa, quae eulter quondam anatomicus explicabit, uteri mala adscribenda sunt.

LVIII. *Cephalaea lethalis ex cranii vitio.*

Virgo nobilissima *Vindobonensis*, tinea capitis per plures annos infantiae laborans, per externa remedia, quorum indoles ignota mansit, hoc a morbo rebelli liberata fuit. Quibus tamen e locis, tinea quondam correptis, pili defluxerant, vel morbi, vel medicamenti effectu hoc contigerit, perpetua illa calvitie, per *areas* distincta, laborarunt. Postquam menstrua comparuissent, ob vitam sedentariam, ob varios in victu errores, et ob animi pathemata ingrata, in chlorosin haec virgo incidit; morosa tamen, ac sibimet relicta, auxilium medicum non petiit, aut un-

(1) *Hopfengärtner*, in *Hufeland's* Journal der praktischen Heilk. 1. B. S. 524. sq.

quam adhibuit. Hemicrania, ut videbatur, hysterica, frequentius tamen ex primis viis, seu stomachi vitio excitata, nec certam periodum observans, huic malo accessit. Haec igitur puella, anno 1796, crudeli cardialgia et vomitu detenta; nec tunc quidem medicam imploravit opem; post plures interim dies vel sponte denuo restituta fuit.

Die 13*a*. mensis augusti 1797, quin diaetae vitium praecessisset, et cum lingua humida ac pura, vomitum aegra ter passa est amarum, biliosum. Abdominis dolores magnos accusat. Alvus ab hesterna die clausa; febris nullum in pulsu signum est. Infusum chamomillae, clysteres, emulsio arabica et fomentatio ventris praescribuntur. Ad vesperas usque vomitus sexies et ultra recruduit, nec alvus hucusque soluta fuit. Tormina majora sunt. Praeter enemata, aqua florum chamomillae, liquor cornu cervi, et castorei tinctura propinata fuerunt. Versus noctem, continuante adhuc vomitu, quo ipsa medicamina, vix assumpta, illico rejecta fuerunt, quin pulsuum mutaretur ratio, flatus involuntarii, et magna corporis jactatio accedunt. Post horam, dolor, quasi urens, ventriculum per vices detinet. Conatus vomendi continuo premunt; ab attactu, regio epigastrica dolet. Venter interim mollis ac indolens, alvus adhuc clausa est. Vini quidquam hispanici porrigitur, et hoc solum sat diu a ventriculo non rejicitur. Mox interim vomitus recrudescit. Laudani liquidi nunc portio ingeritur cum pristinis. Balneo tepido aegra immergitur. Clysteribus, omni bihorio repetendis, electuarium, ut vocant, lenitivum superadditur. Haec interim singula, quin unico nycthemero vomitum aegra trigesies pateretur, non impediunt.

Die 14*a*. Ab hora quarta matutina, vomitus cessavit, dolorque ventriculi imminutus fuit. Venter mollis, pulsus sano similis, alvus tamen necdum soluta est. Sic diem sat bene, cum nausea quidem, sed absque vomitu, transegit. Alvus ad noctem parce satis deponitur.

Die 15*a*. Somno aegra gavisa est, et alvum tandem, a sana non alienam, deposuit. Nausea disparuit. Sequentibus diebus, res bene incedunt. Elixir stoma-

chicum praescribitur, et pauco satis tempore sanitas, quali nempe antea, satis fragili, fruebatur, restituta fuit.

Atqui hoc toto in morbi decursu, nihil, quod ab insultu feminis hystericis sat communi abluserit, hucusque observatum fuit. Ast vero, trium fere mensium spatio, haec eadem affectio, *octies*, — nunquam tamen absque commisso in diaeta errore, recruduit.

Tandem die *quinta novembris* ejusdem anni, post commestas dauci hortensis radices, ad noctem, in vomitum enormem incidit virgo. Atrocissima simul cephalaea eandem divexat. Jactatio, anxietas insignis, facies mutata, affines et medicum consternunt. Sub tantis a morbo angustiis, aegra caput suum cum vertice super stragula, caetero corpore profundius, ponit, atque hoc a situ doloris quoddam levamen persentit; mox tamen, non sine convulsionibus, hanc positionem, alte exclamans, deserit, eandem mox interum desperabunda arripit.

Die 6*a*, cum et vomitus, et crudelis illa cephalaea nil remitterent, aliorum consilium medicorum nobis ipsis suadentibus, imploratum fuit. Eo ipso momento, horrenda aegram convulsio invasit. Vitium in calvaria organicum subesse subolfecimus; in volatilibus tamen et, ut vocant, antispasmodicis remediis continuandum esse conclusum fuit. Rediit quidem aegra ex tantis, quae mortis tunc jam pericula indicabant, convulsionibus; sed ad noctem, hae denuo virginem conquassant; et sic alternis vicibus cum dolore ad caput tremendo eandem dilaniant. Vertici nunc longius in tempus, corpore quasi inverso, incumbit frequentius aegra; vomitus crebrior cum viridissimae materiae rejectione, his aerumnis, per mortem demum, quasi apoplecticam, *die decima* novembris terminandis, accedit.

Sectio cadaveris.

Cadaver maculis lividi coloris, hinc illinc dispersis notatum est. Aperto cranio, vasa cerebri quidquam turgida, nulla tamen inflammationis vestigia vel ipso in cerebro, vel in ejus membranis comparent. In po-

steriore processus falciformis magni regione, ubi inter lamellas durae matris sinus longitudinalis decurrit, in ipsa hujus membranae substantia, particula ossea, duas circiter lineas longa, et acuta, reperitur. Sublevatis cerebri anterioris lobis, *sellae turcicae lamina* posterior, perpendicularis dicta, dura matre, quae huic ossi periostium est, penitus privata, ad attactum aspera, et *corrosa*, pars vero encephali huic regioni respondens, suggillata observantur. Cerebrum sano longe mollius et flaccidius est. In ipsa demum calvariae superficie interna, versus suturam frontalem, adhuc conspicuam, praecipue ad partem sinistram, eminentiae seu *excrescentiae osseae peracutae* durissimae, lineas aliquot longae, quae spinarum adinstar cerebrum pungendo suggillaverant, in conspectum cadebant.

Epicrisis.

Quam atroci capitis, aut universi, aut in parte una vel altera, dolori feminae inprimis chloroticae, hystericae, nunc fere perpetuo, nunc periodico, nunc vago, subjectae sint, fugit neminem. Causarum, quae cephalaeas innumerae producunt, etsi non immemores, eam tamen, quae nostrae caput virginis affligebat, vel nervorum turbis, vel primis viis, toties ab aegra omni ciborum genere obrutis, eo magis adscripsimus, quod, nulla encephali functione perturbata, post unum alterumve diem dolor omnis dispareret; ac novae accessionis ratio, semper, aut in animi pathemate, aut in diaetae vitiis ponenda videretur. Nec menstrua, quae rite semper fluebant, uteri forsitan culpam huic malo subesse indicabant. Accessionum tum frequentia, tum major indies saevitia, suspicionem quidem nobis, ne *tinea*, multis retro ab annis praepostere sanata, tantorum partem malorum haberet, — non sufficientem tamen, quo methodum medendi huic superstrueremus dubio, suggessit. Hoc interim dubium sub ultima dolorum invasione ac indole, ad majores certe probabilitatis gradum apud nos evectum est; nec alia tum celebris *Stoerkii*, tum expertissimi, ac amici nobis Viri, *Closseti*, ad consilium accersitorum, opinio fuit. Capitis praecipue in verticem, praedilecta

acgra, positio, doloris aliquod, sub hac, levamen, vomitus continui, et convulsiones quasi epilepticae; esse aliquid profundo in cranio, quod encephalum stimularet, ac sub inverso capite minus in hoc ageret, indicare videbantur; sed breve satis a tali suspicione, ad mortem, intervallum fuit; nec si anterior quoque fuisset cognitio, quid huic vitio organico prudenter opponi posset, ea nos docuisset. Nimis interim, ut sectionis historia docet, hoc ipsum confirmatum fuit. Non desunt certe, prout in *Epitome*, suo loco, exposuimus, cephalaeae dirissimae, ex diversis impetiginibus, inprimis ad caput, praepostere sanatis, ex ossiculis in dura meninge, in processu ejus falciformi, vel ipso adeo in cerebro repertis, vel cranii ex carie, vel spinosis excrescentiis, inductae, ac lethalis exempla (1); sed tantas his a causis inducias, tantam sub istis functionum cerebri libertatem aegris concessas fuisse, si tamen ea vitia organica excipias quae, nullum unquam aut dolorem, aut aliud quodcunque symptoma excitantia, ad mortem usque in calvaria latuerunt, rarissimum est. Qua ratione, capitis in verticem positio dolores aegrae quidquam saltem mitigaverit, sub constante calvariae suo a viscere repletione, perarduum est dicere; est tamen aliqua massae cerebrinae, in basin cranii ponderantis, sub eo situ corporis, sublevatio, et quam breve illa solatium virgini concesserit, jam diximus.

LIX. *De diabete adnotatio.*

Diabetis historiam atque indolem, ubicunque locorum artem medicam per quadraginta quinque fere annos exercuimus, pro viribus prosecuti sumus; et prout in *Epitomes* L. V. P. I. §. CDLXXVII. monuimus, « eundem scilicet frequentius, quam cum aliis « non ita pridem nos ipsi credebamus, ubique locorum occurrere, et a medicis in urinae *quantitatem*, « aut *saporem* haud satis attentis, non semel non « adverti; » ita eundem, praeter rheuanas Germaniae provincias atque Italiam, et in Austria, et in

(1) Plura collegit *G. G. Ploucquet*, Literatura medica digesta, T. I. p. 214. 215. 217, 218.

Russia vegetare reperimus. Viennam scilicet anno 1795 ex Italia a Caesare accersiti, a medico practico tunc ibi praecipuo, etsi per novem lustra et ultra, millenos inter aegros versato, sibi nunquam diabetem oblatum esse, admirantes percipimus; decem tamen annorum spatio in illa metropoli quater, in Russiae vero Imperio bis observavimus. Cum igitur et *Galenus* testetur, modo duo sibi diabetis exempla occurrisse; cum *Aretaeus*, diabeten « miraculum nominet haud ita saepius hominibus usitatum; » cum arabus medicus *Rabbi Moyses*, se, in occidentalibus, diabeten nunquam, — in calidis vero regionibus, saepius, ac in Aegypto, decem intervallo annorum, vigesies conspexisse referat; cum, inter recentiores, *Astruecius* in praegrandi Parisiorum Metropoli hunc morbum nunquam observare potuerit; quando *Cullenius*, in Scotia, viginti diabetis specimina vidit; et quando *Cohausenius* monuit, se diabetem in senescentibus hominibus non infrequenter vidisse, atque saepe contigere, ut viri et mulieres obesiores, sub insolita excretione urinae, vel lente, vel subito, alia sine causa evidente contabescant; fateri sane oportet, medicorum observationes et hac in re non parum inter se repugnare.

Recte igitur *Pissinius*, qui octo veri diabetis exempla in Italia habuit, « jure, inquit, dubitare licet, « vel non raram esse diabeticam affectionem, vel quam « diabeticam esse nonnulli sunt arbitrati, non esse « diabeticam. An vero affectionum similitudo scribentium aliquos deceperit, an potius nova quaepiam « coeli constitutio, vel victus ratio id nostris temporibus frequentius excitaverit, incertum est (1). » Sic et *van der Haar*, de suo aevo non tam rarum fore diabetem, si medici diligentius in urinae quantitatem inquirerent, admonuit (2).

Facile interim concedimus, ante tempora *Willisii*, qui primus melleam urinarum in illo indolem observavit, nec non ante *Homii*, *Dobsonii*, ac demum

(1) In libro inter nos raro: *Sebastiani Pissini*, medici Lucensis patritii, Dissert. de diabete. Mediol. 1654. p. 27. 8. 9.
(2) V. Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte, B. VIII. S. 41.

ante chemicorum recentium labores, vel quascunque fere lotii secretiones solitis multo uberiores, haud paucis pro diabete imposuisse; vel ante *Cawleyi* de *diabete decipiente* experimenta, eumdem hunc morbum non alibi, quam ubi urinarum multitudo exorbitans, tabes, ac sitis asperior, medicorum attentionem fortius succusserint, in suspicionem venisse. Etsi vero nostris temporibus lux diabeti non exigua accesserit; paucas tamen, quas hic inserimus, observationes non inutiles fore censemus.

LX. *Diabetes mellitus, periodum annuam observans, gravissimus.*

Dominicus Gemelli, 36 annum agens, textor, jam a primis aetatis suae annis coeperat glandularum colli tumoribus affici, nec non frequentibus admodum narium haemorrhagiis laborare; quod quidem primum constitutionis vitium, ad annum aetatis decimum octavum prorsus disparuit, ita ut aeger, corpus sensim sensimque robustissimum nactus, optimo frueretur habitu; alterum vero, epistaxis nempe, ad hanc usque fere diem continuat. Largissimas siquidem narium haemorrhagias et adeo frequentes patitur, ut modo ter quaterve in hebdomada, modo bis, ter quotidie eaedem compareant, ac modo ad aliquot uncias, modo ad plures etiam libras ascendant. Haec a prima pueritia, ad annum aetatis trigesimum aequali fere tenore repetunt; nec ulla haec vel praecedunt, vel sequuntur morbosa phaenomena; caput enim hac in rerum positione semper est liberum, debilitas nulla est; quidquod viribus sat notabilibus polleat, et facie continuo gaudeat florida optimoque colore instructa. A viginti autem circiter annis, et tertium huic viro superaccedit phaenomenon: quavis scilicet die, mox a pastu, carbonis veluti accensi ac urentis sensus, a scrobiculo cordis incipiens, gradatim per thoracem ascendens, qui sensus flammae instar ubique expanditur, summe molestus hominem angit, exercuciat. Salivatio nunc plurima exoritur; cogitur exinde textoris a munere abstinere; et vel aliquot mox gressus aeger instituit, vel frigidam affatim haurit, ut ustionis in pectore sensum exstinguat. Nullum vero certius

auxilium experitur, quam ex *decubitu*; vix enim lecto sternitur, ibique per horulam quietus degit, cum, prorsus restitutus, mox proprium ad munus accedat. Per viginti sic annos quotide redit haec affectio; eandem constanter horam observat, post duas scilicet meridiano a pastu horas, et post totidem a coena, plus minus fortis, pro ingesti cibi natura, prout facilius hic, vel difficilius erat subigendus; et post horam, penitus hae turbae disparent. Hisce accedit et altera affectio; nimirum jam a quinquennio faeces millenis vermiculis (ascaridibus) pollicaribus remistas aeger observat, et insuper pruritum, tenesmum vel inanes desidendi conatus ad anum experitur; unde bis terque factum est, ut haemorrhoides aegro mucosae moverentur. Caeterum, quamvis ille bis omnibus premeretur incommodis, robustus tamen, pinguis, hilarisque, propriis textoris muneribus intererat, noctes transigebat placidissimas, et, uno verbo, bene valebat.

Ast a duobus annis quatuorve mensibus, insuetum, ac pene prodigiosum vermiculorum, aliis quidquam magis extensorum, et pollicis longitudinem referentium, glomerem, aquae simplici commistum, per anum rejicit. Obstupuit aeger, dumque haec miratur, *sitire* se practer morem, atque os sibi humoribus privari percipit; salivam mox albidam, viscidam, spumosamque fieri, perinde ac in siti, animadvertit; quare semel et iterum plures frigidae cyathos haurit. Dies hic festivus erat, et ut mos est apud ruricolas, omnes in unum conveniunt, ut lusus inter et pocula, dici solemnitatem celebrent. Sic et ipse amici domum petierat, ut reliquam diei partem cum isto transigeret. Hic vero acrior insurgit magisque molesta sitis; quare amico hanc rem insolitam exponit, et potulenta enixe efflagitat. Amicus ille, vetusti dolium adhuc integrum sibi superesse Falerni refert; hoc, ad illius sitim exstinguendam aptissimum, encomiis extollit, et amicum ad cellam invitat. Cum pluribus pateris, ac haustu multoties repetito aeger sitim ita fallere tentat. Ad suos redux, iterum iterumque sitim redire observat. Noctu haec ardentior insurgit. Omni fere momento aeger sitibundus a somno excitatur, et ut

surgat aquasque hauriat, cogitur; quod equidem phaenomenon; cum post tres vel quatuor dies augeri vidisset: sitellam aqua repletam lectulo apposuit, atque hanc, spatio nycthemeri, potando deplevit.

Mox vero a primo sitis morbosae sensu comparente, *urina*, quae antehac modice fluxerat; summopere *adaucta* fuit, ita, ut omni momento ejusdem excernendae urgeret necessitas. Hisce se comites addunt *fames*, ac *debilitas*. Senserat scilicet aeger, jam a mali principio, appetitum ciborum sibi adeo increvisse, ut dupla vix sufficeret ferculorum quantitas. Senserat idem adeo sibi vires sufflaminari, ut laboribus textoriis longe minus esset idoneus. Post duos jam menses ad acmen morbus pervenerat. Sitis enim tunc erat ardentissima, nullo amplius potu fallenda. Si quid aeger a potu abstineret; vel ne biberet, ab amicis cogeretur; tanta mox et linguae et oris exorta est siccitas, ut vox ipsa fere faucibus haereret, et intolerabilis aegro sensatio, potum ipsi extorqueret. Nulla hactenus et potulentorum ingurgitatorum, et urinae excretae, mensura instituta fuit. Sin autem vel pauco temporis intervallo aeger a mejendo abstineret; vesica mox illi e pelvi assurgit, hypogastrium intumescit, extenditur. Inter haec symptomata, *cutis* semper aegro fuit aridissima; nec ille, se vel levem sub hoc temporis tractu sudatiunculam expertum esse, reminiscitur. Hisce insuper accedunt pigritia insolita, inertia fere continua. Vix aëri aeger exponitur, mox leviter ille intorrescit. Tristis adeo et morosus, ex hilari, ut adstantium colloquia vix perferret, evadit. Corpus quoque *emaciatur* et contabescit; extenuantur artus et arescunt. Numerari jam costae queunt, et claviculae, et dorsi spinae protuberant. Exstant ubique venae, et cutis, corii instar, quamvis squamis nullibi obtecta, condensatur. Collabuntur tempora, omnisque corporis habitus adeo gracilescit, ut nihil ex eo, praeter cutim et ossa, supersit, ac *vera carnium* adsit *et membrorum in urinam colliquatio*.

Jam a primo sitis ingressu, ardoris molesta illa ad pectus sensatio disparuit, atque, illius loco, mox a pastu, insigne *pondus ad ventriculi regionem*, corpus

summa vi inferius trahens, persentitur. Nec potest aeger diutius erectus consistere; sed lecto commissus, hoc sensu morboso liberatur ille in totum. Narium consuetum cruoris profluvium, mox a prima siti morbosa, parcius simul ac rarius fuit redditum, tandem vero prorsus obmutuit. Quidquod cum fervidissimus antehac fuisset et in castris venereis non imbellis miles, nullam nunc penis erectionem, nullam liquoris seminalis excretionem, vel ab ipsa veneris praesentia, obtinet, unde matrimonio prorsus ineptus evadit.

Rebus ita constitutis, chirurgum loci aeger consulit. Venam hic tundendam esse credidit. Aucto vero mox morbo, ad lactis cum aqua remisti usum, mentem miser convertit, atque pro potu ordinario eidem indulget. Per tres fere menses in istis continuat; cum vero sitis eodem tenore incederet: medicum loci aeger in auxilium accersit, qui cassiae pulpam isti praescribit. Nullum haec effectum exhibuit. Per longam igitur temporis moram, omni aeger medicorum consilio renunciat. Tandem, aucta indies macies pultem ex farina tritici paratam, dein panem lacte maceratum, nasturtium aquaticum, postremo iterum lac aquae commistum, consulunt: quibus singulis per menses aliquot, lacte vero integram per hiemem, adhibitis, nullum morbi levamen obtinetur.

Duos sic annos aeger transigit, siti, fame, urina, cutis ariditate ac debilitate iisdem semper persistentibus; quamvis pro varia tempestate coelique mutatione, varios quoque hic gradus agnoverit. Aestivo siquidem tempore observat aeger, sitim sibi adeo imminui, ut dimidia potus quantitas sufficiat; famem, e contra, atque debilitatem summopere augeri: accedente autumno, sitim denuo increscere, fame debilitateque tantillum imminutis. Observat idem, quod, ubi coeli mutatio instat, ac nubes pluvias collectae minantur, aucta tunc siti, dupla fere aquae quantitate indigeat. Nec una eademque die, omnibus aeque horis, sitis eadem urget; haec enim matutinas ad horas, minor, — post prandium, major, — ad noctem vero, maxima constanter esse solet.

Ante binos menses, dum caetera eodem in gradu persisterent, vel sponte *duae pustulae*, una utrimque

ad coxas, ortae sunt, gradatim auctae, ardentes, dolentes, tandemque in ulcus apertae. Plura ulcera similia per coxas serpunt, ac pus quotidie copiosum fundunt. Tunc nosodochium *Ticinense* petit aeger, ac praeter dicta symptomata, somnolentiam quidem manifestat; sed oculos vix claudit, cum crudelis hanc potus necessitas mox omnem interrumpit; ut raro per horulam, rarissime per bihorium, aeger obdormiat. Alvus interea quotidie excernitur, vel saltem alternis diebus cum vermibus descriptis deponitur.

Pulsus mane tardi, et fere naturales sunt; vespere, constanter, cum calore cutis quidquam aucto, frequentiores ac pleniusculi reperiuntur. Epistaxis ab anno cum dimidio non amplius comparuit. Debilitas tanta est, ut pedibus aeger insistere nequeat, nec sellam perforatam adire, nisi sustentatus, possit. *Sapor urinarum* evidenter *subdulcis* reperitur; color vero limpidus, ex pallido serosus, vel stramineus detegitur. Matutinis horis, lotium parcum, vespere copiosius, ad noctem abundantius fluit; quo in puncto et sitis et urinae inter se correspondent. In matula per diem relictae, hae *nec* ullum *sedimentum* deponunt, *nec foetorem* quemcunque spargunt, sed incorruptae eodem in statu permanent. Omnis in nosocomio cura, ab egregio chirurgo, in eo, ut ulcera sanaret, posita fuit. Cum vero aegri vires tam urinae quam puris evacuationibus frangerentur magis indies, cautior eidem victus concessus fuit. Tali pacto tractato aegro, ulcera, promptissime in melius mutata, pus bonae notae ac parcius dederunt; illa vero lateris sinistri clausa fuerunt. *Die* mensis aprilis 17a ann. 1791 ad Institutum clinicum aeger admissus fuit.

Die 18a mane, vix *quatuor*, — ad vesperas *novem*, ad noctem vero *tredecim* aquae libras aeger potavit. Urinarum fere eadem quantitas excreta fuit. Nec autem istarum tam frequens, quam credi potuisset, evacuatio contigit: relaxato enim vesicae sphinctere, absque omni ardore, ad integram fere matulam lotium excerni solebat. Hodie insolitam aeger vertiginem accusat. Ad anum, pruritu insigni, tumore ac dolore simul tentatur; flatulentiae quoque, ut quibus aeger continuo fuit obnoxius, adsunt. Observat vero ille,

quod sitis, ab ardentissima illa, qua tertio invadentis morbi mense vexatus fuit, summopere distet, multumque imminuta sit. Fames quoque, primum fere canina, nunc ita, ut pars tertia ciborum, ultra illam, quam ante morbum consumere solebat, nunc sibi sufficiat, decrevit. In situ horizontali, molestum a pastu ventriculi sensum non amplius aeger percipit. Vola manuum plantaeque pedum ardent, et calor in genere versus noctem, cum aliquo faciei rubore, pulsuque frequentiore, quidquam pleno, augetur. Noctes inquietae, ac somnus vix ultra horam dimidiam nunc extenditur. Parva opii dosis ante noctem conceditur. Haec, somnum tres quatuorve per horas induxit: Ab hoc, sitis minor fuit, ac tertia pars liquidi pro potu suffecit. Calor interim ac febris quidquam aucta fuerunt. Diebus insequentibus, ulcera denuo repullulant, majoremque puris copiam plorant.

Cum vero tunc *Josephus Frank*, cum urinis, ab aegro tantam ad copiam quotidie exeretis, examen, ad *Homii*, *Dobsonii* et eximii *Marabellii* imitationem, instituisset; primo quidem *gas carbonicum* ex illis, per quasdam dies sibi relictis, quamplurimum elicuit. Fermentationis alicujus igitur capacitatem huic lotio attribuens, fermenti pauculum ille huic commiscuit, ac, destillationis ope, *alkoholis* uncias aliquot ex libris viginti urinarum hujus diabetici, — *extracti* vero *saccharini*, pro quavis earum libra, unciam dimidiam obtinuit (1).

Quod ad causas tam diri morbi spectat; si terrorem insignem, quem tribus ante morbum mensibus aeger passus est, excipias, nullius ille reminiscitur. Nullum certe in hepate, quod pridem hujus morbi sedem esse dixerunt (2), tumoris vestigium tactu re-

(1) His experimentis, quae exposita fuerunt, in *Josephi Frank* Ratione Instituti Clinici Ticinensis p. 201. 253, magni viri, *Jacquinii* filius egregius, per Galliam et Italiam Viennam rediturus, superaccessit, atque eadem cum celebri *Fourcroy*, qui mentionem illorum honorificam *annalibus* suis *chemicis* injecit, communicavit.

(2) *Rich. Mead*, Opp. tract. de vipera, p. 39. = *Israel Marx*, diss. de diabete. Goettingae 1775.

perimus; nec spasmis aeger, nec lumbagini unquam subjectus fuit.

Remedium *Griffithii*, in tabe pulmonali quidem plus aequo laudatum, sed tamen, ut videbatur, hoc in casu non spernendum, ex myrrhae extracto, sale absinthii, martis, in aqua cinnamomi vinosa solutis, praescribitur.

Mox ab hoc medicamine diarrhoea insecuta est, et major abhinc successit debilitas. Quare, per aliquod saltem tempus, illud illico suspendimus. Praeterea vero summi ad nates dolores successerunt. Pars ita affecta gradatim tenditur, tumet, et brevi temporis intervallo, fluctuans sub illa materies detegitur; unde sectione mox instituta, prodigiosa puris foetidissimi copia prorupit. Cruris ulcera, colore foedo instructa, pus parcum, non bonae notae, fundebant. Proserpunt ea huc illuc, ac sordida, sinus amplos relinquunt. Ut in latam superficiem hi omnes verterentur, sinuum singulorum incisio imperata fuit.

Insignis vero, sub novo ad nates abscessu, rerum mutatio insecuta est. Sitis nempe, bibendi necessitas, fames, non modo imminui, sed fere aboleri observantur. Unius nycthemeri spatio tunc aeger vix quatuor libras aquae hausit, duasque modo matulas mingendo implevit. Calor vespertinus jam fere nullus: vix aliqua in pulsibus frequentia est. Integras nunc noctes placido sub somno aeger transigit; aliquis per duas jam noctes sudor comparuit. Urinae, quae antehac vel minime foetuerant, odorem nunc alcali quasi volatilis teterrimum naribusque infensum spargebant; alvus liquida bis terve in die movetur. Pristinum igitur medicamentum, salis tamen absinthii dosi imminuta, praescribitur.

Die 28*a* sitis, potus, et urina, eundem habitum ostendunt. Fames quidquam aucta, facies hilarior, pulsus fere naturales, calores vespertini vix ulli sunt. Somnus satis quietus et longus, alvus bis soluta et liquida, sudor nullus est. Cum vero mox alvi fluxus augeretur; post duas dies sal absinthii suspensum fuit.

A 1*a* maji ad 8*am*, perbelle res incessit; tunc vero circa nates et crura dolebant magis ulcera, aliqua si-

...s aderat, et vespertina pulsuum frequentia. Remittunt interim post quatuor dies haec symptomata, et n omnibus aeger sublevatum se sentit.

Die 20*a*. Sitis minor, ac dimidia potulentorum sufecit aegro quantitas; eadem urinarum proportio est. b hoc tempore, usque ad dimidium mensis augusti, egrotus in clinico remansit: quo tractu temporis sanaantur ulcera, neque multa morbus offerebat symptoata. Sitis nempe vix ulla, hinc et potus et urinae ix naturales excedebant. Morbosam istae dulcedinem miserant; fames vero aucta fuit, noctes placidissimae, arnes et vires indies redibant.

Demum reduce aegro, per quindecim adhuc dies odem convalescentiae statu ille permansit. Ast primo iensis septembris sub adventu, defervescente solis estu, mutatur illico morbi facies, et priora iterum, ed pejora, symptomata ingruunt. Jamque sitis iterum prodit ardentissima, inexplebilis: quae, licet connua, certis tamen horis, constante quasi morbi lege, tenditur, aut remittit. Mane siquidem vix expergectus est aeger, cum omnium asperior ac violentissima aec urget. Copioso tunc hausto potu, liquidorum dederium remittit post bihorium. Duabus a prandio oris vix elapsis, hoc iterum, etsi minus, increscit; datur denuo, donec simili post coenam tempore, erum augeatur, sed mitius caeteris. Sitis intensitati gradui, potus quoque copia respondet. Tanta vero a est, ut interdum vix *pintae* aquarum *quatuordem* sufficiant. Largissimo vero huic potui nonnulla onfestim succedunt abdominis incommoda: praecordioum scilicet angustia, ventris tensio et gravitas, bororygmi, tormina, molestaque fluidi huc illuc perarrentis, ad ilia inprimis descendentis, sensatio: quae aidem singula, erumpente copioso urinarum profluo, desinunt.

Lotii porro secretio, tum siti, tum potui, quoad mpus, minus respondet. Cum enim haec mane esnt maxima, minora vespere, et ad noctem vel mnium minima; illa, e contrario, matutino tempore x ulla, vespere major, omnium vero maxima ad ıctem observatur. Si quis ordinem, quo vere elapso m sitis, tam potus, una eademque die, variis tamen

ejusdem horis, augebantur et remittebant, cum illo, quem hoc autumno servant, contulerit; varietatem et in hoc subesse, perfacile sentiet. Praeterea paulo profundior nunc urinae color est, quam vere elapso fuerit; etsi sapor aeque dulcis in illa se prodat. Continua vero et nunc ad somnum est propensio, quam facile continua, vel potandi, vel mingendi necessitas, et somni vel brevissimi repetita interruptio, explicant.

His sub aerumnis corpus iterum contabescit. excavantur orbitae, et cutis haeret ab ossibus. Debilitas summa gressus impedit; pedes vix attollere aeger, ac digitos vix flectere potest. Pollices manuum pedumque, prae aliis torpent, ac sensu fere destituti jam ab anno languent. In hac vero adynamia, sensum membrorum quasi contusorum aeger refert. Post pastum assumptum, mox debilitas major fit, per horas aliquot, prae aliis, extensa. Spectabilis vero ad oculos a paucis tantum diebus, mutatio oborta est; nam cum antehac acutissima polleret visus acie, objecta nunc aeger, ad decem vix passus posita, distinguere nequit. Caeterum et vespertina iterum febricula, et cutis summa ariditas, ut hieme ac vere elapsis, redierunt. Interrogatus aeger, num inter potulenta, quae sors ipsi vel ars hactenus suppeditaverint, genus quoddam distinxerit, quod ad sitim exstinguendam, prae alio, satisfecerit? *Vinum* hoc esse refert, quamvis et *lacti* vim aliquam inesse concedat.

Tam flebili igitur in statu, hiemem iterum transegit, ac aestivam stationem attigit aeger. Remittunt tunc singula symptomata. Caeterae vero functiones corporis peraguntur quam optime; mens libera est, spiritus facilis, appetitus ciborum viget ac auctus est; cibos vero *siccos* abhorret aeger, humescentes desiderat. Alvus quotidie movetur, nulli unquam dolores accusantur. Dentes adeo firmi sunt, ut trium spatio annorum nonnisi unicum ex illis amiserit, et si debilitatem maciemque hominis excipias, reliqua, ut sanis esse solent, se offerunt (1).

(1) Morbum cum summa praecisione ac industria conscripsit Auditor noster *Joannes de Felici* Med. Doctor. Aeger nunc

Epicrisis.

Periodici exempla *diabetis* non desunt (1). Nostro vero, ex propriis iterum diariis, alterum hîc breviter subjungimus. *Antonius B.* initio novembris 1789 repente subriguit, incaluit febre exigua. Accesserunt levis cephalalgia, *sitis inexplebilis*, oris amaror, borborygmi, tormina ventris constipati. Altera die, mane, omnia remittunt: surgit et labores peragit; sed eadem iterum hora, febris illum aggreditur. Idem typus ad plures dies protrahitur, donec nullum amplius ea servet ordinem, et modo horis matutinis, modo ad meridiem, modo versus noctem, febris accederet, non semper sat manifestis remissionibus intermediis. Sic per duos menses et ultra cum morbo conflictatur aeger, nunc debilissimus. Sitis jam magis urget, neque ad eam, noctis imprimis tempore, fallendam, viginti aut viginti quatuor librae aquae sufficiunt. Urinae copiosissimae sunt; sed potum copia non superant. Dolor insurgit in regione umbilicali vehemens et fixus, qui post nycthemerum imminuitur, mox vexante dolore ad *suras*. Alvus pertinacior, appetitus tamen viget. Die prima martii 1790 clinicum Institutum *Ticinense* adivit. *Die* 10a martii nullum nobis de diabete mellito dubium superfuit. *Die* 23a mensis junii, hoc a morbo convaluisse visus, ad suos aeger decessit. Ineunte vero mense novembre, quo, anno elapso, morbus incoeperat, diabetes iterum recruduit, ex quo, jam sub fine decembris ejusdem anni, aegrum domi e vita excessisse, experti sumus. Per aliquas ante obitum hebdomadas, urinas parce, et cum summo dolore fluxisse, relatum nobis fuit.

Concludimus ex istis: *non satis fidas semper esse diabetis sanati, nisi morbus per annum et ultra non rediverit, historias.* Atqui haec ipsa morbi, ad annos saepe tres, quatuor, et plures adeo extensi, longitudo, in causa est, quod raro in nosocomiis, vel etiam

iterum ad suos reversus est, nec sors ejusdem ulterior ad nos usque, quod doluimus, pervenit.

(1) Plura collegit *Trnka*, de diabete Commentarius p. 11. sqq. Refert etiam *Butter*, Treatise on the Kinkcough.

sub vulgari artis exercitio, integra ejusdem delineari queat, fidelis satis, imago. Vel enim plures per annos in nosodochiis detineri aegri aut nequeunt, aut nolunt, vel extra illa, curationis, plerumque inutilis, taedio correpti, a medico ad medicum confugiunt, ac morbi sic historias detruncant. Cum autem post nostra circa diabeten (frequentius nobis, quam medicis, etiam senioribus, multis aliis, oblatum) tentamina (1), egregia hoc de morbo monographia comparuerit (2); melior sane, quam quae nobis tunc nota fuisset, et quae in omnimoda a victu vegetabili abstinentia potissime consistit, medendi metodus simul fuit exposita. Eadem vero hîc, ut experti loquimur, medicos difficultas exspectat; rari nempe inter nos aegri sunt, qui *solo victu animali* per annum et ultra contenti vivant; atque dum *Vilnae*, sub isto, urinas juvenis diabetici revera suam deposuisse dulcedinem observassemus; post viginti jam dies, aeger, cui panem adeo detrahi jusseramus, » se tanti vitam non emere, » respondit, ac ad victum vegetabilem simulac animalem reversus, mellitas iterum urinas excrevit.

Ob tantam igitur morbi extensionem, incompleta est ejusdem, quam hîc tradidimus, historia; non tamen ideo, ut supponimus, Lectorum attentione indigna. Ac primo quidem, *narium profluvium cruentum*, cui a prima pueritia, ad annum aetatis usque trigesimum vir hic adsueverat, mox a prima siti morbosa, parcius simul ac rarius comparuit; tandem vero prorsus conticuit. Nec a tam largae, ac fere quotidianae secretionis cruentae suppressione, urinae illam, a sana alienam, excitari *posse*, quicunque ipsum hydropem *energicum* a tali causa hinc inde oriri non ignorat, nega-

(1) Epitome de curand. hom. morb. L. V. P. I. §§ CDLXXVI. — CDXXXIII p. 38. — 67. Mannhemii 1794.

(2) Cases of the diabetes mellitus; with the Results of the Trials of certain acides, and other substances in the cure of the Lues venerea. By *John Rollo.* 2e Edition. London, 1798. In germanicum Idioma hanc editionem transtulit Auditor noster, *Dr. Heidmann.* Viennae 1801. Etsi vero cl. ille Auctor, operis sui eximii exemplar nobis humanissime communicaverit; nostri tamen, eundem circa morbum, laboris, forsitan tunc in Anglia necdum satis cogniti, mentionem non injecit.

verit. Alterum morbi nostri momentum in ardoris, *ustionis* ad cordis scrobiculum a pastu perceptione est positum. Languentis, ac acidam in crambem proni ventriculi illa sensatio effectus est; et qui impeditae ciborum assimilationi diabeten attribuunt (1), hoc lubenter phaenomenon in partes suas rapient. Nec tertium symptoma, quod *ascarides pollicülares* in casu nostro, ad anum excitarunt, ab illis, qui morbos vix non omnes ex vermibus deducunt, praetervidebitur. Majoris, aliis, ponderis esse, *terror*, tum ille, quem aeger ex inopinato vermium in glomerem convolutorum aspectu, mox insequente siti insolita, passus est, tum insignis alter, quem tribus ante morbum mensibus idem subiverat, videbitur. Quos vero humoralis magis pathologia delectat, illi et pustulis ad coxas utrimque exortis, et ulceribus, tum ad istas, tum ad crura serpentibus, et ingenti denique abscessui, foetidissima materia impraegnato, quasi *criticae*, in homine puerili sub aetate scrophuloso, *metastasi*, subsequens mox conspicuum aegritudinis levamen adscribent.

Quotidianae vero et communes nimis pleraeque ex his causis sunt, quam ut morbum rariorem satis explicent. Innumeri sunt homines, quibus sanguis per annos e naribus, pulmone, intestino recto, vel utero profuse disperditur; medios tamen inter illos, pars medicorum, etiam seniorum, vel maxima diabeten vel ex nomine modo novit; nec si haec mali scaturigo esset, aut hujus morbi sanatio tam rara, aut in ictu animali potissime quaerenda foret. Familiare admodum debiles apud homines symptoma, *acïdorum* a ventriculo evolutio est; ac si *famem* haud raro haec excitent, absurdorum, parumque nutrientium ea potius ac inordinatum desiderium est; et quae hoc sequitur laboriosa et difficilis assumptorum subactio, ea diabeticorum in cibis subigendis promptitudinem nec longe quidem adaequat. Nec de *siti* violenta, eos, qui *soda* laborarunt, conqueri unquam audivimus. In-

(1) Dr. *Place*, Diss: de vera diabetis causa, in defectu assimilationis quaerenda. Goettingae 1784. Ante hunc, jam *Listerus*, in Exercitat. med. de morb. chron. p. 71.; — *Cullenius*, First Lines §. 1448; aliique.

terrogavimus quondam diabeticum, in clinico Instituto degentem: num *acidum* in ore *saporem* perciperet? atque constanter hunc ipsum adesse negavit. Nec duo *Homii* aegroti diabete affecti, hunc saporem in ore accusabant, aut tumidum abdomen offerebant (1). Salivam quidem *vermes* pueris, diarrhoeam aliquando tum his, tum etiam adultis movent, ac suo in nervos abdominis stimulo, ipsum adeo systema uriniferum attingere queunt; sed qui in puerulo vel ex dentitione, vel ex vermibus venisse refertur diabetes (2), ille auctus potius urinarum fluxus, quam lotii ipsius a statu sano aberratio fuisse censendus est; et qui *spasmum* pro diabetis causa assignant (3), hystericarum illi urinas, per diem unam alteramve copiosas et limpidas, cum morbo toto coelo diverso confundunt. Sic *terror* utique urinas alvumque subinde movet, nec tamen illarum indolem, nisi momentaneo influxu, pervertit aut immutat. Dum vero nos ipsi, in *Epitomes* L. V. P. I §. CDLXXXI. p. 31, 32, pustulis in aegro nostro ad coxas, cum levamine morbi, exortis, quasi criticae metastasi, nimiam forsitan et aliorum observationibus (4), et nostrae, auctoritatem concessimus; fassi tamen jam tunc sumus: » morbum quidem illico disparuisse, post longam tamen moram rediturum. » Ac revera, cum et ante annum, quin ullae pustulae prodiissent, sub aestivo scilicet calore, diabetes ille vix non evanuerit; non his pustulis aut ulceribus, etsi no-

(1) Principia medicinae, Clinical lectures, histor. and disections.

(2) *Jo. Herm. Fürstenau*, Acta phys. med. Vol. V. Obs. 61. p. 240.

(3) *Richter*, chirurg. Bemerk. I. B. 4. C. S. 76. 77. 80. 81. 82. *Nicolai*, = progr. dediabete ex spasmo; Ienae 1772. = *Cullen*, first Lines. *Trnka*, l. c. p. 43. 44.

(4) Metastasium, diabetem sistentium, exempla plura collegit *Trnka*, l. c. 102 — 104. Ex suppresso adeo fluore albo, diabetem venisse, refert idem; de Leucorrhoea, p. 131. Puella *Parmensis*, cujus historiam refert *Tommasini*, quovis vere impetiginis speciem pati solebat, sub qua in caeteris perfecte valere solebat. Quo vero anno, mense aprilis, diabete laborare coepit, vel effectus, vel causa sit impetiginem sibi solitam experta non erat. *Jacopo Tommasini* Storia ragionata di un diabete. Dalla Reale Tipografia Parmense, 1794. p. 6.

vus in alia parte stimulus, principalis morbi suspensionem secundare, vel accelerare omnino potuerit, sed *periodi* imperio, tam prompta morbi in melius conversio adscribenda esse videtur. In explicatione vero hujusce periodi, non minus, quam in cujusvis alterius circuitus morbosi enodatione, nos prorsus coccutire, lubenter concedimus. Diabeten systemati vasorum lymphaticorum interno, ad promptiorem avidumque nimis chymi, ac principii in eodem saccharini, necdum satis subacti et in animalem naturam conversi, resorptionem excitato adscribendum esse, sicut, quondam in *Epitomes* l. c. §. CDLXXXI. indicavimus, ita adhucdum supponimus; pathologiam olet haec quoque opinio, quod negare non possumus, humoralem; cum tamen crassiorem illam nos ipsi jam diu rejecerimus; ab omni culpa corporis animalis liquida liberare in omnibus non possumus. Nec magnas amplius, ut quondam verebamur (l. c.) *diabetes insipidus* difficultates nobis pariet; cum mulieris, a *Josepho Frank* ex hoc ipso diabete, a. 1799 in nosocomio *Vindobonensi* pertractatae, urinae, per cel. *de Jacquin* chemicae analysi submissae, non dulcem quidem gustum, sed neque saporem, neque odorem, neque alia principia, quae urinis sanorum sunt propria manifestaverint.

Singularia quaedam ac insolita in aegro nostro phaenomena sistuntur: unum, quod, *ustionis* ad ventriculum sensu molesto affectus, certum in *decubitu* per horulam quieto, qui aliis, a soda correptis, haud confert, auxilium habuerit; alterum, quod a primo sitis morbosae ingressu, ardoris illius sensatio disparuerit; et ultimo in illam *ponderis* ad ventriculum, corpus inferius trahentis, conversa sit. Difficile est, indubiam de omnibus, quae in morbi, inprimis complicatis, ad viscera succedunt, rationem reddere. Erit forsitan aliquando plaga una ventriculi, frequenter stimulati, sensibilior altera; sub qua, corporis in hanc, vel aliam partem positio, irritantis acidi effectus divertat, imminuat, vel augeat; vel supino sub decubitu, fluidum ventriculo infestum, viam sibi ex isto, in duodenum parat. Comparente tandem siti morbosa, potus quantitas assumpti, crambem acidam diluit, ac ventriculo detenta, ponderis ibi sensum ustioni substituit. Caeterum attentionem meretur, aegri de

vino, in siti moderanda, prae aliis proficuo, ac de *lacte*, post vinum, sitim magis fallente, assertio, quae certe cruciatus ex acido in aliis adaugent. Cum tantam principii saccharini jacturam apud diabeticum *Ticinensem* miraremur, lactis, eum saccharo commisti, usum liberalem, pro potu, concessimus. Non juvit quidem tentamen, erroneo innixum judicio; sed tamen id aegro aeorem, aut pondus ventriculi causasse, experti non sumus. Dentes aegro nostro, practer unum, omnes plena integritate substitisse, cum *Homii* aegro diabetico, sub fine morbi, gradatim dentes numero sexdecim exciderint, si caeteris aegris, quos eodem ex morbo tractavimus, dentes ullo modo laborassent, miraremur. Praevium *emollitioni ossium* diabetis exemplum referunt *Transactiones philosophicae* (1).

LXI. *Diabetes chylosus.*

Josephus Antonius Gorini, hórtorum cultor, 70 annorum, post insigne pondus humeris per tria milliaria superimpositum, vix octo praeterfluxerant dies, prehenditur magno ad ultimas lumborum vertebras dolore. Nosoèomium hinc *Ticinense* petit, mense junii 1791. Febris hîc quotidie ad meridiem exacerbatur. Balneis, aliisque auxiliis adhibitis, senex a morbo restitutus videbatur; sed post mensem, parvus iterum dolor ac febricula eundem invadunt, quae, exiguis intervallis, suspenduntur, et redeunt. Tandem a quindecim diebus, dolòres ejusdem, ac pridem, indolis, sed lancinantes, pungentes, ac admodum vehementes, simulque febricula, omni vespere exacerbanda, insurgunt. Post quatuor dies remittunt hi dolores, non cessant, febricula continuat. Talibus vero ad lumbos doloribus alii respondent ad hypogastrium, cum pruritu ad penem, non tamen continuo. Attentionem vero merebantur quoque sitis et urinae copia insignis, quae in primis hisce diebus quindecim primo fuerunt animadversae: cum duas potulentorum amulas hauserit, et tres urinae matulas, nycthemeri spatio cum urinis repleverit, non sine conspicua corporis, antehac torosi ac succipleni, macie. Urinae sapor subdulcis fuit.

(1) N. 474.

Cucurbitulae octo scarificatae lumbis admotae, ad locum doloris, vesicans emplastrum, purgans alvum ex tamarindis remedium ob oris amarorem, et decoctum hordei pro potu, praescripta fuerunt. Dolores haec lenierunt; alvus aliquoties mota fuit. Appetitus ciborum viget, et victum lautiorem aeger sibi expetit. Interim dolores adhuc aliqui ad lumbos et ad hypogastrium; sitis et urinae copia continuant.

Die 5^a octobris, urinae ad quindecim libras et ultra minguntur, quasi lactei coloris. Hodie sitis minor fuit. Aliqui adhuc ad spinam et ad hypogastrium dolores.

Die 6^a. Urinae pauciores, licet sapore urinoso non instructae, dulcedinem tamen haud offerunt, simul vero crassiores ac profundius tinctae sunt. Dolor ad lumbos et ad hypogastrium minus urgent.

Die 7^a. Amulam aeger potavit, ultra binas minxit. Sitis hodie et urina pauciores sunt, dolores fere nulli.

Die 9^a. Duas heri amulas potavit aeger, duodecim vero urinae libras minxit. Urina vitro suscepta *lacteum* omnino prae se fert colorem. Dolores adhuc aliqui ad lumbos.

Die 10^a. Urinae vix ad octo libras, potus ad amullam. Sudor, a multo jam tempore, nullus. Urinae interdiu paucae; ad noctem, quod fere constanter accidit, uberrimae. Dolores nunc nulli.

Die 11^a. Urinae iterum, ad duodecim fere libras, auctae, colore serum lactis aemulantes. Potus duas ad amulas. Dolores nulli.

Die 12^a. Heri amulam potavit; decem circiter urinae libras minxit. Dolores nulli.

Die 13^a. Sitis magna; amulam potavit, libras decem circiter minxit. Dolor nullus.

Die 14^a. Quinque libras aquae hausit, octodecim urinae minxit. Profundioris hae coloris sunt, ac sedimentum album deponunt. Major urinae copia constanter ad noctem excernitur.

Die 15^a. Libras quinque liquidi ingessit, sexdecim vero minxit. Sedimentum in urinis album, mucosum, cremori lactis simile se offert. Dolores nulli.

Die 16^a. Viginti tres libras urinae excrevit, quin-

que vix libras aquae potavit, excepto scilicet vino et jusculis ad prandium coenamque assumptis. Dolores nulli.

Die 17*a*. Quinque libras potavit aquae; sexdecim urinae librae sunt.

Die 18*a*. Octodecim urinae libras excrevit. Potulentorum quantitas quinque librarum fuit.

Die 19*a*. Quinque libras aquae ingessit, viginti unamque libras lotii excrevit. Vespere, calor parvus, pulsus frequentior, os siccum, observantur.

Die 20*a*. Potus ad libras quinque, urinae ad libras octodecim ascendunt.

Die 21*a*. Urinae librae sexdecim, cum potu hesterno, fuerunt.

Hactenus, ac donec lux major diagnosi accederet, negativa quasi medendi fuit ratio. Nunc decem grana aluminis omni bihorio cum saccharo porriguntur.

Die 22*a*. Sitis nonnihil imminuta, pauciore potu indiguit. Urinae tamen novemdecim librae excretae fuerunt.

Die 23*a*. Urinae librae septendecim, sub siti fere hesterna, defluxerunt. Tormina sese manifestant, mox vero iterum disparent.

Die 24*a*. Sub potu fere hesterno, urinae librae tredecim excretae fuerunt. Tormina nulla sunt. Aluminis nunc grana quindecim porriguntur omni bihorio, ac serum lactis aluminosum pro potu porrigitur.

Die 25*a*. Urinae librae octodecim, potus idem fuerunt. Aluminis grana viginti per bihoria propinantur.

Die 26*a*. Urinae libras octodecim, sub potu eodem, constituunt. Alumen, praeter serum aluminosum, ad grana viginti quinque praescribitur.

Die 28*a*. Tredecim libras lotii minxit. Tormina aliquot; alvus constipata. Alumen ad drachmam dimidiam assumitur.

Die 29*a*. Urinae nonnihil imminutae. Alumen ad grana triginta quinque augetur.

Die 30*a*. Decem tantum libras urinae minxit. Aluminis grana quadraginta exhibentur, cum sero lactis praedicto. Tormina nulla, alvus constipata.

Die 31*a*. Urinis fere iisdem, aluminis grana modo quatuor, cum sero, ingeruntur.

Die 1[a]. novembris. Febris heri vespere aliqua eum doloribus ad vesicae lumborumque regiones; sitis aucta. Urinae libras viginti quatuor aeger minxit; alvus clausa; tormina, et turbae nonnullae. Suspenditur alumen, ac duo vesicantia lumbis apponuntur. Absolutis feriis academicis, aeger ad nosodochium defertur. Nova hîc se diabetis symptomata manifestarunt. Aeger idcirco, curationis inutilis taedio prehensus, ad domum propriam se contulit. Sors illius ulterior ignota mansit (1).

Epicrisis.

Tam ex violentia externa, morbum hîc breviter modo expositum praegressa, quam ex primis ejusdem phaenomenis, fatemur, nos minus *diabeten*, quam aut *nephritidem*, aut *spinitidem traumaticam* exspectasse. Hinc in *Epitomes* L. V. P. I. §. CDLXXIX. p. 26 diximus: « multis *purulentam*, cum urinis « certe non raro copiose remistam, pro *chylo* impo- « suisse, suspicamur materiam. » Praesentis interim casus occasione ibidem subjunximus: « non interim « *lacteum* colore diabetem, viri scilicet septuagenarii « hoc in *Ticinensi* nosocomio degentis, observatione « freti, existere prorsus negabimus. » Quod si nempe appetitum ciborum vigentem, sitim maximam, insignem urinae subdulcis quantitatem quotidie, per duos menses, excretam, et corporis, antehac torosi, maciem conspicuam spectemus; praecipua sane diabetis melliti symptomata, — etsi colorem urinarum quasi lacteum, sedimentum in illis cremori lactis fere simile, miremur; diabetis simul *chylosi*, *chyluriae*, *coeliacae urinalis* auctorum, phaenomena coram oculis versantur (2). Ex altera tamen parte, considerando:

(1) Historiam hujus morbi nobis communicavit jam laudatus Dr. *Joannes de Felici*, qui tempore feriarum academicarum, aegros, in clinici Instituti cubiculis degentes solus pertractare solebat.

(2) Plura diabetis chylosi, vel lactei exempla collegit *Trnka*, Commentar. de diabete, c. 1. p. 807. Nunquam vero hic auctor ipse diabetem conspexerat. Hanc speciem cum fluxu coeliaco compararunt; et coeliacam urinalem vocavit *Ettmüller*, in Colleg. pract. Sect. 19. c. 1. art. 3.

sitim per plures dies vel a quinque libris aquae potuisse sedari, — urinas, die 6a mensis octobris, etsi sapore urinoso haud instructas, non tamen dulces, aut limpidas, sed ea die non minus, quam 14a ejusdem mensis, profundo colore tinctas, ac simul crassas fuisse, — de dulcedine urinae binis modo in locis mentionem interjici, — chemicam vero urinarum analysin, quae saccharinam ex illis materiem, evaporationis ope, eduxisset, nullam, quod sciamus, institutam fuisse; dubium, si non de diabete, saltem de chyluria, eo minus supprimere valemus, quod a diuturna ponderis gravioris gestatione, et dolor magnus lumborum, et febris, quotidie ad meridiem exacerbari solita, — post mensem vero febricula lenta cum dolore lumborum lancinante, pungente, vehementiore successerint; qui dolor, ex lumbis cum hypogastrio respondens, et pruritum ad penem aliquando inducens, paulo ante ac urinae lacteae secederent, imminutus fuit. Non quidem hic vomitus, qui, praeter recensita symptomata. *renis* inflammationes comitari solet, — non inferiorum paralysis artuum, quae internos spinae lumbalis abscessus insequi consuevit, praecesserunt; ast vero symptomatum istorum absentia, suppurationis illam vel renalis, vel spinalis non comprobat, penis autem ille pruritus, de rene, aut vesica affectis, quamvis aeger dolorem ad ultimas lumborum vertebras retulerit, non aequivocum facile testimonium largitur. Est igitur, cur internam purulentiam, praeter diabetem, eo magis allato in morbo suspicemur, quod jam *Ruyschius*, binos casus similes, id est *abscessus renalis cum diabete* exempla, descripserit (1); qua sub rerum positione vel *lacteum*, vel *chylosum* eo minus appellari hunc diabetem vellemus, quod aut pus, aut humor puriformis aut forsitan mucosa etiam materia, copiose cum urinis remista, tum odorem lotii, tum saporem pervertere, ac forte adeo hunc ultimum *subdulcem* reddere, etsi aut chemica analysis aut gustus hoc necdum evicerint, videantur.

(1) Observ. anat. chirurg. 13. et dilucid. valvul. cap. 4. Obs. 13.

Caeterum, cum dubia hinc inde mota fuerint, num in ipso diabete urinarum copia liquidorum ingestorum pondus superaret? exposita historia, in qua potulentorum ac urinarum mensura fideli calamo quotidie adnotata fuit, quaestionem hanc solvit. Etsi etiam a nobis in genere non aurificis statera, sed oculari modo judicio tam potûs, quam urinarum quantitas apud nostros diabeticos examinata fuerit; longe tamen majorem istarum, quam illius copiam fuisse constanter reperimus. Sic, ut pauca modo, ex multis exemplis referamus, aeger, ex diabete, in *Edinburgensi* nosocomio a. 1778 defunctus, cum ultra quatuor libras non bibisset, libras tamen urinarum duodecim minxit. et urina semper potum duabus pintis superavit apud *Cullenium* (1). Sic puella Parmensis saepe duplo majorem potu urinae quantitatem minxit, sumpta cum studio liquidorum ingestorum cura (2).

Ne tamen ad diabetis praesentiam, copiam urinae potu semper majorem requiri credamus, sicut nos ipsi in morbi hujus definitione animadvertimus, §. CDLXXVIII. tam *Rolloi* (3), quam *Cawleyi* (4) observationes vetant.

LXII. *Diabetes cum dolore pleuritico.*

Ignatius de Filippi annorum 36, agrorum simul possessor et cultor, antehac robustus, sanus ac pinguis, in cibo potuque sobrius, cum pridem colles inhabitasset, hos, sex abhinc annis deseruit, ac profundius prope *Padi* fluminis ripas, habitaculum elegit. Hîc vero parens ejusdem, munere chirurgus, filio consuluit, ut, si hoc in solo humidiore saluti propriae

(1) Dubitavit *Bosquillon*, in opere hujus viri, in Gallicum idioma a se ipso translato, tam insignem urinae copiam potuisse excerni. Diabetem certe commentator ille non viderat, cum et *libras quinquaginta duas* lotii, una die, hoc in morbo evacuari conspexerimus, raro tamen satis exemplo.

(2) *Tommasini*, l. c. p. 8.

(3) » We have hitherto found the quantity of urine to correspond with the quantity of fluid actually drank. » *Rollo*, l. c. p. 391.

(4) Medical giornal, Vol. IX. P. 3. An. 1788. p. 286. translat. in Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte. B. XIII. S. 102.

prospicere contenderet, in vini usu frequentiore hanc quaereret. Paterno igitur suasu coepit quotidie binas vini pintas et amplius haurire; usu autem continuato augebatur indies meri desiderium bibendique necessitas. Post annum, a quo vinum majore copia hauriebat, sitim adauctam percipiens, quam consueta illius portione satis fallere non poterat; rem male cessuram praevidens, ad aquam reversus, totidem hujus pintas quotidie potavit. Tres sic annos ad *Padi* lectum, salute prospera gavisus, transegit; his elapsis, ad patrios colles se contulit, ac, eidem vitae ritui fidelis, per biennium sanus hîc vixit. Nec enim, praeter sitim, aut ciborum desiderium, aut alia functio morbosi quid habebat; nec major fuit urinarum, quam potus ratio. Mense vero novembris 1788, sitis inextinguibilis hominem ex improviso, quin causa ipsi nota praecesserit, adoritur; quam sitim ut falleret, sex pluresve aquae pintas, atque simul unam alteramve vini, assumebat. Praeter potus desiderium, ciborum quoque illud, ad voracitatem usque, adauctum fuit: nec interim in secretione lotii, aut in viribus, morbosi quid animadvertit. Quamprimum vero ad bacchanalia pervenerat, sub siti potuque iisdem, urinas sibi indies augeri sensit aeger, et abundantiore sub victu, vires vacillare, corpus vero contabescere percepit. Medicum tunc adit, pilulasque, e sapone acido paratas, ab eo obtinet. Cum istae nil efficerent, decoctum quoddam alter illi praescribit ex carne bubula cum multis amygdalis contusis confectum; sed nec istud promissum effectum praestat, et praedictis symptomatibus, nempe siti ardenti, continuae, urinis, potum, licet copiosum, superantibus, debilitati ac tabi, lentae quoque febris ad noctem indicia junguntur. Mitis primum haec fuit febricula; sub finem vero aprilis, evidentior facta, binis quotidie insultibus aegrum divexat. Post prandium scilicet primus ac levior ex illis, post horam, vel paulo tardius dissipandus; alter vero, ac simul fortior, aegrum media nocte invadebat, post bihorium, vel trihorium, cum sudore aliquo ad frontem solvendus. Dolor quoque intercurrens insurgit quo loco scapulae sinistrae angulus inferior costis incumbit, finitimasque costas simul am-

plectitur; tusis sicca, ad pectus irritationis sensus, cum dolore illo respondens, a levi frictione cito dispellendus, accedunt. Sub profundiore inspiratione et a decubitu in latus sinistrum, exasperatus dolor. Appetitus praeterea dejicitur; panem aeger ac solida quaeque aversatur modo illa, quae humida sunt, expetens. Consilium nunc medicum aeger explorat. Ex lienis infarctu, cujus tamen desunt vestigia, repetuntur a medicis hujus morbi symptomata. Resolventia igitur, et carnium iterum juniorum juscula, pro potu vero emulsio ex papaveris seminibus, adhibentur. Nec ista quidem aegro profuerunt: debilitas enim, macies, ac sitis augebantur, et maji mensis initio febris magis fit continua, post prandium accedens, ad mediam noctem adaucta, et non nisi sub auroram moderanda. Consulitur nunc venaesectio. Per duos tresve dies ab ista, febris conticuit, dolor evanuit et appetitus non minus, quam vires aegro videbantur restitui. Sed breve hoc et fallax morbi levamen fuit; sitis nempe praesentis adhuc morbi insigne indicium, neutiquam remiserat. Quare tres vix elapsi erant dies, cum et febris, et pristina symptomata reversa sunt. Venam alteram aperiri jussit tunc medicus. Sanguis, licet ex pede emissus, corium densum albumque contraxit. Chinae decoctum cum lacte hauriendum jam praescribitur. Nullus ab isto effectus fuit; nec alvum purgans medicina auxilium tulit. Post octo hinc dies, 31*a* scilicet maji, aeger ad nosodochium *Ticinense* defertur, ac experto hujus medico sequentia prodit symptomata: sitim intensam, potu superiorem, febrim lentam, dolorem pectoris molestum, tussim, a decubitu in latus adfectum mox auctam, maciem ac adynamiam insignes, pedes sub itinere tumefactos, altera tamen die collapsos; urinas copiosas quidem, sed, quod primo intuitu morbus affectionem pectoris prae se ferre videretur, necdum satis observatas. Gummi igitur arabicum, et oxymel, in aqua soluta, pro medicina fuerunt. Post paucos interim dies, sub majore morbi indagine, cum, potulentis non ultra sexdecim libras ingestis, viginti septem urinae dulcescentis librae secederent, diabetis non ultra latuerunt vestigia; ac primum quidem serum lactis cum alumine paratum aegro propinatum

fuit. Cum vero ab isto, et vomitus et aliae molestiae sequerentur, aqua calcis cum lacte, pro potu, et chinae pulveres, praescripta fuerunt.

Hac tantem sub methodo, morbi facies sensim sensimque in melius mutari videbatur. Febris nempe primum imminui, et levis modo calor ad mediam noctem comparere, dein vires gradatim augeri, maciesque non parum dispergi coeperunt. Urinarum copia quotidie minor reddi, et cum potus libras quinque non excederet, illa ad libras 19. 14. ac 10 descendere est visa.

Hoc igitur feliciore sub aspectu, aeger nosocomium, sed infausto sub omine, deseruit; post tempus scilicet haud longum, eundem pristinum in morbum relapsum, ac tabe tandem exstinctum fuisse innotuit (1).

Epicrisis.

Diabetem, de quo hîc agitur, febris lenta citius, quam alios quos vidimus, comitata est, non sine labis in pulmone simul latentis suspicione. Quam facile autem diabeti phthisis pulmonalis, apud praedispositos, accedat, mulier 53 annorum, *Vindobonensis*, nos docuit. Haec nempe plurimis jam a morbis, a prima aetate, correpta, circiter ab anno, siti fere continua, et superabundante urinae profluvio, quo etiam quatuor aut quinque ejusdem mensuras excerneret, laboraverat. Circa medium tandem decembris 1795, ea derepente ab horrore, cum summa virium prostratione prehensa fuit. Continuavit hic status per quatuordecim dies; dein cessavit, reliquis tamen prioribus constitutionis infirmae incommodis. *Die* 1*a* februarii 1796 in nosocomium *Viennense* aegra se contulit. Labes pectoris hîc se manifestavit indubia. Urinas tamen, ob suam exsuperantiam examinavit versatus plurimum in rebus chemicis auditor noster Doctor *Spenchuch*, easque melleam dulcedinem offerre reperit. Ulterius igitur earum indolem explorans, ex quatuor earum libris, obtinuit substantiae bruneae, mellifformis, ac admodum dulcis, uncias

(1) Historiam nobis communicavit iterum *Joannes de Felici.*

quatuor cum dimidia. Cum vero nunc phthiseos tubercularis, ac febris lentae subintrassent symptomata; urinae quantitas longe imminuta fuit: ut potu etiam multo minor aut paucior esset. Adstitit huic aegrae, sub ultimis vitae diebus ad clinicum Institutum delatae, *Antonius Fierlinger*, medicinae Candidatus. Feminae vero hujus, die 17a mensis martii 1796 defunctae, cadaver, tubercula pulmonum suppurata exibuit. Similem diabetis et quidem insipidi, in phthisin pulmonalem exitum, in femina, Vindobonense in nosodochium suscepta, observavit *Josephus Frank*, ejusdem loci tunc mediens. Pleuriticos quasi dolores vir a diabete insipido enectus, expertus est *Ticini*; ac *Friburgi* in Brisgovia, vir celebris *Eckerus*, et hos thoracis dolores, et phthisin pulmonalem in diabetico conspexit: quae observationes eo majorem attentionem mereri nobis quidem videntur, quod jam *Hippocrates* signum in phthisi lethale *sordes hominis in auribus dulces* esse dixerit (1); quod hanc divi senis prognosin apud feminam, tabe defunctam, confirmari viderit *Hünerwolf* (2); et quod *Listerus*, postquam urinas in diabete paulatim dulcescere advertisset, adjunxerit: « huic rei fidem facere phthisicorum plurimorum in ultimis vitae mensibus, insignem ac ad nauseam usque molestam *sputorum dulcedinem* (3).

LXIII. *Diabetes cum enuresi.*

Senex 60 circiter annorum, aegrorum conductor *Papiensis*, vir antehac obesus et pinguis, jam ab anno quamplurimum urinae in se ipsum minxit, non semper tamen facultate, lotium retinendi, destitutus. Quotiescunque vero urinae praeter voluntatem huic viro non affluebant; brevi temporis spatio magna earundem copia in vesica colligi, ac tandem, ad matulae vel maximae plenitudinem, excerni solebat. Post

(1) Lib. VI. Epid. Sect. 5.

(2) Eph. N. C. Dec. II: ann. III. obs. 91, p. 192. *Cassius* etiam jatrosophista, cerumen aurium in moribundis dulcem saporem agnoscere testatus est. Naturales et medicinales quaestiones. Edit. Gesner. 8. Tigur. 1562. vid. *Sprengel*, Geschichte der Arzneykunde, II. Th. S. 119.

(3) Vid. *Allen*, Sinops. c. VII. art. 2543.

varia remedia, contra hunc morbum incassum praescripta, cum aeger non adeo macilentum reddi, quam habitum leucophlegmaticum prae se ferre, simul vero pedibus intumescere coepisset; ad eundem, tunc rure degentem, quo cum illius medico ordinario circa morbum hunc rebellem conferremus, accersiti fuimus. Virum quadratum, ac, ut referunt, quondam robustum, nunc pallidum, facie tumidulum, fractum viribus, in aegro, cui pedes simul, ad suras usque oedemate laborabant, invenimus. Pulsus minime febriles, sed potius lentiores fuerunt. Appetitus vigebat; sitis erat intensissima. Urinas quamplurimas, tum nolenti aegro in lectulum aufugere, tum ab eodem aliquando libere deponi, pallidas ac minime foetentes, percipimus. Cum de paresi vesicae prima nobis cogitatio subintraret; num insultus apoplecticus praecessisset; vel num aeger violentiam ad lumbos, aut rheuma, aut impetiginem, quae forsitan ex parte alia recessissent, inquisivimus. Nihil vero ex istis, vel ex causis aliis, accusari potuerat. Omnem indicationem hinc ex debilitate aegri, tam universali, quam locali, scilicet ad vesicae sphincterem, desumpsimus, ac opportuna huic malo remedia proposuimus. Post octiduum, de novo accersiti, nullum ex praescriptis morbi levamen haberi, experti sumus; cum vero prope lectum aegri, vas quoddam ligneum, aqua ut videbatur, ad mensuras novem circiter, repletum videremus; quem in finem hoc liquidum tali loco servarent, interrogavimus. *Urinam* esse referunt, quam, utpote nycthemeri spatio, praeter illam, quam aeger in semet ipsum minxisset, emissam, ut illam nobis intuendam offerrent, conservaverint. Partem hujus urinae, vitro claro susceptam, pallidam; ac straminei coloris, odoris. ab illo urinae, prorsus diversi, fere mellei, eandem esse reperimus. Sub hac urinae conditione diabetis, saepius jam conspecti, mox idea nos percellit, ac eandem igitur gustari curavimus. Dulcis erat sapor hujus lotii; succo, quem *Betula Alnus*, verno tempore incisa, fundit, tum gustu, tum colore simillimi. Instituta nunc rectiore morbi flebilis diagnosi, urinae copiam *Ticinum* deferri, ac chemicae analysi submitti jussimus. Docuit haec, de quo amplius

dubitari non licuerat, saccharini principii huic urinae magnam inesse copiam. Quaecunque vero contra hunc morbum tentaremus auxilia; nihil ea profuerunt. Aliquando, secretione urinae conspicue imminuta, corpus aegri integrum, inprimis abdomen, ab aquis intumuit: fluentibus vero magis magisque urinis, tumor omnis concedit, ac macies corporis vel maxima comparuit. Ad alios nunc medicos miser, sed eodem sub fato, se convertit, ac eidem tandem post annum succubuit.

Epicrisis.

Descriptus hîc diabetes mellitus cum enuresi, videtur fuisse *diabetes indesinens Aretaei*, « in quo non » cum intermissione lotium reddunt, sed perinde ac canales laxati essent (1). Exemplum hoc levi calamo in *Epitomes* L. V. P. I. §. CDLXXIX. p. 27 tetigimus. Plura ejusdem indolis specimina collegit *Tinka* (2), ac simile descripsit *Daniel* (3). Caeterum saepius nos *diabetem cum hydrope alternasse* observavimus; atque magnam, utrumque inter morbum, affinitatem intercedere, mature suspicati sumus. Cum vero haec nobis primum idea non parum satisfaceret; casu quondam, in vetusti scriptoris locum de diabete incidimus, qui hunc morbum cum hydrope eundem esse, jam diu ante nos, edixerat (4). In sexto interim *Epitomes* nostrae libro, P. I. illam ipsam, de affinitate hydropis cum diabete, ideam, cum non spernendo certe argumento suffulsimus: aquae scilicet per abdominis paracentesin *Petropolis* ex hydropica eductae cum exemplo, quae aqua *saporem*, qualem diabeticorum urinae offerunt, *dulcem*, viro claro (5), nulla hujus indolis hypothesi imbuto, exhibuit. Quamvis

(1) De morbis diut. L. II. c. 3.

(2) l. c. p. 19.

(3) Beiträge zur medicinischen Gelehrsamkeit. 1 Th. S. 130.

(4) *Garopionii*, vetusti admodum medici ad totius corporis aegritudinem remediorum praxeon. Lib. V. cap. XVIII. p. 102. « Quibus haec passio (diabetes), inquit, contigerit, ut *hy-* « *dropici* juvari debent, *quoniam prope est illis una passio.*

(5) *Rudolph*, Academiae Imperialis Petropolitanae socio, et Acad. med. chirurg. Professori.

nempe longe non omnem hydropem de diabetis natura participare, contendere velimus; aliquando tamen eandem vasorum exhalantium vel abdominis, vel cavi corporis alterius, quam vasorum renalium, urinas secernentium, conditionem, qua serum, quacunque demum ratione, parte saccharina abundans ex sanguine separent, subintrare, ac ea quidem ratione vasa illa, nunc hydropem, nunc vero diabetem generare, supponimus. Summatim *diabetes* nobis magnae familiae morbosae, generico suo nomine hucusque destitutae, sed super animale non magis, quam vegetabile super regnum late dominantis, modo *species* esse videtur: cujus character principalis in abnormi secretione materiae maxime nutrientis et saccharinae consistat, vel per vasa renalia haec ipsa, *diabetis* sub nomine, — vel per arteriolas cutaneas, sub *sudoris colliquativi* appellatione, — vel per vasa bronchialia, sub *phthiseos pituitosae* titulo, — vel per tunicae intestinorum villosae exhalantes ramulos, sub *fluxus coeliaci* vocabulo, — vel denique per uteri, vaginae urethrae, vesicae, aut ani superficiem, sub *fluoris albi*, *medorrhoeae*, *haemorrhoidum vesicae*, *intestini recti* significatione, e corpore aufugiat. *Chymorrhoeae*, vel *chylorrhoeae* nomine hoc morbi genus amplissimum, indignum non foret; et si *lactis secretio* apud sexum femineum, ut functio naturalis, nec morbosa, revocari huc non potest; quandoprimum ea vel limites praescriptos, *galactirrhoeae* sub nomine, excedit: vel ut aliquando res contigit, viriles per mammas locum habet; tunc ea, jam morbus, *diabeti* affinis, est, neque liquidi color secreti vel pallidus, serosus, vel, lacteus, neque gradus mali minor aut major, neque demum substantiae saccharinae, quae ex lacte, et quae ex urina diabetica chemice elicitur, diversitas, differentiam hîc pariunt.

LXIV. *Cystidis felleae dilatatio morbosa.*

Femina annorum circiter quinquaginta, corpore male conformata, dolores olim pluries in hepatis regione passa, jamque diu cutis flavescente colore instructa, post novos ejusmodi dolores cum vomitu, ab ictero universali, et a febre correpta fuit. Post

plures ab hac accessione dies, nosocomium *Mediolanense* aegra petiit. Tunc ea, praeter flavum totius corporis et oculorum colorem, pulsusque febriles, tumorem quendam, qui ab hypochondrio dextro usque ad hypogastricam regionem fere extendebatur, exhibuit. Tumor hic ad attactum dolebat, huic ipsi resistens; diligentius tamen exploratus, fluctuationem quandam prodebat. Urinae croceae, alvus tarda, faeces subvirides ac durae, lingua muco albo ac tenaci defoedata, os amarum, fuerunt. Horripilationes hinc inde accusantur.

Videbatur primum tumor cysticus huic malo subesse, cujus natura non tam facile potuerat definiri. Cum vero symptomata in unum collecta considerarentur; de vesicula fellea, bile turgida dubium subesse vix potuit. Pilulae hinc, et potus ex sic dictis resolventibus praescripta fuerunt. Supervixit aegra per septem adhuc dies. Sub istis, diarrhoea successit ex faecibus constans tum foetidis, tum sanguine commistis. Insignis virium prostratio, hoc alvi profluvium insecuta, et aliqua mentis alienatio fecerunt, ut resolventibus suspensis, majorem vitalis indicationis rationem habuerint medici. Pertinaciter interim diarrhoea, — colliquativae quasi indolis tympaniae, sub fine morbi simul juncta, perseveravit, ac finem tandem vitae miserae imposuit.

Sectio cadaveris.

Hepar aliquantisper hinc illine obstructum, duriusculum, — cystis fellea, bile copiosa et fluida turgidissima, ita ut quintuplo, vel sextuplo justo major esset, reperta sunt. Ductus hepatici, cysticus atque choledochus, ad insignem amplitudinem extensi fuerunt; nullibi tamen calculus comparuit. Ductus bilis communis, prope duodenum intestinum, scirrhosus, — pancreas quoque durum et obstructum, fuerunt.

Epicrisis.

Hepar hujus aegrae cum cera quidem injectum, nobisque *Mediolano*, ab egregio Auditore nostro, *Augustino Casanova*, M. D. sollicite transmissum, sub via interim diruptum fuit; unde pars ejus modo ali-

qua, potissima tamen, in museo pathologico *Ticinensi* conservata, ad nos pervenit.

Icteri hujus lethalis causa, in scirrho, finem ductus choledochi, quo intestino duodeno inseritur, obsidente, et, quod dolemus, hîc rescisso, constitit. Etiam sine tanta cystidis felleae extensione, iterum, ad omnia rebellem, a scirrho pancreatis, vicinum sibi ductum choledochum comprimente, quondam deteximus (1). Facile tanta cystidis felleae dilatatio, cum hoc malum diuturnum et horripilatio, et febris, et dolor, ab attactu, et fluctuatio, comitarentur, pro hepatis, vel et peritonaei pro abscessu incautis imposuisset, quemadmodum celebri quondam *Petito*, vix non imposuit. Icteri tamen praesentia, positio tumoris quo loco cystis fellea residet, justam circumspecto medico, bilis, non puris collectionem hîc latitare, suspicionem moverunt. Non interim haec sola, quo vera retentae bilis causa pateret, suffecit. *Duverneyus* quondam ductum choledochum liberrimum, ac simul adeo, ut digitus eidem immitti potuerit, dilatatum observavit; cum interea cystis fellea, summopere extensa, duas materiae biliosae pintas continuerit. Quamvis autem fibris muscularibus cystis fellea destituta sit; nimiae tamen ejusdem repletioni, parietum illius in bilem contentam, non minus quam vesicae urinalis nimis extensae in lotium inertiam, vir celebris, non vanis ut putamus ex rationibus (uteri, de cujus fibris muscularibus diu disputatum fuit, violenter non minus sese sub partu contrahentis exemplo) attribuit (2).

Quam facile cystis fellea, aut a bile, aut ab aquis turgida, pro tumore cystico habeatur, ut audaci adeo manu non semel pro tali fuerit sauciata, in *Epitome*, sub tractatu de ascite, jam indicavimus; et quam magnam sibi attentionem bilis vesicula nimis extensa, apud gravidas mulieres mereatur, illustri quondam feminae parturientis exemplo, cui mulieri haec cystis, cum utero vicino adhaerens, sub partu rupta,

(1) Similia viderunt alii, inprimis *J. F. Meckel.* et *Koreff*, Diss. sistens theoreticam considerationem icteri novis quibusdam causis simul superstructam. Halae 1763 §. 12.

(2) Mém. de l'acad. R. des Sciences. A. 1701. p. 200 sq.

bilis vero ex hac descendentis actione abscessus circa ovarium natus fuit, et vaginam exesit, docuimus (1).

Cum plura nobis in sexti voluminis *Epitomes*, parte secunda, tum de hac materia, tum de *ictero* dicenda reservemus; in id unum hîc attentionem movebimus: *pneumatosin* scilicet *intestinalem*, ex bilis nempe in canali cibario defectu, in hac quoque aegra, ut multis in aliis, occurrisse.

LXV. *Vesiculae felleae inflammatio et gangraena.*

Promissam in primo *Epitomes* volumine, §. CCXLVII p. 265 *vesiculae felleae inflammatae* historiam hîc tradimus, qualem nempe in propriis diariis adnotatam reperimus. Mense scilicet decembris 1787, femina, quadraginta circiter annorum, ad Institutum clinicum *Ticinense* defertur, per quatuordecim jam dies ab hepatitide detenta. Summus, et nec minimum attactum ferens, dolor ad dextrum hypochondrium, nullus vero ad scapulam, erat. Vomebat aegra hinc inde; abdomen modo parum tumebat. Icterum nunquam, sed colicos aliquando dolores experta fuit mulier. Cum pulsuum conditio id exigere videretur, venam aliquoties secuimus; partemque dolentem emolliente cum decocto fomentavimus. Dum haec minime dolorem lenirent; vesicans emplastrum hepatis regioni impositum fuit. Decoctum tamarindorum cum sero lactis, simulac clysteres praescripsimus.

Postquam vero aegra per tres dies apud nos commorata esset; frigus forte eam prehendit. Gangraenam tunc praediximus. Quarta *die*, 18 scilicet decembris, e vivis erepta fuit mulier.

Sectio cadaveris.

Hepar praegrande fuit. Lobus ejus dexter, convexa sui parte et inferiore, a puriformi materia obtectus erat, cujus ope leviter cohaerebat cum peritonaeo costas spurias obtegente. Peritonaeum nequaquam, nisi in levissima parte, quae paulo intimius cohaerebat cum hepate, magis rubrum erat. In superficie convexa

(1) Observationes medico-chirurgicae. Obs. I. de singulari abscessu hepatico etc. *Actis Moguntinis* A. 1783. insertae.

hepatis, durioris ac tumidioris hac in parte, semicirculus apparebat lividus et ater, pollicem latus, et pollices fere tres diametri ita habens, ut vesiculae felleae regio eidem fuerit pro centro. Pars circulo intermedia coccineum magis hinc inde colorem, alibi vero maculas gangraenosas superficiales offerebat. Loco vesiculae felleae, comparuit *tumor albus*, splendens, quasi tendineus, oblongus, profunde ad hepatis incisionem prope lobulum *Spigelii* descendens, cum vicino colon intestino connexus, ac duodeno etiam adhaerens, durus, tactui resistens. In parte hujus tumoris crassiore, ad limbum hepatis, abscessus erat apertus, sphacelosus, pollicem habens latitudinis. Ex laterali et sinistra hujus parte prominebat calculus nudus, felleus, triangularis, apicem suum per duas fere lineas super ulcus, perpendiculariter erigens. Vesiculam felleam hîc subesse mox visum est; hinc tumorem hunc longum aperimus. Tam crassi erant parietes, ut pollicem aequarent, ex infinitis lamellis albissimis, sibi parallele superimpositis, constructi, et albi. Apparuerunt in medio cavoque tumore calculi duo, castaneae fere magnitudinem habentes, fere rotundi, pluribus aliis magis parvis, uno iterum triangulari, circumdati. Interna vesiculae felleae superficies, sphacelosa, foetidissima, crassa et cinerea materia oblita, non plena, ita ut nihil bilis adesset. Detersa per spongiam superficie, comparebant sinus, ex hac in profundum hepar descendentes: quibus compressis, purulenta, melliformis, ex cinereo nigrescens materia foetidissima effluebat. Hepar igitur, quoad circulus ille externus, lividus, illud notabat, interius videbatur excavatum, circulusque ille gangraenae internae confines indicabat. Hoc viscus morbosum, museo pathologico commisimus.

Epicrisis.

Plurima quidem vesiculae felleae praeter modum dilatatae exempla, tum nos ipsi conspeximus, tum alii descripserunt (1). Rara inflammationis, hanc eistidem occupantis, — rarissima vero illa sunt, quae vel ex

(1) Potissima ex istis collegit *F. G. Voigtel*, Handbuch der pathol. Anatomie, III. B. S 70 — 73.

ılculis felleis, vel ex vicinarum partium incendio non
enerint. Suppurationes etiam hujus vesiculae sat co-
osae, et quae partim eandem, vix non omnem;
estruxerint, descriptae fuerunt (1); nullibi vero,
ıod sciamus, *gangraenae*, hujus cystidis cavum de-
stantis, historia exstat. Rarissima etiam dicatur
nta parietum hujus vesiculae crassities, et media
per gangraena splendor et *albedo*. Hanc ultimam
men jam *Lancisius* conspexit (2), atque illa ex
ıriformi, numerosissimis parietum istorum lamel-
cellulosis interposita et condensata materia de-
vanda est. Sub vita aegrae magis protracta, facile
lculus ille felleus, jam fere duas ad lineas hoc e
more prominens, viam sibi in cavum abdominis
rasset. Nisi morbus, antequam ad nos aegra acces-
set, per duas jam hebdomadas durasset; inflam-
atae cystidis felleae symptomata forsitan, ab illis
flammati hepatis ipsius, magis distincta nobis sub
ulos venissent; notari interim merentur: doloris ad
apulam vel humerum, aut jugulum absentia, ac
mor abdominis fere nullus. Supplebit tamen quodam-
odo ea, quam in viro *Bruchsaliensi* conspicuo quon-
m fecimus, observatio. Hic scilicet, quin ullam
ıquam in facie, hucusque semper rubra, flavedinem,
ıt ullum hepatis affecti signum nobis exhibuisset, de
ocissimo dolore ad limbum costarum dextri lateris
ıriarum, subito conquestus est. Attactum digiti non
ebat hic dolor; nec tamen aut alvus obstructa erat,
t venter praeter morem tumuit. Vomituritio qui-
m, nullus autem vomitus urgebat, nec dolor fuit
scapulam. Peritonitidis muscularis, ejusque rheu-
aticae idea tunc nos tenuit, et linimentum loco
lenti volatile inungi curavimus. Die sequente, cum
vesicante emplastro, dolenti loco admovendo co-
aremus, aegrum ab ictero universali detentum, a
lore vero circa costas liberatum deprehendimus. Vel
asmus fuerit vesiculae felleae; vel obstaculum quod-
nque bilis ex ea effluxum impediverit; vel denique
euma hos cruciatus excitaverit; dolor tamen solam

(1) l. c. p. 76 — 79.
(2) Opera omnia, p. m. 46.

ad cystidem concentratus, nec sensibilem abdominis tumorem, nec juguli aut scapulae consensum, solo scilicet ventriculo symptomatice affecto, induxit; quo igitur signo, cystidis inflammationem biliferae, ab hepatis incendio, in quantum haec mala non confluunt, distingui posse arbitramur. Icterum hoc in casu quasi criticum fuisse, doloremque cystidis sedasse: ex bilis, hucusque in systemate biliario arctius coërcitae, communem nunc humorum in alveum susceptione, ac minore jam in ductum choledochum impulsu, repetimus. Cum vero icterum hujus viri, blandiore solventium atque evacuantium usu, quin calculi secesserint, sat facile sanaverimus; non tam felix sane mulieris, cujus historiam exposuimus, ob scirrhum insanabilem, sors esse potuit.

LXVI. *De trismo infantum Tergesti endemico* (1).

Inter proles *Tergestinas*, vix utero exclusas, maxillae inferioris spasmus endemicus est, quem vocabulo corrupto *Muxce* appellant incolae. Post tertium a nativitate diem hic morbus foetum, etsi partu prospero, ac sine ullo morbi, aut labis organicae vestigio in lucem editum, etsi bono colore praeditum, voce sonora vagientem, ubera cum sapore sugentem, et meconium sat abunde egerentem invadit. Prodromum hujus mali signum, plumbei coloris circa labia circulus est. Mox voce miseri privantur, ubera cum aviditate quaerunt; sed ob oris constrictionem sugere impediti, pauculum illud lactis, quod nutrix instillat, libere ad stomachum deducunt.

Post praevia haec symptomata, augetur sensim sensimque pusionum debilitas, vagitus in lamenta permutantur, tremor aliquis eorum ad artus suboritur, extremitates tumefiunt, livescunt: frigidae ac duriores redduntur; donec octava circiter morbi die, cum stertore respirantes, moriantur convulsi.

Longiore retro tempore antiqui hujus civitatis medici quaecunque demum ipsis ad spasmum indicari

(1) Ex epistola R. Protomedici Doctoris *Reuss*, die 27 decembris 1795, *Vindobonam* nobis transmissa, et ex Italico idiomate in latinum translata.

sa sunt, remedia huic morbo opposuerunt. Qui no-
is temporibus medicinam meeum *Tergesti* exercent,
eliora ii antispasmodica, et alia auxilia, eastoreum,
osehum orientalem, camphoram, balnea tepida,
iiora evacuantia, enemata emollientia, oleosa. prae-
ipserunt. Hirudines quoque, ac tandem escharotica,
l omnia incassum, tentavimus: nec me pudet fa-
i, nullum a me infantem, quem morbus hic indu-
e lethalis invasisset, ab interitu fuisse servatum.

Cum primum, anno 1767, mense aprili, hanc ad
bem appulissem, incognitum prorsus mihi pro *tris-*
o, a *Sauvagesio* egregie descripto, habebam; eum
ro nunc ipsemet eundem observassem, differentiam
eo esse positam expertus sum: quod symptomata
orbi nostri leviora, — in trismo *Sauvagesii*, gra-
ora, et quandoque ipso universali eum tetano com-
iata sint. Hunc scilicet ultimum morbum *Tergestini*
minant *Sciare*, *Galli* vero *Sarette* appellant, qua-
aginta interdum per dies extensum, et sensim sen-
nque in salutem terminandum; eum, e contrario,
olium nostrarum affectio *octavum* vix diem attingit,
nemque medicorum industriam, ut prorsus super-
caneam, eludit.

Vera hujus morbi causa hucusque nos latet. Sunt,
i illum urbis nostrae expositioni physicae ac terri-
io maritimo attribuant; sunt, qui eundem ex atmo-
iaerae apud nos inconstantia, ex subitaneo illius
frigidam transitu, pusionibus his, ob suppressae
nspirationis rationes funesto, vel ex hiemis apud
s rigorosioris effectu derivent. Concedo quidem, ex
itatione atmosphaerae praecipiti nervosum systema,
que irritabilitatis momentum non parum perturbari,
ex rigore hiemali similium morborum causas con-
cue augeri; ast vero, cur haec non quovis anno vel
Bosniae vel in *Traciae*, vel in *Moscoviae* Imperiis
ntingerent, ut in quibus, foetus, vix utero exclusi,
pus integrum gelidissimae, et quidem rigidissima
hieme, immergitur? et cur *Tergestina* in urbe
amus, de quo agitur, sub coelo etiam aestivo atque
vidissimo, continuat non modo, sed strages adeo
ijores inducit? cur *Istriae* in urbe, *Maggia* vocata,
a *Tergesti* non nisi quinque miliaribus distante, ubi

medici stipendiati vices antehac agebam, hic morbus, cum tamen et positio geographica, et ventorum conditio eaedem ac apud nos observentur, mihi nunquam oblatus est?

In modum, quo obstetrices nostrates post partum cum prolibus procederent, inquirens, mox expertus sum: quod, usu hac in civitate antiquo, insciae illae mulieres, recens nati infantis ori digitum unguibus armatum inferre, et linguae fraenulum cum impetu lacerare solere, credentes nimirum quod absque tali auxilio nec ubera sugere, nec verba quondam articulate proferre puer valeret. Consuetudini tam stolidae ac barbarae, qua nempe linguae, tot vasorum ac nervorum ramulis ornatae, structura tam facile laeditur, obicem posituri, tum ego ipse, tum socii hujus civitatis medici, obstetrices, quo tam stupidam consuetudinem deponerent, atque, si quae circa linguam operatio instituenda ipsis videretur, chirurgo experto eandem committerent, graviter et sub amotionis a munere comminatione monuimus.

Quod ex indice mortuorum colligo, a primo mensis martii, currentis anni, die, quo *Protomedici* honorificum officium in me collatum fuit, ad ultimum decembris, *quinquaginta octo* modo proles, hinc minore longe, ac pridem, numero, defunctae sunt; sed morbus de quo agitur apud nos etiamnum continuat, et forsitan inter obstetrices mulieres nostrates, erunt aliquae, quae praedicto temerario in abusu occulte perseverent. Tuam igitur, vir spectabilissime, pro mea in te fiducia, opinionem, num scilicet morbus, quem hucusque descripsi ad Trismum *Sauvagesii?* qualis ejusdem tibi origo, quae medendi methodus, pristina opportunior, arripienda tibi videatur? efflagito.

Epicrisis.

Tardius nobis haec epistola reddita fuit, et cum eidem respondendi occasionem quaereremus, temporum hanc injuria prohibuit. Non magna interim viri clari jactura id contigit; nam praeterquam quod digitis obstetricum audacibus tantum quidem morbum ac *Tergestini* foetus patiuntur, adscribendum esse ex eo nobis verisimile non esset, quod ineptae hae mulierculae et in *Germaniae* quondam provinciis perversam hanc

linguae, ut ajunt, *solvendae* methodum absque effectu tam lethali secutae sint; causam satis certam, quae hunc trismum nascentium *Tergesti* endemium induceret, indicare, nobis minime licuisset. Nigritarum in Americam deportatorum foetus, nisi calidiore in atmosphaera per octiduum et ultra degentes, primis a nativitate diebus crebrius a tetano, vel trismo trucidari, — frequentem nascentium hunc morbum esse in *Jamaica*, *Carolinae meridionalis*, *Cayennae*, aliisque coeli calidioris regionibus, hoc quidem ignotum nobis esse haud potuit (1). Ipsam per *Hispaniam* spasmum maxillae inter infantes endemium esse, novimus(2); sed quae *Tergestum*, civitatem soli meridiano minus, quam aliae *Italiae* magis meridionalis partes, expositam, hujus mali occasio premeret, hoc quidem indicatu nobis perdifficile visum est. Non interim nos latet, hanc urbem, quam nos ipsi quondam visitavimus, tum altioris ad radicem montis; tum profundiore ad maris adriatici ripas et angustiore territorio exstructam, nunc ab aquilonaris venti turbinibus gelidissimis perflari, ac vix non rigescere; nunc vero a solis meridiani radiis, tum a vicinis saxis, tum ipsius tranquilli maris a speculo reflexis, vix non exuri; maximis vero ac subitaneis atmosphaerae mutationibus exponi. A solo quidem aëre maritimo trismum endemium sub coelo calido produci, minus est probabile (3); sed cum a tergo saxoso, fere igneo, et a splendente maris unda, solis radii unum quasi in punctum, undique circumscriptum, concentrantur, aërisque magnae simul vicissitudines conspirant, nil nobis ad tetanum vel spasmum maxillae in tenerrima nascentis hominis aetate producendum, deesse videtur. Sporadici quidem, et a nobis observati, trismi apud nascentes causae variae esse possunt, atque maxime nunc in meconii retentione, nunc in cibis foetui praepostere ingestis (4),

(1) *Hillary*, Observations on the epidemical diseases in the island of Barbadoes. *Lionel Chalmers*, in London Medical. Observations ad Inquiries Vol. I. *Bajon*, Mémoires, I.

(2) *Hyacinthi Andreus*, Append. ad compend. *Riverii*.

(3) *Dazille*, observations générales sur les maladies des climats chauds. vid. *Hufeland* N. Annalen. T. I. p. 265.

(4) *J. Hamilton*, observations on the utility and administration of purgative medicines.

nunc in refrigerio subitaneo (1), nunc vero in lacte matris perterritae (2), vix tamen, ut nobis videtur, ex funiculi umbilicalis, qui sensu destituitur, laesionibus (3), quaerendae sunt; sed morbi talis *endemici* ratio, ex causa magis generali repetenda, non alia, saltem a nobis, ab ejus sede nimis remotis, quam ea, cujus mentionem injecimus, adduci potest.

Quod si vero haec ita se habeant; mulieribus illius civitatis praegnantibus, saltem gracilioribus, et quarum opes id genus auxilii concedunt, ut partum atque puerperium in loco magis elevato, aperto, et ab urbe marique distante absolverent, — quibus vero focum domesticum deserere non licet, ut illae, saltem novem a puerperio diebus, prolem anxie a quovis refrigerio, aestivo quoque tempore tam facili, custodiant, ac ut lacte proprio, eoque solo, sub debita animi quiete, prolem nutriant, consilio essemus.

LXVII. *Sanguinis in cavum pectoris effusio.*

Martinus Schmid, Medicinae Doctor, *Vindobonensis*, aliquot ante dies in sublevando pondere viribus superiore, dolorem in pectore persensit: qui dolor post breve tempus auctus fuit. Venam sibi quater aperiri, posthinc medicum seniorem in auxilium accersiri curaverat aeger. Spasmodicae indolis hos pectoris dolores esse credens, volatilia hic praescripsit. Nullum abhinc malorum levamen fuit.

Vigesima prima mensis octobris 1799, hora quarta matutina, amicus alter medicus accersitur. Cum, pectore oppressus, loqui vix posset aeger; in symptomata urgentia hic magis, quam in istius, interceptam saepe, relationem, attentus esse potuit.

Caput erat penitus liberum, mens sibi praesens, oculi lucem ferentes; acies tamen eorum valde infracta, lingua madida, vix non pura, sitis nulla, sputa pauca, aliquibus striis sanguineis intermista, appetitus non prostratus, ructus rari, non olentes, fuerunt. Fa-

(1) *Formey*, med. Ephemeriden, I. B. 2. Heft, S. 19.
(2) *Ackermann*, de Trismo, p. 26.
(3) *Lafosse*, avis aux habitans de S. Domingue. = *Morand*, vermischte Schriften, II.

ies sibi non similis et admodum mutata fuit. Tussis ere nulla, respiratio impedita, loquela dolorem in ectore excitat. Dolor hic ad praecordia haeret inter-a, semper quidem urens; ad certum tamen tempo-is intervallum vehementius sese manifestat, mox eva-esceens, breviter atrocius rediturus, et sic alternans. rdor, dolore etiam evanescente, permanet. Ab atta-tu dolor pectoris non augetur. Decubitus aegri in trumque latus, parum impeditus est. Abdomen atta-tum satis rudem ubique tulit, molle, nee tumidum uit. Refertur, urinam quidquam magis tinetam, ple-no tamen flumine fuisse exeretam. Calor corporis moderatus, eutis sudore vaporoso madida, mollis est. Vires non penitus deletae. Pulsus interim, ultra quin-que minuta prima exploranti, in manu dextera nullus comparuit; in sinistra, parvus, debilisque, minime ta-men frequens fuit. Sub dolore vero ad praeeordia re-deunte, pulsationes arteriae et hunc ad carpum nullae sunt. Tendinum subsultus se nulli manifestant.

Diffieilis admodum hujus morbi diagnosis fuit. Ad vitium interim topicum in cavo thoraeis concludi li-cuit. Ex pulsuum eessatione repetita et longiore, non minus quam ex vultu, sibi prorsus non simili, fata-lem morbi exitum amieus praevidit medieus. Cum vero nullum sie dieta antispasmodiea effectum hueusque praestitissent, mixtura oleosa, cum tineturae anodynae guttis deeem et syrupo papaveris, praeterea vero enema ex aqua ehamomillae, cum ejusdem tineturae guttis viginti, ae fomentationes emollientes ad peetus, praescripta fuerunt. Doloribus interim eontinuo acu-tis, et quovis sub reditu acrioribus, ad camphorae si-mul ae moschi usum confugitur; incassum vero haec omnia propinantur, ae ipsa hac die, hora quarta po-meridiana, vitae finis imponitur.

Sectio cadaveris.

Habitus eadaveris externus, nihil, quod notatu di-gnum esset, obtulit. Pulmo dexter, praesertim vero lobus ejus superior, eum pleura eoncretus detegitur. In parte hujus lobi pulmonalis superiore, tubercula duo, ad nueis juglandis magnitudinem aucta, et dura, comparent. Facies caeterum hujus visceris exterior,

sana, nec ullum inflammationis vestigium fuit. In cavo dextro thoracis, etsi cauta manu aperto, sanguinis nigri uncia una cum dimidia stagnavit. Pulmo sinister, pleurae hinc inde firmiter concretus, caeterum vero sanus fuit. Cor ipsum cum suo velamento, nil morbosi ostendit, nec ullum in ejus vasis majoribus vitium, aut signum aneurysmatis, varicis repertum fuit. Viscera abdominis meliore modo constituta fuerunt.

Hanc nobis morbi descriptionem communicavit indefessae vir industriae, ac noster quondam in clinico *Vindobonensium* Instituto Auditor, *Josephus de Sandorffi*, Hungarus. Antequam vero tristem hanc morbi commentemur historiam, sequentem e nostris diariis extrahimus affectionis non minus lethalis memoriam.

Historia altera.

Floridi corporis juvenis *Helvetius*, medicinae candidatus, annorum circiter octodecim, morum integritate non minus, quam ingenii dotibus, praestans, *Ticini* in febrem acutam, inflammationem, incidit, ex qua per venaesectiones aliquot, et per blandiora ventrem evacuantia remedia perfecte convalueral; cum sex post menses, nova febris, ut videbatur, ejusdem indolis, eundem, ingluviei quidquam indulgentem, prehenderit. Postquam aeger venam sibi bis aperiri curavisset, ad Institutum clinicum deferri expetiit. Hic paucarum dierum spatio febris omnis evanuit; sed ab ea, testiculus sinister intumuit, doluit, ac durior, incaluit; ex urethra vero humor albescens, sub nulla dysuria, effluxit. Num hoc genus vitii per contagium contraxisset, interrogatus, nunquam sibi ullum cum muliere commercium fuisse, respondit; nec certe nobis, si quid fragilitatis ei accidisset, id nobis reticere voluisset ingenuus in omnibus ac sincerus admodum juvenis. Cataplasma emolliens tumenti testiculo impositum, ac althaeae decoctum pro potu praescriptum fuit. Tres reliquos per dies aeger belle se habuit, ac tumor, minus dolens, mollior, quidquam subsedit. Talem, quarta die, horis matutinis, aegrum conspeximus. Cum vero, ob salutis propria incommoda, clinicum Institutum, pro nostra consuetudine, vespere adire non possemus; aeger primum inquietus fieri,

umque nostri desiderium medico, vices nostras agenti, commilitonibus exprimere coepit. Hi vero, eum nihil rebus aegri mutatum, nec ullum a morbo periculum portendi reputassent, quietum ac animi composti eum esse amice monuerunt. Aucta, versus noctem, aegri anxietas fuit, respiratio ei suspiriosa; gemebunda, difficillima, accessit, ac adstante clinices chirurgo, post mediam noctem jactabundus ille animam efflavit.

Sectio cadaveris.

Praeter sex circiter sanguinis sinceri, fere coccinei, n dextro thoracis cavo fluitantis, uncias, nihil quod debita partium constitutione recederet, deteximus. Inde cruor effusus huc venerit, anxie, sed incassum, nquisivimus; nec enim aut cordis vitium, aut arteae, aut venae morbosa expansio, nec lacerationis, olutionis cujuscunque vasorum aut pulmonis, aut pleurae, aut mediastini, aut diaphragmatis, vestigium repertum fuit.

Utriusque morbi epicrisis.

Quam tenui filo, quem nec subtilissimi digitus anatomici prosequatur, vita hominis pendet! — Quod nervorum, quorum fabrica intima oculi humani aciem ugit, laesiones tam saepe a morte nos lateant: hoc uidem, licet summi ac lethales has effectus secuti int, non est quod miremur; sed vasorum, quae sanuinem vehunt, ac eundem, cum ex capillaribus esse on queant, laesa, quantitate conspicua plorant; hoc natomici mentem pathologi, nisi alia hujusce phaenomeni explicatio subintraret, percellere deberet. *Secretiones* interim *cruentas*, sicuti serosas lymphaticasve, sub morbi diversis fieri, non primi quidem nos locuimus, sed maxime in quinti *Epitomes* libri §. DLXXXIV. DCXLI. tum ratione, tum experientia suffulti, demonstravimus. *Inflammationis* ad superficies secernentes effectus frequens est, sanguinis ex ista, non laesa certe aut rupta, sed integerrima, distillatio; ac centenis peripneumoniae in casibus, hunc sanguinem, vel sero plus minus copioso dilutum, vel lymphae coactae filamentis remistum, vel sincerum,

in thoracis cavo effusum, absque omni continui laesione, deteximus (1). *Pleurae* quidem, secundum nostras observationes, frequentior, sed et *peritonaeo*, ac ipsius *cerebri velamentis*, communis haec, rorem sanguinolentum, sub certis conditionibus exhalandi, dispositio est. Nec in sola inflammatione hanc ipsam subsistere dicendum est. Quovis sine impetu sanguis menstruus, ab utero aversus, per uberum papillas, aut digitorum per apices periodice ac tacite aberrat; et cruorem per cutis spiracula, non aliter quam ipsum sudorem, aegri hinc inde sudarunt. Quaevis partium, inflammationis etiam expers, irritatio, hos aliquando effectus producit; ac *petechiarum* non minus, quam *suggillationum*, *macularum* aliarum, absque conspicua vasorum solutione, quam injectiones vasorum, et hoc sub statu felices, refutant, copiosa exempla id testantur. Verisimile quidem est, in casu *Vindobonensis* aegroti, a gravi nixu pulmonis aliquam laesionem contigisse; hanc vero laesionem in continui solutione, aut in vasorum ruptura constitisse; hoc quidem sectio pathologica, si ob possibilem laesionis exiguitatem cum certitudine in totum negare non queat; saltem illam, cum majore industria licet, quaesitam, non comprobat. Nec etiam probabile videtur, tam paucam sanguinis effusi copiam, majorem hîc, quam causa, quae cruorem effundi coëgit, effectum habuisse. Verum quidem est, liquidi etiam non multi in pectoris cavum, semper et ubique plenum, celerem ac subitaneam effusionem, non minora saepe, quam si copiosior ea, sed lentior inundatio fuisset, symptomata provocare; difficile vero est, actionem cordis et arteriarum vix non omnem a sanguinis in thoracem effusi uncia una cum dimidia suspendi, quam actionem in majore hydrothorace, nisi cordis aut vasorum hujus majorum a vitio producto, librae seri complures effusae, vix ante mortem adeo suspendunt. Quare sanguinem, hoc

(1) Simile exemplum *Morgagnius* adducit, ex eo potissime memorabile, quod, cum pulmo sinister, excepto lobo superiore, ubique inflammatus esset, ex eo tamen lobo sanguis guttatim, ultra libras quatuor destillaverit, etsi ad aspectum sanissimo. *De sed. et caus. morb. Epist.* XX. *art.* 17.

in exemplo, ad thoracem collectum, partem quidem malorum sat magnam, — causam vero, quae cruorem hunc aut secerni, aut alio modo effundi, induxit, vel maximam et potissimam habuisse; ac probabili ratione magis in nervi, in cordis sistema influentis, tensione subitanea, violenta, vel laesione, quam in vasis pulmonalis solutione, quaerendam fuisse putamus.

Quid effusionem sanguinis in *Helvetii* juvenis thoracem induxerit, arduum certe est dicere. Nunquam saltem hoc nobis communissimis sub testium inflammationibus, cujuscunque demum indolis, obvenit phaenomenon. De *cynanche* quidem *parotidaea*, in *Epitomes* libro II. §. CLXXIV. monuimus: tumorem parotidum in ea subito dispersum, quod et *Burserius* (1), et nos vidimus, inopinate interdum in viris ad testiculum, ad mammas, vel et ovaria, in mulieribus, cum acuta abhinc febre, converti. Hoc etiam testium tumore concidente, *Hamiltonius* lethales ad cerebrum metastases contigisse advertit (2); nec miraremur sane, tale quid nostro in aegro ad pectus magis, quam ad caput, locum habuisse; sed quamvis ille, testiculi tumorem sibi nullo a contagio accessisse, sancte affirmaverit; nulla tamen in morbi ejus historia, praegressae cynanchis parotideae, caeterum in *Italia* frequentioris, fit mentio.

In genere haemorrhagiarum internarum diu non satis exculta doctrina fuit, et quaevis illarum historia eo magis medicorum attentione digna est. De illis cruoris in cava corporis effusionibus, quas aut vulnera, aut ulcera, aut externae injuriae producunt, vel quae saccos aneurysmatis aut varicis diruptos sequuntur, et quas ex propria non minus, quam aliena observatione jam alibi descripsimus, hic non agitur; nec de profluviis cruentis, quae apud aegros scorbuticos

(1) Instit. med. pract. Vol. III. p. 275.

(2) Legendus super hoc morbo inprimis est *R. Hamilton*, Transactions of the Royal Society of Edinburgh, T. II. — et London medical Journal, Vol. XI. 1790. P. II. p. 190 übers. in Samml. auser. Abhandl. f. pr. Aerzte. B. XIV. S. 34. sqq.

ad interna corporis sat crebro contingunt, et quae vasorum debilissimorum solutionem haud raro pro origine agnoscunt, hîc sermo esse potest. Sed illa praeprimis internorum cavorum profluvia cruenta, quae absque his causis succedunt, huc spectant. Talem quoque *Morgagnius* notatu dignam, et nostrae fere similem, observationem adducit; viri scilicet ex dysenteria defuncti, in cujus thorace sanguis non paucus, etsi nulla viscerum laesio comparuerit, repertus fuit (1). Non multum hoc ab exemplo abludi altera, ejusdem scriptoris summi, observatio, de viro nempe, in cujus cavo thoracis, cruoris quamplurimum repertum fuit, etsi, praeter aortae aneurysma non ruptum, caeterae quoque partes nec minimum laesionis, unde sanguis ille propullulasset, vestigium prodiderint (2). Ex *apoplexiis*, ut vocant *sanguineis*, ut fusius quondam referemus, non paucas ex *secretione* magis *cruenta*, quam e vasorum cerebri *solutione* venisse, opinamur.

LXVIII. *Dolor inguinis periodicus.*

Quartus jam agitur annus, a quo *Andreas Rossi*, adolescens vix pubertatem adeptus, et gracili corporis habitu, sub finem aestatis, vel ineunte autumno a febre prehenditur gastricae indolis. Annis elapsis statim sociabatur, vel et praecedebat, dolor eo loci, quo glandulae inguinales insident in latere dextro, assidue quidem, sed interdum minus, aliâs magis molestus. In ea parte nihil praeter naturam, nisi quod glandulae aliquantisper tumerent, et tactum refugerent. Abdomen molle. Evacuantia ex natura febris, indicata, et pro ratione repetita, omnem tum febris tum etiam doloris curam absolvebant.

Hoc in casu gastrica colluvies, quae febrim incendebat, symptomatico modo dolorem etiam produxisse videbatur.

Mense junii 1793 ad finem vergente, denuo intermittente febre corripitur, cephalalgia et gastricis symptomatibus stipata; nullus autem dolor ad inguen.

(1) l. c. Ep. XXXI. art. 14.
(2) l. c. Ep. XVII. art. 17.

Secatur vena, et pluries adhibitis pharmacis sollicitatur alvus. Febris fugatur. Post octo dies recidivam patitur, quae tertianae duplicis typum observat. Iterum purgatur, et iterum a medico curante (in civitate autem degebat studiorum causa); nulla obtinetur febris remissio; imo supervenit dolor ad inguen, non assiduus quidem, ut caeteris annis, sed periodicus: talis, qui ingruente paroxysmo, intensius urgeret, remittente febre remitteret, in apyrexia fere cessaret. Domum reduce, cum nulla observarem gastrica symptomata, summam vero astheniam animadverterem: statim ad corticem confugi, ut qui par esset non tantum febri debellandae, sed etiam dolori, febri pedissequo, consopiendo. Ast febris quidem fugata fuit, dolor vero quotidie, eadem hora, qua febris invadere solebat, fulminis ad instar, aegrum aggrediebatur nullis praecedentibus indiciis; per quatuor horas circiter saeviebat; sensim inde decrescente, ingruebat somnus, a quo experrectus se liberum gratulabatur. Talem dolorem mere nervosum esse, tum illud praecipue indicabat, quod perfectam servaret periodum, tum quoque defectus alius causae, quae accusari potuisset. Nullus nempe observabatur cum caeteris partibus consensus; nullus tumor in abdomine; appetitus integer, cum alvo aperta; nec dubium de affectione haemorrhoidali, aut acri quocunque latente fuit. Opium igitur cortici nuptum porrigebatur binis horis ante paroxysmum, tum etiam majore dosi statis intervallis apyrexiae, ut ita dicam, tempore. Neque omissa fuerunt alia antispasmodica; tum etiam vesicans loco dolenti admotum fuit. Omnia autem incassum. Constanter etenim recurrebat morbus; imo ultimis diebus, ingruente paroxysmo, tussis sicca aegrum excruciabat cum cephalalgia, et pulsus quidquam elevatiores facti sunt. In tanta morbi pertinacia tuum, praeceptor colendissime, effatum audiendum esse duxi. Suasisti ergo fomentationes frigidas *Schmuckeri*, loco dolenti applicandas; linimentum volatile cum laudano liquido, ad partem femoris internam illiniendam; corticem vero peruvianum cum valerianae radice nubendum esse. Quodsi haec, dicebas, nullius essent utilitatis; tunc octo hirudines applicen-

tur inguini, experientia scilicet edoctus, quod aliquando, deficientibus etiam pletorae universalis indiciis, non desit plenitudo localis; qua nisi sublata, opiatorum vis eluditur. Res voto cessit. Caeteris enim irritis, hirudinum ope multus sanguis, isque densus, eductus fuit. Denuo porrectus est cortex cum opio. Sequens paroxysmus mitior fuit, altera vero die siluit omnis dolor, siletque feliciter.

Epicrisis.

Morbi hujus rebellis descriptio debetur Auditori antehac nostro, *Petro Fogliani*, M. D. *Mediolanensi*, tunc oppidi *Casalis-Pistorii*, medico stipendiato, felicissimo.

Glandularum inguinalium dignitas, non tanti hucusque, ac quidem merebatur, est habita (1). Morborum, quos contagia generant, non solum eorum, qui homini a coitu impuro insidiantur, sed febrium adeo vel maxime lethalium, has glandulas esse aut praenuncias, aut malignitatis testes, aut judices, — effectuum etiam morborum diversorum, sedem eas sistere ultimam, non raro, prae illis, pertinacem — haec quidem medicorum neminem fugiunt. Sed de istis hîc quaestio esse non potest; nostram vero attentionem meretur extrema harum glandularum, maxime in sexu virili, approximante pubertate, sensibilitas, qua in pueris, si non omnibus, saltem in plurimis, vel antequam inguen pube contegatur, tenduntur ac turgent, incalescunt, subrubescunt, attactum recusant, et pueri ingressum fere impediunt. Quo tempore haec ad inguina puerorum contingunt, corporis in longum extensio celerius quam antehac augetur; quae ratio est, cur hi tumores, diversis Germaniae provinciis *die Wachsbeulen*, *Wachsknoten*, seu nodi, futurum corporis incrementum denotantes, vocantur (2). Plures interdum per menses tumores hi, ab inexpertis interdum pro herniis falso declarati, continuant; fe-

(1) Dignitatem earum perspexit *P. I. G. Cabanis*, et egregie exposuit in *Rapports du Physique et du Moral de l'homme. Paris* 1805. T. I. p. 344.

(2) Bubonem crescentium vocat *Sauvages*; alii *fugacem* appellant.

briculam interdum ae morositatem inducunt; nunquam tamen, quod sciamus, aut suppurant, aut contractam duritiem eonservant (1). Quid sexus sequioris inguina hac pubescente in aetate patiantur, id, ob rei levitatem, illiusque verecundiam, rarius ad medicorum notitiam venit; ac forsitan glandularum mammillarium auetus tune sensus ac tensio major, eorum, quae in pueris ad inguina eontingunt, vices peragunt. Quod si ex primo semine, a vasis lymphaticis resorpto, apud istos haee pendeant; quam prompte hoc vasorum systema novo huie stimulo adsueseat, vel ex eo deduci potest, quod, priusquam prima seminis evacuatio locum habeat, inguinalium tumor glandularum jam diu subsederit.

Ad aegrum, cujus historiam hîc tradidimus, quod spectat, rarissimus sane dolor ille inguinis est, quatuor ante annos, sub febre continua comparens, — ab ista sanata, dispersus, — tertium post annum, occasione febris intermittentis, reversus, — atque hac licet fugata, eadem sub periodo pertinaciter ac diu continuans. Justum erat sane, hunc dolorem, hora semper eadem tum reverti, tum dissipari solitum, cum cortice, — atque dum iste non sufficeret, cum opio, debellari. Cum interim ea, quae aliquo cum stimulo agerent, nullam hucusque opem tulisse compertum haberetur; non minus nobis aequum visum est, phaenomeni hujus eausam simul ex vasorum sanguineorum ad glandulam

(1) Singularis morbus, et qui nonnisi ratione loci dolentis, et periodi, quam observat, adduci hic meretur: febris nempe anomala *elephantiam* inducens, seu pedis enormem tumorem. Oritur scilicet hoc malum cum *glandularum inguinalium* tumore inflammatorio; post nycthemerum aut longius tempus succedit tumor cruris inflammatorius, glandulae inguinales subsident. Plures ejusmodi insultus absque typo manifesto sequuntur, post quorum singulos pes magis magisque intumescit ad molem monstrosam. Cortex peruvianus in praepediendo hoc malo perutilem se ostendit. Hunc insulae *Barbados* morbum describunt *Town*, on the diseases of the West Indies, = *William Hillary*, observations on the changes of the air, and the concomitant epidemical diseases in the Island of Barbados, pag. 304 = *Hendy*, a treatise on the glandular disease of Barbados, = *J. Rollo*, Remarks on the disease lately descibend by *Dr. Hendy*.

inguinalem infarctu ac repletione repetere; etsi, cur specialis haec plethora non continuo, sed modo periodice aegrum torqueret, minus esset intellectum. Hirudinum igitur officium, localium ejusmodi adfectionum, hoc demum subsidio devictarum exemplis edocti, proficuum fore duximus; ae revera, eodem adhibito auxilio, periodus quidem ipsa non protinus deleta, sed, quo per corticem opiumque tolleretur, praeparata, et eombinato localis depletionis, eum internis remediis subsidio, felicissime fugata fuit: ut qui rerum eventus, eorum, quae, quondam de morbis periodicis monuimus (1), doctrinam eonfirmat.

Quo interim morborum periodieorum causis minus communibus plus lucis affulgeat, sequentem hîc observationem subneetimus.

LXIX. *Carus periodicus a vermibus.*

Antonius Chizzoli, annorum eireiter tredecim, die 20 maji 1790, hora seeunda pomeridiana; nullo praevio horrore, paulatim a somno corripitur, sensim tam profundo, ut sexta hora accedens, nullis eum irritamentis excitare potuerim. Respiratio erat admodum pacata; flaccidis omnino artubus puer jacebat prostratus. Pulsus mollis. expansus erat, facies pallida, maxilla inferior perdifficulter a superiòre deduci potuerat. Per omnem noctem hoc in statu permansit aeger; mane vero expergefactus, ferme stupidus erat, ac de lassitudine conquestus est. Lingua flava, et muco obducta sistitur. De ventris torminibus, elapsis diebus, puerum conquestum esse adstantes affirmant. Accedente hora pomeridiana secunda, ille iterum hesternum in statum delabitur, et sex dierum spatio hanc morbi periodum constanter observavi. Tertianae, aut perniciosi generis febres tunc temporis apud nos minime regnabant. Nullum verae febris aderat signum. Facies non erat, qualem in febribus soporosis omnibus vidi; vidi autem, et curavi quamplurimas istarum in atmosphaera paludum *Pontinarum* malesana medicinam antehac exer-

(1) Oratio Academica de periodicarum affectionum ordinandis familiis, *Ticini* R. mense maji 1791 recitata. Continetur haec oratio in *delectus* nostri *opusculorum medicorum*, Vol. X

cens. Lurida etenim ejusmodi aegrorum facies a medico dignoscitur quidem, sed calamo describi non potest. Hac igitur considerationes dubium mihi omne de febre perniciosa sustulerunt; morbum hunc autem *carum periodicum a vermibus* nominavi, cujus scilicet exemplum nec ipse videram, nec apud alios Auctores descriptum legisse memini.

Primis tribus morbi diebus incassum adhibita fuerunt et anthelminthica et laxantia, quovis mane, dum evigilaret puer, propinata. Porrigebatur autem pulvis ex radicis valerianae sylvestris et seminum santonici ââ scrupulo uno, ex diagrydii sulphurati granis duodecim, et mercurii dulcis granis sex. Hinc dicto huic pulveri adjunxi unctionem ex olei laurini, tincturae myrrhae, et aloës ââ drachmis duabus, pulveris gummi aloës drachma una (1). Et revera, repetite quater aut quinquies unius diei curriculo hoc unguento, circa umbilicum illito, copiosos aeger ascarides lumbricoides deorsum rejicere cepit, et sex dierum spatio, hospitibus his ad judicationem perfectam expulsis, excusso somno, ad pristinum valetudinis statu revocatus fuit. (2).

Epicrisis.

Longe absumus certe, quin vermibus potentiam in corpus humanum tribuamus, quam toties causae aliae, negligenter nimis crutae, jure longe majore sibi vindicant. Interim si visceralia haec et nobis domestica animalcula, ex primis viis in nervos longinquos, his amicos, agendo, et vocem puerorum, et visum pro tempore, quod et nos experientia docuit, abolere queunt; cur sensus illa plures sopire, hominemque in somnos prosternere non possint, non perspicimus. Nec periodice hos ab illis effectus produci mirabitur, qui nova ad fercula, periodice oblata, vermes data hora adrepere, suumque cum homine prandium, non satis aequa semper bilance, dividere, considerat.

(1) Hoc unguentum summopere commendarunt cl. *Brugnatelli*, Bibliotheca fisico-medica T. VIII. et Dr. *Boy*.

(2) Observationem hanc, pluresque alias, nobiscum communicavit *Joannes Vinelli*, M. Dr. noster quondam Auditor egregius.

Febres periodicas cum caro aut lethargo incedentes, plerumque ad *perniciosas* spectare, certum est; in praesente vero casu *larvatam* magis *febrem* (sollicite a nobis, in *Epitomes* L. I. §§. XXXII. XXXVI. XLVI. distinctam) quam *malignam* subfuisse, apparet. Nullum nempe, morborum licet diversissimorum, symptoma est, quod illa sibi arripere, propriumque sub illo characterem, solius periodi, minorisque ac in *perniciosa* discriminis ratione internoscendum, abscondere non valeat. Cum vero clandestina morborum pericula vel sero nimis patefieri, vel ex signis parum fidis praesagiri, sortem aegrorum, in primo casu funestam, in altero, ambiguam valde, et quam medicus, ob firmae diagnosis defectum, vix corrigat, esse sinit; hinc, quanti intersit, ut larvam hic febri, *perniciosam* simulanti, mox detrahat, vel sponte elucet. Non minoris certe momenti, matura febris, quam *subcontinuam* vocavit *Tortius*, a vera continua remittente, distinctio est; sed utraque in re, paludosis inprimis in locis, iliacos intra muros peccatur et extra. Sic anno 1789 in conspicuo ducatus *Mantuani* oppido regnavit sub autumno, febris epidemica primo aspectu continua, quam per sanguinis missiones, cum insigni aegrorum strage debellare conatus est medicus. Alter tunc, qui hanc averteret, a *Mediolanensi* supremo Gubernio missus fuit; qui recte quidem cruoris detractionem damnavit; sed morbum pro febre *biliosa* declarando, emetica et alvum evacuantia non pauca, cum eventu non minus sinistro, propinavit. Junior tunc, sed circa febris tum *perniciosae*, tum *subcontinuae* indolem prope instructus, medicus accessit. Hic, tempus autumnale, loci positionem paludosam, regnantes in vicinis pagis circumcirca febres periodicas; morbi epidemici, inter duas accessiones, breves quidem, sed notabiles, certisque fere horis concessas aegris inducias, — num quidam ex istis, antequam eos febris acuta prehendisset, febre primum periodica, quae in continuam transivisset, laboraverint? — num inter paucos, qui ex febre epidemica evaserint, fuissent aliqui, in quibus haec intermittentem in febrem mutata fuisse videbatur? — atque dum utrumque confirmari audivisset, num urinae aegrorum plurimorum sedimentum

literitium deponerent. num febris accessiones cum sudore conspicuo sederent, num exacerbationes sub suo ingressu vehementius mox urgerent, vel modo sensim sensimque ad acmen pervenirent, inquisivit; his singulis ita se habentibus, febrem ad subcontinuam pertinere conclusit, et eamdem solo cum cortice, ad artis regulas porrecto, in omnibus, quos curandos susceperat, felicissime ac prompte fugavit.

Non aliter cum febribus *larvatis*, aut adeo cum *perniciosis*, res constitutae sunt. Ac primo quidem *perniciosae*, dum caput suum exserunt, vel nullum eae, quo a febre periodica benigna distinguantur, proditrices, phaenomenon offerunt; vel minus subdolae, terrifica mox, et interdum sub quovis paroxysmo mutata facie comparent; sed donec prima per funera character earum delcterius se prodat ac cives consternat, pauca sunt, quae easdem, larvatis a febribus, nisi forsitan mitioribus, distinguant, symptomata. *Gregales* tamen fieri. vel adeo *epidemicas* esse amant *perniciosae*; dum *larvatae* febres. *solitariae* magis, modo hunc vel illum corripiunt. Regionibus illae paludosis, sub coelo minus rigido, nisi character epidemicus haec supplcat, fideles sunt; *larvatae* vero febres indistinctim ubique nascuntur, nec praegressis funeribus infames sunt. Extensissimas in *Polonia* et *Russiae* Imperio paludes conspeximus, ac de noxiis harum in *Italia* effluviis edocti, ex simili causa similes effectus timuimus; paucae interim febres intermittentes illas inter paludes, — *perniciosae* vero paucissimae succrescunt. Septentrionalibus nempe magis in oris sol aestivus, etsi fervidissimus, ac a nocte breviore modo parum interruptus, vix duorum spatio mensium, terrae superficiem ad non magnam profunditatem penetrare, nec inferiorem huic glaciem solvere consuevit: unde superiores huic fundo congelato paludes nec tam intense putrescere, nec tam infesta mortalibus effluvia spargere queunt. Atqui si haec, febrium *perniciosarum*, nisi epidemico magis, quam paludoso influxu natarum, proventum fere impediant; non tamen *larvatas* hinc inde subnasci vetant. Manet igitur, secundo, idem de his febribus *larvatis*, quam quod de *subcontinuis* retulimus, judicium: ac

aëris, loci, aquarum natura, anni tempus, morborum simul regnantium indoles, aut etiam absentia. in genere vero, alia, de morbo epidemico in ducatu *Mantuano* regnante capta indicia, medicum rectiora docebunt. In puero, cujus historiam hîc tradidimus, interea ac nullae intermittentes febres, vel benignae, vel perniciosae, regnarent, ventris praecesserant tormina, hac in hominis aetate frequenter a vermibus produci solita. Etsi vero *stupiditas* cum lassitudine post absolutum paroxysmum reliqua, *Werlhofio* quondam, furente scilicet epidemia, justum *perniciosae* febris metum incusserit; plures tamen, suspecti licet, paroxysmi ab aegro absque vitae dispendio transacti, maxime vero coloris illius luridi, ac strangulatis vix non hominibus in facie fere proprii, notique medico ordinario, in perniciosarum cura non parum certe versato, habitus his febribus proprii absentia, diagnosin morbi, aliis difficilem, minus arduam reddere, debitamque methodum indicare valuerunt.

LXX. *Febris intermittens urticaria.*

Demetrius Rostislavov, Academiae medico-chirurgicae *Petropolitanae* alumnus, medicinae ac chirurgiae candidatus aetatis 23 annorum, constitutionis debilis, parum bene nutritus, vitam agens sedentariam, ac refrigerio frequenter expositus, praeter exanthemata aetati juvenili propria, tribus abhinc annis alterum passus est, per squamas saepe resolutum. Ob hoc ipsum, per multos menses, et emetica sumpsit, et alvum purgantia repetite adhibuit, viresque non multas sibi magis infregit. Mense julii 1805 morbum, ei, quem nunc descripsimus, similem, per duas hebdomadas passus est.

Die scilicet 31*a* mensis januarii 1806, calere incepit, ac deinde, ob nimium sudorem languidus, in lipothymiam incidit: a qua tamen, frigido liberoque coelo expositus, mox iterum restitutus fuit.

Die 2*a* mensis februarii, circa horam septimam matutinam, vix a somno, per omnem noctem minus quieto, excitatus, horrorem ac frigus persentiens, lectulo se denuo commisit; mox vero de capitis dolore ac nausea conquestus est. Sequitur haec, vomi-

tus ter quaterve repetitus, nil praeter mucum tenuem aquosum rejiciens. Post vomitum, calor ardens illico per totum corpus expansus fuit, a quo, capitis dolor, pristino longe vehementior, ventris tormina, sitis maxima, secuta sunt. Frigidam, vix haustam, aeger cum summo rejecit impetu. Sub hoc rerum statu tandem proruperunt in cute papulae, primum quidem distinctae, paulo post tamen confluentes *illis* similes, quas cutis ab urticis caesa, pati consuevit. Simulac vero hae papulae per cutem omnes effloruerant, dolores undique atrociter fuerunt adaucti. Insignis abhinc anxietas, jactatio, inquietudo, ac morituri quasi hominis pallor et debilitas insecuta sunt; atque hoc sub statu, miser juvenis in clinicum Institutum *Petropolitanum* delatus fuit. In lecto tepido aliquamdiu detentus, pruritum aeger atrocem, sub quo cutem sibi cum unguibus vix non lacerabat, persensit.

Mox balneo tepido commissus fuit aeger. Praeterea infusum sambuci, cum aceti ammoniacalis uncia una et spiritus nitri dulcis drachma una, omni semihorio ad cyathum dimidium sumendum, praescriptum, simulque clyster ex infuso chamomillae, cum oleo lini injectus fuit.

Post horas aliquot, multum sese sublevatum sensit aeger; et ad vespéras, maxime vero die subsequente, quam optime se habuit.

Non diu interim res ita se habuit: cum enim hic juvenis et sibi, et sociis, a morbo restitutus videretur; *die 4a* februarii, prima post mediam noctem hora, de novo invasus fuit. In hoc tamen hodiernus paroxysmus a pristino differebat: quod frigus deesset, ac cephalalgia, quod antehac non contigit, antecederet; quod nullus ab exanthemate pruritus esset; quod istud minus hodie confluxeret, nec insulas, quas heri, formaret. Quamvis interim mitiora haec videri potuerint; major tamen aegri debilitas insecuta est, pulsus exiles celeresque, capitis dolor admodum molestus, anxietas fere continua fuerunt. Praeterea singultus per plures horas, etsi non violens, aegrum vexabat; somnus nullus, sed perpetua corporis jactatio fuit. Urinae rubrae et crassae, majore tamen copia, quam sub prima invasione, secedunt; alvus vero nulla est.

Hac sub rerum positione, infusum radicis angelicae cum spiritu nitri dulci, quavis hora, dimidium ad cyathum, intermedio vero tempore granum camphorae propinantur; clysma injicitur, ac tepidum in balneum aeger iterum demittitur.

Die 6a, ante mediam noctem, nova denuo suboritur accessio, brevior tamen pristina, et mitior. Exanthema minore copia superiores modo extremitates obsedit, mox vero disparuit. Sudor minus abundans a paroxysmo secutus, alvus vero aperta est. Major interim oris amarities, simulque evidentior aegri debilitas comparent. Inquietudo continua inter caetera symptomata eminet, omnemque somnum prorsus excludit.

Periodo morbi evidentius nunc cognita, corticis chinae flavae, in vino rubro maceratae, grana viginti quavis hora porrecta fuerunt.

Die 7a. Duplex hodie chinae dosis omni hora ingeritur. Sequitur nox tranquilla, nec ullus sub ea paroxysmus aegrum invasit.

Die 8a. Cum res optime incederet, corticis modo decoctum cum spiritu nitri dulci, quovis bihorio porrigitur. Post paucas dies, amarorum sub usu, sanitas perfecta aegro restituta fuit (1).

LXXI. *Febris intermittens urticaria.*

Joannes Volk, faber ferrarius 20 annorum, tres ante annos gravi morbo per decem hebdomadas detentus, ab eo sanus vixit. *Die* vero 22*a* aprilis 1804, post validiora corporis exercitia, vino quidquam indulsit. Ad noctem ille a calore prehenditur eamque insomnem transigit. Ad horas matutinas sudor aliquis subsequitur.

Die 23*a* melius se habens aeger, lectum deserit et cum sociis cursu certavit. Calefacto abhinc corpore atque defatigatus, cerevisiam ingurgitat.

Die 24*a*. Scena prima de nocte repetitur. Cephalaea fortis, tussis frequentior, dyspnoea, dolor pectoris, calor, somnum arcent. Sudor subsequens morbum sublevavit.

(1) Historiam hujus aegri conscripsit *Gregorius Elpidinsky*, Academiae *Petropolitanae* medico-chirurgicae alumnus.

Sic omni tertia die febris rediit usque ad 27ma aprilis; sub cujus diei paroxysmo, medio sub calore nocturno, exanthema prodiit, urticariae, secundum aegri descriptionem, simile, sed quod hac ipsa die nosocomium adiverit, e cute dispersum.

Die 28a aprilis 1804, aeger in clinicum Institutum *Vindobonense* suscipitur. Compagem corporis ille offert sat firmam. Calor moderatus, pulsus debiles, non admodum frequentes sunt. Dolet caput, ardent oculi, sitis magna est; tussis frequens et sicca, respiratio, propter dolorem punctorium in latere sinistro difficilis, decubitum hanc in partem impediens. Urticariae exanthema sub quavis accessione comparuisse refertur.

Decoctum radicis althaeae stipitumque dulcamarae, cum roob sambuci praescribitur.

Die 29a. De nocte fere nihil aeger dormivit. Pruritus per omnem corporis superficiem, tussis, calor febrilis hominem vexarunt. Exanthema urticariae nunc a nobis quoque in plena efflorescentia conspicitur. Sputa sunt mucosa, tenacia. Dolor pectoris punctorius disparuit. Acetum ammoniacale decocto supra dicto superadditum fuit.

Post largum sudorem, vespere exanthema disparuit; perstabat tamen febris, sitis erat magna, tussis multa.

Die 30a. Nocte bene dormivit, non multum tussiit, sputa mucosa, tenacia, cum notabili ad pectus levamine rejecit; alvum, et urinas sat multas excrevit. Ad vesperas apyrexia notabili gavisus est aeger.

Die 1a maji. Nox fere insomnis fuit, calor magnus, febris valida accesserunt, sub quibus urticariae denuo exanthema prodivit. Sputa sunt tenacia. Praescribuntur sequentia:

R. Infus. fl. sambuc. unc. vjj.
Tartari emet. gr. j.
Spirit. Minderer.
Syrup. simpl. ana unc.

Capiat omni bihorio unciam.

Hora prima pomeridiana, sub sudore, exanthema iterum disparuit.

Die 2a maji. Febris nulla. Tartarus emeticus in medicina omittitur.

Die 3a. Hora septima matutina frigus aegrum concutiens accessit, ad duas horas extensum. Sequitur hoc calor trium horarum. Sudor successit, quem plena apyrexia excepit.

Decoctum corticis peruviani saturatum, cum liquore anodyno minerali praescribitur. Ob oculi dextri inflammationem (1), decoctum emolliens pro fomento huic parti imponitur.

Die 4a. Nulla febris.

Die 5a. Hora septima matutina, haec iterum comparuit. Ob dolorem oculorum ac ruborem, nuchae vesicans impositum et sequens collyrium praesciptum fuit.

R. Aquae rosar. unc. vj.
Mercurii sublim. corros. albi, granum unum.
Mucilag. gum. arab. dr. j.
Tincturae anodynae dr. β.

Ter in die oculis immitantur guttulae collyrii aliquot.

Vespere, febris nulla, inflammatio oculi imminuta.

Die 6a. Apyrexia adest perfecta, sub qua, cortex chinae flavae ad drachmam dimidiam omni bihorio pulvere porrectus fuit.

Die 7a. Febris nulla accessit. Ophthalmia leviora offert symptomata.

Die 8a. Ob febrem fugatam, infusum amarum porrectum fuit. Ophthalmia sensim sensimque disparuit (2).

LXXII. *Febris intermittens urticaria.*

Joannes Michelieux, textor sericarius, aetatis 29 annorum, compagis corporis mediocriter firmae; superatis infantiae morbis, bona semper gavisus est valetudine; donec militiae in *Italia* addictus, febrem intermittentem contraxerit, sub cujus recursu sanguinem e pulmonibus rejecit. Fugata per corticem febre, tum haec incommoda, tum aliqua ex commercio cum feminis impuro contracta, siluerunt.

Vindobonae, artem sericariam exercens, vir hic ju-

(1) Ex dispersa e cute urticaria, ophthalmiam adnotat *Koch*, Pr. de febre urticata. Lipsiae 1792 p. 14.

(2) Medicus aegro adsistens fuit et historiam ejus conscripsit *Paulus Macerata*, Medicinae Candidatus.

venis *die* 15*a* junii 1804 a febris intermittentis symptomatibus corripitur, per sudorem terminatis.

Die 16*a* Junii febris nulla.

Die 17*a* Eadem, qua nudius tertius, hora, febris aegrum corripit, accedentibus vomitu, doloribus colicis, et exanthemate urticariae cum pruritu. Solvitur paroxysmus cum sudore.

Die 18*a*. Febris mane nulla. Alvus hodie ab accersito medico, exhibito purgante, trigesies evacuata fuit. Eadem adhuc die, post talia, febrilis paroxysmus validissimus, ac per integram noctem continuans, secutus est. Hac etiam sub accessione, post sudorem, pruriens urticariae exanthema aegro molestum fuit.

Die 20*a*. Apyrexia huic conceditur.

Dia 21*a*. Redit quidem, sed mitior paroxysmus fuit; nec enim aut vomitus, aut dolores colici, aut exanthema redierunt; sed levis sudor accessioni finem imposuit. Ad Institutum clinicum *Vindobonense* aeger se contulit. Caput hîc liberum esse, sitim vigere, abdomen, molle quîdem, in regione epigastrica tamen tumere, comparuit.

Ob febrem periodicam satis manifestam, corticis peruviani flavi drachma integra quovis trihorio porrecta fuit.

Die 22*a*. Febris nulla. Eadem medicina porrigitur.

Die 23*a*. Consueta febris non accessit.

Die 24*a*. Optime dormivit, nec de re ulla conqueritur aeger.

Seposito cortice, infusum amaricans praescribitur. Post paucas dies aeger sanatus dimittitur (1).

Epicrisis.

Cum in *Epitomes* libro III. §. CCCVIII. de urticariae divisionibus ageremus, monuimus breviter: » nos quidem hoc in morbo aut nullam febrem, aut certe benignam, leniterque inflammatoriam observasse; sed aliorum, de morbo satis maligno, vel cum remittente, ac *intermittente* febre conjuncto, observationes non deesse. » Huc nempe *Sau-*

(1) Historiam morbi hujus, idem, qui priorem, conscripsit medicus.

vagesii tertianam urticatam, qualem *Planchon* (1) descripsit, — huc *Esseram*, quam ad urticariam revocavimus, et quam *Cleghorn*, in modum tertianae febris in Insula *Minorca* incedere monuit (2), retulimus; atque huc denique *Kochii*, larvatas sibi febres intermittentes cum urticaria occurrisse, assertionem (3), retulimus. Ab eo vero tempore, quo haec scripsimus, innumeras inter urticarias, modo *tria intermittentis urticariae exempla* nobis ipsis obvenerunt; quae igitur ad morbi, sub facie tam varia comparentis, meliorem cognitionem communicare hîc voluimus.

Ob eandem rationem raram, viri clari, in Academia *Pisana* nunc medicinae practicae et Clinices Professoris, *Aloysii Morelli*, nostri antehac Auditoris, observationem de urticaria cum typho et cum gangraena incedente, qualem nobis jam multos ante annos communicare voluit, hîc simul subjungimus.

LXXIII. *Urticaria typhodes, cum sphacelo.*

Mulier quadragesimum primum aetatis annum emensa, quae decimo quarto vitae anno menstruis subjecta, vigesimo autem, viro nupta fuit, solitis in juventute exanthematibus absolutis, exceptis quibusdam febribus tertianis, semper perfecta valetudine gavisa est, donec anno 1789, nosocomio *Bononiensi* suscepta, febris, quam rheumatico-gastricam vocabant, symptomata exhibuerit. Alvus aegrae primum cum sale amaro, et cum rhabarbari radice evacuatur; tres vero posthinc venaesectiones institutae fuerunt. Quinta jam morbi die, typhi symptomata comparebant. Sextam inter et septimam febris diem, noctis tempore haec mulier, non adeo de pruritu, quam de sensu, ac si quavis universae cutis plaga multis pungeretur aciculis, conquesta est. Altero die, brachia aegrae undique a maculis rubris, inordinatis obtecta fuerunt. Qui cutem hominis cum urticis caesam unquam conspexerat, ille circa indolem hujus exanthematis du-

(1) Journal de Médecine juillet 1765. p. 75.

(2) Observations on the epidemical diseases in Minorca London 1768.

(3) Pr. de febre urticata. Lipsiae 1792, p. 14.

bius haerere non potuit. Multae conspiciebantur areae albae, seu cutis colorem naturalem referentes; aliquae ex maculis rubro colore, quasi per epidermidem transparente instructae erant. Major harum numerus et brachia, et dorsum obsedit; ad crura paucissimae comparebant. Nullum morbi ab hoc exanthemate decrementum fuit, sed intenso febris ordine continuavit. Clinices hinc antistes febris putrido-malignae urticariae morbo nomen imposuit. Per omnem morbi diem septimam, exanthema in cutis superficie sic floruit; octava vero fere in integrum ex ea disparuit, paucis maculis exceptis, quae ad pisi magnitudinem assurgebant, ad basin intense rubrae, versus apicem vero subalbidae. Nona morbi die, fortis dolor extremitates inferiores corripuit cum rubore magis pallido. Die decima, color crurum, quae dolor deseruerat, lividescebat. Cum omni ratione perspicacissimus Professor gangraenam vicinam praevidit, atque camphoram hinc, cum tinctura myrrhae, aquae calcis ope praeparata et corticis peruviani decocto praescripsit. Die undecima, singula gangraenae symptomata in cruribus offerebantur. Lintea tunc, decocto Corticis saturato, et tinctura aloës cum aqua calcis praeparata, probe imbuta locis gangraenosis superimposita fuerunt. Omnis haecce cura fuit inutilis: sphacelus nempe his locis superaccessit, et cutis per frusta secessit. Chirurgo nosocomii primario in consilium accersito, pulvis corticis chinae locis sphacelosis inspersus, in fomentationibus vero et interno corticis usu continuatum fuit. His interim non obstantibus, aegra, morbi die decima quarta, e vivis erepta, ejusdem vero cadaver, ob contagii formidinem, non dissectum fuit.

Epicrisis.

Ex relata observatione apparet, corrigendum esse locum *Epitomes* L. III. §. CCCXI p. 64 quo » facile nobis videri dicebamus, exempla, quae de *urticariae malignitate* referuntur, ad aliam longe aegritudinem fuisse referenda. » Quamvis nempe casus, quem *Lachausse* sub febris *urticariae* nomine descripsit, et in quo, dum sub pessimis ille symptomatibus incederet, exanthematis vesicae virulentam habuisse indolem, ac

pus, contagii non expers, continuisse dicuntur (1), ad *pemphigum* magis *acutum*, quam ad *urticariam* referendus esse videatur; verae tamen specimen urticariae, cum summo vitae periculo incedentis, descriptionem tradidit *Monsey* (2); et apud *Kochium*, pleuritidem subito sublatam, febrisque nervosae symptomata, simulac papulae urticatae in cute efflorescerent, cito pacata fuisse legimus (3). Ab urticaria, cerebri hydrops describitur (4), et ab impedita urticariae ad cutem efflorescentia, exitiosam metastasin ad encephalon subito factam esse retulit *Cleghorn* (5). In casu a *Morelli* descripto, et a nobis hîc exposito, febris qua mulier laborabat, pro rheumatico-gastrica declarata, eademque primum debilitante admodum cum methodo tractata fuit; sed typhum vel jam primis morbi diebus hac sub febre latuisse, vel eundem dicta sub methodo citius evolutum fuisse, eo magis suspicamur; quod non rarum sit, hunc etiam morbum, in suis principiis, et dolores quasi rheumaticos, et falsam pulsuum plenitudinem, et gastrica symptomata fingere. Fatemur interim, quod, dum typhum petechiae, ecchymoses, miliaria, parotides, pemphigus acutus, erysipelata, frequenter comitantur; *urticariam* hos inter typhi satellites nunquam nobis esse oblatam, atque hinc primarium magis morbum, quam typhi symptoma hoc in casu exhibuisse, nobis videri. *Rheuma* interim, quod per quatuor jam menses dolorem in brachio continuum excitaverat, comparente ad cutem urticaria, subito dissipatum fuisse, in feudis *Italiae* Imperialibus a. 1792 observavimus.

Sed de quo, in Epitome nostra, nullis nempe tunc propriae observationis exemplis muniti, mentionem nullam injecimus, *chronicus* est urticariae *habitus*. Jam *Heberdenius* interim retulit; se vidisse aegros, qui per

(1) Journal de Médecine, année 1772. T. 37, p. 28.

(2) Medical transactions published by the college of physicians in London. Vol. I. p. 173.

(3) *Koch*, Pr. de febre urticata Lipsiae. 1792. p. 14.

(4) Sammlung auserl. Abhandl. für pract. Aerzte. IX. B. S. 368.

(5) On the epidemical diseases in Minorca. London 1768. p. 240.

plures menses urticaria laboraverint; alios autem, qui per duos annos nonnisi brevi temporis spatio hoc a morbo liberi vixerint; alios demum, qui per septem, vel decem annos hoc de morbo essent conquesti (1). Verisimile quidem est, non paucos homines, frequentius in vita, vel et plures per annos, hoc a morbo vexatos, ideo, quod levioris eum momenti esse credant, nullam apud medicos ejusdem mentionem injicere; miramur interim, a tempore quo *Italiam* liquimus, non modo plura, sed summopere incommoda aegris, *chronicae urticariae* nobis exempla occurrisse, quorum numerus septentrionalibus, quas serius petiimus, in oris longe fuit adauctus. Inutile foret, diuturni adeo morbi historias hîc vel multas, vel integras referre; hinc paucas modo ac breves aliquorum, quos ipsi conspeximus, narrationes, non historico modo, sed prope quotidiano sermone exponemus.

LXXIV. *Urticaria habitualis menstrua.*

Habitualem ac menstruam vidimus *Esseram*, die 26a maji 1796, in femina, quae, ob colicam saturninam in clinicum *Vindobonense* Institutum suscepta fuit. Per septem jam annos haec mulier, semper per octo fere dies, antequam menstrua ipsi prorumperent, ad dorsum, brachia, pectus, hanc esseram est passa; atque tunc etiam, cum absolutis jam menstruis haec aegra nos adivit, morbum illum in cute adhuc perstantem observavimus (2).

LXXV. *Urticaria habitualis altera.*

Nobilissima virgo *Vindobonensis*, cum in tenera adhuc aetate versaretur, continuum fere in cute pruritum persensit, ita ut a scalptu cum unguibus, quibuscum superficiem corporis vix non dilaniabat, arceri satis non potuerit. Dimidio anno prius ac menstrua prodierint, prodiit huic virgini urticaria, inprimis ad crura, ut maculas palmae magnitudinis hoc exanthema formaret, gres-

(1) Arzneykundige Abhandlungen der Aerzte zu London. II. B. No. XI. S. 131.

(2) Eandem mulierem bis urticaria, menstruorum ante tempora, laborasse, observavit *Samuel Vogel*, Handbuch der Arzneywissenschaft. 3. B. S. 275.

susque frequenter impediret. Continuarunt haee, nec ulli medicamento cesserunt, donec et venam sibi aperiri curasset, ac tandem menstrua secretio sibi viam parasset. Post haec satis bene se habuit puella; sed jam iterum, cum menstrua essent parciora, et chloroseos subintrassent symptomata, per duos jam annos, saepissime comparet urticaria, quam oculis nostris a. 1797 subjecit; tum ad brachia caeterumque ad corpus, tum inprimis ad crura. Valde elevatae sunt hae maculae, sub frigore potissime erumpunt, ac pruritum intolerabilem virgini producunt. Notabile hoc in exemplo est, *pruritum* insignem in tenera aetate per plures annos, *absque maculis*, — tandem vero et istas, quin interim pruritus cessasset, accessisse.

LXXVI. *Urticaria habitualis ex terrore recidiva.*

Nobilis matrona *Vindobonensis*, 45 circiter annorum, pluribus retro ab annis urticaria per omnem corporis superficiem dispersa, continuo laboraverat. Cum anno 1802 per plures menses haec mulier decocto radicis sarsaparillae, ac pilulis, a nobis, ex gummi guajaco, extracto dulcamarae, camphora et aethiope antimoniali praescriptis, uteretur, exanthema hoc in integrum disparuit. Dum interim, duos circiter post menses, balnea in ducatu Salisburgensi *Gastrinensia* frequentasset haec aegra, et sub itinere, ex lapsu rhoedae, in vitae periculum incidisset: eo ipso momento exanthema urticariae, majore ac unquam alias copia, ad omnem cutem prorupit; ab illo vero tempore hanc more solito infestare continuat.

LXXVII. *Urticaria habitualis coeli rigidioris soboles.*

Insignis eorum, quos urticaria per annos sibi subjugat, in *Russia* est numerus, in *Italia* fere nullus. Alienigenae, qui coelo magis benigno adsueti, suam hoc in imperio sedem figunt, huic morbo cutaneo prae aliis subjecti vivunt. Sic nos ipsi, dum anno 1804 mense octobris, senescentes, *Vilnam* in *Lithuania* petiimus, primis mox mensibus urticariam experti sumus, per quatuor annos, partim hac in civitate, partim *Petropoli* transactos, extensam. Nec adeo in *Austriam*, dein vere in patriam reduces, haec nos cutis

adfectio, etsi hîc longe mitior, deseruit. Sine febre constanter hic morbus incessit, saepe ipsam ad faciem, ad frontem, brevi tamen tempore hic dispariturus, effloruit. Saepe profundum, quasi culicis, ietum sub cute persensimus; a frictione vero istius, urticariae mox papulae prodierunt. Scalptus in una parte locus, ut pars vicina scalperetur, coëgit. Manus, matutinas ad horas cum tepida lavantes, ad illas, praevio ustionis sensu, mox papulas assurgere conspeximus. Nulla tamen nobis ex disperso e cute exanthemate anxietas successit.

Majore cum furore urticaria feminae juvenis, familiae nostrae addictae, et cum ea *Russiam* advectae cutem longe sensibiliorem vexavit. Corpus nempe illa universum, aurae frigidae vel quidquam expositum, per quatuor annos, non maculis modo latissimis, ac igneis, sed simul hinc inde, ad crura potissime, tuberibus, ovi gallinacei magnitudinem aequantibus, occupavit; ac per horas, ob intolerabilem pruritum, ardorem somnum omnem, donec omne sub lecti calore exanthema evanesceret, exclusit. Nec trienni fere spatio, quo aegra meridionales magis ad plagas reversa est, cutis transitoria haec labes, etsi multum infracta, a suo dejicitur imperio; sed leviore adeo frigidiusculae aurae favente afflatu, pristina mox sede cutanea, indomabilis hucusque potitur.

LXXVIII. *Urticaria tuberosa.*

Etiamsi forma urticaria exterior, vel uno eodemque in aegro, nunc haec, nunc illa esse soleat; ita ut in pueri septennis artubus, praecipue inferioribus, communem ea nobis aspectum lacerum offerret, in facie fidelem *esserae* imaginem exhibuerit, non inutilis tamen varietatum hujus morbi, ne pro alterius familiae prole declarentur, descriptio est. Quod de *urticaria tuberosa* exemplum in *Epitomes* nostrae L. III. §. CCCIX. p. 61. sq. descripsimus, ac M. D. *Paulo Eusebio M. Bendoni*, medico *Mantuano*, ac nostro quondam Auditori egregio debemus; illud, anno 1794, in juvene rustico, 25 annorum, variis tamen symptomatibus exceptis, observavimus. Hic nempe juvenis, sub hieme anni 1793, absque causa sibi cognita,

tumoribus cutaneis, rubris, quamplurimum elevatis ac prurientibus, per diem unum aut alterum obiectus fuit. Disparebant hi tumores, sine quavis tamen anxietate, sub calore non magis, quam sub frigore, unius vel alterius diei spatio, et quin ulla cuticulae separatio contingeret. Mox vero aliis in partibus comparebant, ubi vino indulgeret aeger, majore cum pruritu erupturi. Interdum hic juvenis, hoc a malo, per quindecim dies immunis incedit; sed iterum efflorescit hoc magnum exanthema vel ad artus, vel ad truncum, vel ad faciem et palpebras, quae ultimae summopere abhinc tument, ut oculos fere claudant. Antequam vero hi tumores compareant, somnolentus fit aeger, quae tandem somnolentia, a facta exanthematis explosione, protinus disparet. Venam aeger sibi absque emolumento aperiri curavit. Decocto, cujus nos compositionem ignoramus, absque fructu adhibuit. Quo tempore, ad nos consulendos, iter susceperat aeger; ad pedes hi tumores praemagni, incessum praepedientes, pernionibus adspectu non dissimiles, exsurrexerant.

Plerumque certe urticaria in frigida atmosphaera efflorescit, in calida fere, aut in totum evanescit. Jam *Carolus* interim *Musitanus* de *essera* dixit: « solent aliquando haec tubercula, ut multoties observavimus, dum aegri in loco calido sunt, emergere, et dum frigido se exponunt aëri, evanescere; quandoque contra, in frigido emergere, et in calido evanescere » (1). Nostro tamen in juvene, hi tumores tam sub frigore, quam sub calore, aequali ratione, disparebant; nec est cur vel in illo, vel in isto, signum morbi characteristicum quaeras. Fixius etiam hi tumores, quod communis urticaria non facit, per diem unum alterumve in cute persistebat. Promptior interim eorum ex hac dispersio, reditus frequentior ac subitaneus, pruritus insignis, praecedens illos somnolentia, ac istius ab efflorescente exanthemate cessatio, *urticariae* hunc morbum familiae cum jure subordinant.

(1) Opp. omn. T. I. p. 45.

LXXIX. *Gangraena pedum a frigore.*

Josephus Gyurkovits, equorum in saltu instruendorum stabularius, 56 annorum, die 13*a* mensis novembris 1798, tempestate frigida et humida, iter pedestre instituit, cui absolvendo tres horas vix impendit. Vestibus interim in totum madefactis, ac coeli injuria saeviente, tantam vir hic lassitudinem, ut media in via fere concideret, persensit; maxime vero *titillationis ardorisque* ad plantas pedum sensus, gressus impediebant. Curru, hoc rerum sub statu, susceptus, diversorium tandem accessit, ante cujus limina prae virium jactura sustinere sese ac descendere impos, in humum concidit, pectus leviter, inguen vero ad lapidem tanto cum impetu, ut statim hernia prodiret, allidit. Defertur ad hypocaustum probe calefactum, atque hîc, aliquo virium sub reditu, mox dolorem utroque in pede magnum atque pulsantem percipit: quo sensim ad summum gradum provecto, dum calceos aeger ac tibialia deponeret singulos pedum digitos sibi livescere, caeteras vero illorum partes ad malleolos usque rubere atque tumere observat. Ad noctem, in pedis sinistri digitis bullae elevantur, quae die subsequente vel sponte diruptae, serum cruentum effundunt. Huic malo, praeter unguentum de cerussa, nihil auxilii apponitur, sed suae sorti commissus aeger, viribus aliquantulum restitutis; nec a frigore, nec a calore correptus, ad Viennense nosocomium defertur; ex quo, tam ob morbi, hac tempestate, his in terris non tam rigida, raritatem, quam ob magnam instructionis publicae occasionem, etsi hic casus ad chirurgiam magis spectare videretur, ad clinicum Institutum *die* 19*a* novembris ad vesperas susceptus fuit, atque mox sequentia nobis phaenomena obtulit: praeter auris dextrae, in quam aeger ceciderat, susurrum, atque herniam scrotalem facili satis opera reponendam. atque illico bracherio munitam, nullum morbi symptoma comparet; appetitus adeo viget, sitis nulla, calor corporis sano similis est. Pulsus interim centum et septem ictus in primo minuto offert; paucam, vir structurae robustae, debilitatem accusat. Instituto extremitatum inferiorum examine, pars extr-

ma pedis utriusque ad usque malleolos, quidquam rubescit ac oedemate turget. Digiti pedis sinistri omnes, in totum, ex atro livent, sensu et calore naturali spoliati, mollesque. In pollicis parte inferiore, bulla, humore livido, transparente repleta, turget; ad rudiorem attactum, vel ad motum harum partium dolor magnus exsurgit; omnis calor istarum naturalis disparuit. Per ungues, partes subjacentes lividae transparent. Dextri pedis digiti tres ultimi eodem modo se habent; pollex tamen hic prorsus sanus conspicitur; ac vicinus huic digitus in dorso minus aliis livescit. In pedis hujus dorso supra ultimos duos digitos ad dimidium pollicem etiam extensa livedo est. Plantae pedum, aspectum sanum conservant; ab attactu tamen in vicinia digitorum valde dolent; absque illo vero modo parum adfectae sunt.

Cum pulsuum frequentia, de parte, quam systema universum, a frigore ac sequente hoc artificiali calore, non parum adfectum, hoc de malo locali sibi assumeret, testaretur; cum nulla hucusque limitum gangraenae positorum vestigia se proderent; moschi optimi grana octo, opii grana duo, sacchari albi drachmas duas, in sex doses divisa, praescripsimus, atque singulo bihorio partem unam horum pulverum porreximus. Praeterea, aetheris sulphurici drachmam unam cum aquae menthae unciis sex commiscentes, istorum unciam unam post pulveres propinavimus. Ad partem adfectam, fomentatio, ex herbis aromaticis vino infusis, parata, tepide fuit apposita.

Die 20^a^. Nox quieta fuit; tumor oedematosus minor est hodie; dolor vero ardens in digitis perstat. Pulsus hesternis frequentiores sunt; calor major, cutis sicca est. Praeter pulveres praescriptos, decoctum corticis cum aethere sulphurico propinantum fuit. Partes gangraenosae cum infuso aromatico atque corticis decocto foventur. Tussis hodie se prodit.

Die 21^a^. Nox satis placida, tussis rarior, alvus bis mota fuit. Abdomen tensum. Ardoris sensus in pedibus minor est, et gangraenae limites poni, suppurationis in circumferentia illius vestigia comprobant. Pulsus elevatiores, frequentes sunt; calor moderatus, et cutis submadida est. Pulveres, moscho quidquam

aucto, omni trihorio porriguntur. Decocto corticis pro usu interno, et pulvis istius ad drachmas tres superadditur.

Vespere, tussis nulla, alvus bis mota fuit; abdomen non tensum, calor non tantus est, pulsus minus magisque elevati sunt. Pes sinister magis tumet, rubet ac dolet. Cortex in fomentis suspenditur.

Die 22*a*. Ob dolores pedum, nox minus quieta fuit. Aliquis nunc capitis dolor. Limites gangraenae evidentiores, inflammatione et suppuratione distincti sunt.

Die 23*a*. Nox fuit quietior. Dolores in pedibus non tanti sunt. Tumor oedematosus pedis sinistri ad malleolos extenditur cum superficiali inflammatione.

Die 24*a*. Nocte aeger copiose sudavit, et sudor hucusque continuat. Dolores in pede imminuti, pulsus minus frequentes, magis vero elevati sunt. Ob sudores profusos, suspenduntur pulveres.

Die 25*a*. Nox fuit placida, sudor nullus, calor et pulsus vix non naturales. Pes dexter minus tumet, gangraena non proserpit; epidermis secedens separationem inchoat. Dolores non tanti sunt. In pede sinistro epidermis necdum separatur; duo vero digiti, pollici vicini, reviviscere videntur.

Die 27*a*. Eodem pede res continuant; separatio absolvitur, foetor notabilis se prodit. Cortex nunc, ut vocant, in substantia porrigitur.

Die 30*a*. Nocte multum sudavit aeger. Partes gangraenosae magis separantur; tumor pedum paucus est. Ultimae phalanges digitorum in dextro pede, excepto pollice, nigerrimae sunt. In sinistro pede, trium ultimorum digitorum phalanges extremae insensiles observantur.

Die 3*a* decembris. Sudor per biduum continuavit, hac nocte vero nullus fuit. Suppuratio in pede sinistro larga, in dextro vero minor est. Applicatur nunc partibus his unguentum digestivum cum camphora, ac fomentum aromaticum superimponitur.

Die 6*a*. Vires augentur, febris nulla est. Continuat gangraenae separatio.

Ad 10*am* mensis aprilis 1799, in integrum fere aeger restitutus est. Separatae autem fuerunt, in pede dextro, trium ultimorum digitorum phalanges primae;

in pede sinistro digitus minimus conservatus, vicini duo ad secundam phalangem separati fuerunt. Digitus primus a pollice, ipseque pollex sanati sunt. Fulcris suffultus aeger per cubiculum incedit (1).

Epicrisis.

Non tanti quidem ponderis, et satis ordinaria foret praesens observatio, nisi ab illa nobis, aliqua de praepediendis deleteriis frigoris effectibus dicendi porrigeretur occasio. Ex gelu moderato, in aegro nostro gangraena pedum, non ob aliam rationem quam quod calido sese hypocausto is prompte nimis commiserit, insecuta est. Anno 1783 hiemali sub frigore, longe tamen rudiore, *Bruchsaliae*, ac vicinis in locis, octodecim circiter homines, ex eadem ratione, pedum gangraena correpti, partim mutilati, partim vero, proserpente ulterius malo, enecti fuerunt. Major populorum septentrionalium, circa funestos frigoris intensioris effectus, experientia, rariores apud illos hos redderet, nisi frequens apud plebem spirituosorum abusus hanc ipsam copiose nimis eluderet. Cum, quatuor per annos in *Russia* degentes, tam potentem morborum in causam non minus, quam in rationem, qua coeli inclementis incolae ab illa se defenderent, oculos converterimus; non ignota quidem multis, sed majori tamen numero utilia proferre hic possumus.

Haud rarum est *Petropoli*, thermometrum *Reaumurii* hiemali tempore, ad gradum *trigesimum*, vel *trigesimum* adeo *secundum*, sub congelationis puncto, descendere. Per plures interdum dies hocce gelu, diversis *Siberiae* in provinciis longe adhuc intensius atque constantius continuat; plerumque tamen mitius ac viginti quinque, aut sex gradus non superans. Quodsi tanta caloris detractio, magnam viventibus perniciem jam sola minetur; majorem adhuc subitanea illa, nullibique tam notabilis, atmosphaerae ex temperata, in gelidissimam transitio, et quasi saltus est. Haud raro, matutinas ad horas, sub gradu frigoris primo, vel altero; — ad vesperas, sub vigesimo re-

(1) Historiam hujus adfectionis adnotavit *Martinus Schmidt*, Hungarus, Medicinae Candidatus.

versuri, domu exivimus. Sub gradu quidem frigoris *decimo septimo*, ex lege, clauduntur theatra; sed iisdem minore sub gelu apertis, post horam unam alteramve, saepe thermometrum quinque sexve gradibus descendit, dum interea rhedarii non minus, quam equi, etsi *Petropoli*, maxima theatrum ambiente in area, foci amplissimi decem excelsis succensi flammis continuo crepitent, vix non congelant. Resistunt tamen, et saepe ultra, matutinas usque ad horas, perflatis undique gelidissimis in atriis, hilari sub cantu, reluctantur istis aurigae, tum senes, tum decennes pueri: renituntur et equi per horas multas, media in glacie, nec avena refecti, nec ullo modo stragulis obtecti. Tanta scilicet contractae a primis vitae annis habitudinis firmique corporis habitus hunc bonum apud populum vis est atque potentia!

Nec tamen ideo subsidia, quae *artus* maxime defendant, *Russus* unquam postponit. Tunica quidem pellicia longior, corpus integrum, non tamen jugulum, quousque illa non pertingit, sed quod anterius barba prolixa et profusa fovet, ac adumbrat, amplectitur. Pedum vero cura plebi longe est maxima; hos enim rustici, aurigae, operarii multiplicibus cum pannulis vinciunt, tibialibus reticulatis involvunt firmantque, ac demum cum talaribus, ex pannulis intertextis paratis, custodiunt. Tunicarum manicis praeterea, super carpos extensis, sensibiliores ad frigus has partes muniunt; manus vero chirothecis pelliciis, densioribus quidem, flexilibus tamen, excepto pollice indivisis, ac medium fere ad brachium anterius protensis, tuentur. Pileum, seu galerum, coloris ad lubitum varii, circa frontem pelle villosa et nigra ornatum, superiora versus ampliorem et quadratum, stuppa, vel et lana repletum, capiti simul ac auribus imponunt, omnemque sic frigoris effectum iniquum a calvaria avertunt.

Quodsi tamen, non obstante hac sollicitudine, intensissimo a gelu, aut nares aut genas auresque superficie quasi combustas, *albescere*, in localem asphyxiam transire, ac vicinam sibi, aut sociis gangraenam indicari conspiciant; ex momento aut nivem aut glaciem cum vola arripiunt, partesque sic affectas so-

lerter ac frequentius in die perfricant, atque sic cum stimulo vel minimo, sed magis adaequato, summae cutis astheniae succurrunt, calorem in partes quasi sideratas naturalem revocant: et hac ratione cum remedio millenis in casibus comprobato, absque ulla formidine, gangraenam indubie avertunt. Pro suo vero in homines peregrinos quoscunque, instantis sibi a frigore admisso periculi ignaros, favore, vix albescentes Russiae incolae. ad nares, genas, vel aures illorum maculas insurgere conspiciunt; cum illico eosdem discriminis advertunt, de patrii necessitate remedii admonent; atque si, forsitan idiomatis russici ignari, aut sortis propriae minus solliciti, ad hoc auxilium non promptius recurrant, ipsimet fraternum hoc opus benigni suscipiunt, instansque periculum dispellunt. Sic virgo germana, *Petropoli*, sub coelo rigidissimo, pedibus eleganter nimis calceatis ter centos vix passus absolvit, cum, sub scalarum ascensu, pedem sibi sinistrum torpescere, et sub ingressu vix non deficere observat. Ridens illa, quod paucis a momentis claudicàret, amicam salutat. Haec vero, malorum ex frigore intenso non ignara, mox virginis incautae pedes tibialibus exui jubet, ac albescentem, ad sinistrum ex illis, maculam sat amplam reperiens, more patrio ingens pedis emorituri periculum avertit. Ultimo, quo e *Russia* discessimus, anno, mercator indigenus, cum urinam publica in platea lentius ac difficulter adversus ventum gelidissimum expelleret, summum ad genitalia frigus persensit. Domum interim reversus, et praegressi frigoris oblitus, anteriora corporis foco exponit; mox vero ab isto, penis gangraenam contrahit, ac partis hujus jactura multatur.

Magna certe saeculorum series requirebatur, donec dira necessitas hominem, qua demum ratione se suamque prolem contra summam ac fere constantem coeli inclementiam defenderet, tandem edocuerit! meridionalis homo ipsius naturae filius praedilectus est; novercam haec agit in eum, qui, aut victus ab illo, aut ab adversa fortuna, aquilonares in regiones conjectus, et sale et farre privatus, nives inter et glaciem exsul vivere coactus fuit. Hunc interim, et ignis

coeleste donum, et inexhausta mentis observandi experiundique dispositio, ab interitu servavit non modo, sed, corpore per labores et ipsas atmosphaerae per injurias magis magisque firmato, facultate, qua propriam in fratre, blanditiis maternis enervato, exhausto, sortem vindicaret, et sua hunc haereditate frequentius expelleret, instruxit. Ab ipsa nempe coeli saevitie, quae fructus terrae nobiliores germinare prohibebat, aut progenitos ab ea, plenam ante maturitatem, jam crudeliter destruebat, tum plantas ac radices ad victum sibi necessarias, tum ipsas animalium, venatu, aucupio, piscatuve enectorum, carnes, nivea quasi veste obvelari, et ab omni corruptione conservari, borealis ille homo mox edoctus fuit. Patrum suorum filiorumque dilectorum cadavera *Egyptus*, non sine maximis impensis, in *mumias* convertere, ac, dono satis vili, posteritati tradere didicerat; glacialis vero maris venator, copiam aquatilium, brevissima aestate eidem ereptorum, sibi superfluam. ripae, mare ipsius ab undis excavatae, immortalitatis sedi tutissimae, confidit, post plures annos; in aeternum duratura, incorrupta protrahit, ac in usus proprios convertit. Hunc vero in finem, duce iterum longiore rerum experientia, praedam, tot ab annis congelatam, aquae frigidissimae primum committit, ac eidem, contracto a frigore vix non coactae, novam minusque frigidam superaffundit, donec ita, duris antehac atque vix non saxeis carnibus, naturalem, et qualis primae fuit victimae, mollitiem restituat. Atque hujus beneficio industriae, imperante licet hieme saevissima, victualium omnis generis animalium in *Russiae* emporiis abundantia regnat. Huc etenim, traharum ope, centenis a miliaribus advectae merces hujus indolis, — huc boves integri, vituli, oves ac sues, — huc pisces marium balthici, albi, et caspii, fluviatiles, lacustres, huc alces, cervi tarangi, seu rangiferi, — huc alites volucresque omnimodae, — singula vero sub statu congelationis rigentia, concurrunt, suae speciem resurrectionis ex frigida, et ignem culinarum exspectant.

Non mollis ignaviae hi, ac vitae muliebris, quos sol meridianus excludit, fructus sunt; sed quidquid

eorum nolenti naturae extorquetur quasi ac eripitur. Septentrionis id brachio carnoso non minus quam indefesso debetur; ac omnis, quae partes sub gelu vix non emortuas revocare docet, scientia, frigidissimis illius provinciis adscribenda est. Sic populus *Sibiricus*, ad partem corporis congelatam ad vitam et functiones amissas revocandam, fortiter eandem, ut dictum est, cum nive perfricat. Vix aliqua hac in parte sensibilitas comparet; non amplius cum nive, sed cum frigida, haec frictio ab illo instituitur. Ubi brevioris durationis fuit congelatio, ac modo sub transitu ab uno habitaculo in alterum enata est; tunc, sicut in *Jakoutsk* in usu est, remedium magis promptum, in frictione partis affectae cum lanae portione consistit. Quod si membrum per tempus longum congelatum fuerit; tunc frictio non amplius cum nive, cum frigida, cum lana, perficitur; sed pars affecta in tali casu nivibus, post istas vero, frigidae, *immergitur* diutius, atque his demum peractis, membrum perfricatur. Populi, quos *Jakoutski* vocant, et a quibus *Russiae* incolae hanc medendi methodum edocti fuerunt, postquam haec auxilia praemiserunt, mox partes, ante congelatas, cum excrementis vaccinis, aut cum argilla, aut cum utrisque inter se commistis, obducunt, qua ratione, et cujus topici remedii subsidio, illius inflammatio subsequens praevertitur, ac tonus ejusdem restituitur. Tanta vero horum populorum hanc in methodum ponitur fiducia, ut quocunque sub itinere hiemali, quidquam longiore, ac ob gelu praemagnum ominoso, partes, quas frigori subducere haud queunt, hac specie cataplasmatis obtegant, atque pro tempore custodiant (1).

Non prorsus incognita exteris hucusque retulimus; non minoris vero ponderis sunt ea, quae nobis saltem, dum mense maji 1808, *Moskwam*, antiquam Russiae Metropolim, petiimus, nova fuerunt. Ante sex tunc annos, Principis *a Galitzin* munificentia, palatium, magnifice exstructum et amplum, pauperibus pro nosocomio concessum; atque cum omnibus

(1) Vid. *Le Clerc*, histoire de la Russie ancienne. Tom. I. d. 320.

hunc ad finem necessariis, redituque annuo, pro 110 aegris plusquam sufficiente, instructum fuit (1). Ab utrisque hujus nosodochii medicis et chirurgis egregiis, Doctoribus *Mouchin.*, et *Kryloff*, humanissime excepti, praeter alia, quae hoc in liberali miserorum hospitio notatu digna conspeximus, aegros duos, quorum pedes a gelu, per gangraenam, ad medium usque mutilati fuerant, observavimus. Frequenter, quavis hieme, haec infortunia illis praecipue, qui, ebrietate correpti, tardius in plateis concidunt, perque horas, a nemine praetereuntium animadversi, jacent ac obdormiunt, hîc loci, sicut *Petropoli*, contingere, nobis refertur; simulque novam sibi, jam aliquot ab annis, huic malo, jam plurimum neglecto, quoad ob sphacelum jamjam praesentem licet, medendi rationem, et quidem hucusque inter omnes felicissimam, aeque ac simplicissimam, in usu esse, expertissimi hi viri exponunt. » Quandoprimum scilicet aeger, inquiunt, ad nosocomium cum gangraena, per congelationem partis inducta, defertur, parsque sphacelata reliquis a carnibus separata fuit; ulcus ad istas relictum, continuo, ac donec cicatrix id omne obtexerit, *cum glacie* fovemus, atque sic dolores non minus, quam reliquam in parte, suspectam semper, inflammationem, ac abundantem nimis puris formationem, cum ingratis ejusdem effectibus, praevertimus. Ulceris ipsius confinibus, seu limbis, linteola oblonga, cerato obducta, ne lintea carpta illis sese nimis agglutinent, circumcirca imponimus. Filis tunc, ex linteo carptis, absque omni unguento et siccis, cum fascia, ulceri applicitis, glacies continuo, et, quoties haec fusa est, nova admovetur. Ablatis vero semel in die, nec ultra, fasciis, aqua frigida, ope spongiae, ulceri ex alto superius inspergitur. Aegri, ob summum, quod abinde experiuntur, levamen symptomatum, hanc frigidae inspersionem lubenter ipsimet suscipiunt. » Ac revera, nostra in praesentia, uterque aeger, et fasciam, et filos carptos, a plaga pedum, jamjam purissima et lacte rubente, magna

(1) Sumptus annui hujus nosodochii, ad 30,000 et 40,000 Rubelionum ascendunt.

vero jam ex parte pulchra cicatrice obducta, demebat, frigidamque, cum quadam voluptate, maxima vero cum animi, in tantum remedium, gratitudine, pedibus, super patinam, quae aquas decadentes exciperet, sustentatis, copiosam superinstillabat.

Minora quidem, sub coelo apud nos clementiore, malorum similium pericula nos premunt; non tamen ista, rigidiore aliquando sub hieme, inter pauperes, et ruricolas, maxime autem inter milites, nostro aevo medias inter nives et glaciem castra ponere ac belligerare assuetos, tam inaudita sunt, ut prolixior eorum, quae frigoris partialis effectibus tum praepediendis, tum etiam cum successu felici pertractandis, conveniant, expositionem, etsi non in omnibus novam, hîc excusandam habeamus.

FINIS.

INDEX

JOANNIS PETRI FRANK

DE

VERTEBRALIS COLUMNAE

IN MORBIS DIGNITATE

ORATIO ACADEMICA

EDITIO PRIMA MEDIOLANENSIS

MEDIOLANI

EX TYPIS GASPARIS TRUFFI ET SOCII

M.DCCC.XXXII

DE

COLUMNAE VERTEBRALIS

IN MORBIS DIGNITATE

ORATIO ACADEMICA

IN UNIVERSITATE TICINENSI HABITA ANN. M.DCC.XCII.

Qui anatomicis humani corporis disquisitionibus in arte medendi minus tribuendum esse censuerunt, *Rector Magnifice, Patres Sapientissimi, Auditores Spectatissimi!* illi nauseosi laboris contemptum ex eo repetebant: quod Medicina, quamvis sectione cadaverum non parum profecerit humana industria; ex penitiori tamen vel totius, vel partium cognitione non magna satis obtinuerit incrementa.

Sed pari, ni fallor, argumento *Otaitae* populi, quam beneficae Anglorum naves non ita pridem advexerant, *vitem viniferam* indignabundi exstirparunt: quod uvam rubello necdum liquore mollescentem impatienti labro conquassaverint. Oportuit sane, priusquam humanae machinae scalpello innotescerent errores, nos animalis sanitate gaudentis constructionem diutius rimari, et cum caeterorum viventium fabrica exactius comparare; neque *pathologicae* inventus *Anatomiae* fructus decerpere sinit, quos non prius *Morgagnia* manus diuturno cultu maturaverit.

Atque ob hoc ipsum leges curaverunt *Patres Sapientissimi!* ut in hac florentissima *Insubriae* Academia, cujus vos decus estis atque ornamentum, studii fons

triplex anatomici Vestros *Commilitones*! in usus scaturiret: quorum unus, humani corporis, animantium alter quoruinvis compagem, tertius demum, morbosa mortalium viscera, aegritudinum caussas et effectus uberrime interpretaret. Haec ultima certe subsidia sunt, ex quibus abstrusissimorum interdum morborum cognitio sine magna difficultate hauriri posset; nisi haec a multis, infelici in rebus medicis fato, in subtilioris ratiocinii potius labyrintho, quam ex ipsius naturae penetralibus, quaereretur.

Nulla vero humani pars corporis in morborum magis praetervidetur scrutinio; quam, quae nobilitate a cerebro prima est, et principalem morborum fere innumerorum sedem constituit, *spinalis medulla*. Haec etenim cerebri bipartiens hominem portio, non nisi unicam encephalo gloriam, quod sensibus, stomachoque praesit, mentisque palatium constituat, invidet; caetera vix non sola regit: imperii animalis centrum inhabitat, et in singulas provincias pulposo sceptro regina dominatur.

Quamvis autem, cum in suis adhuc incunabulis medicina jaceret, eandem alimenti vix multum ex anatomicis notionibus traxisse suspicemur; mirum tamen est, et intellectum fere superat, quantum divini Viri *Hippocratis*, aut qui demum *libri de articulis* auctor fuerit, in has ipsas penetraverit perspicacia. Sed cum praecipua ejusdem effata in alios nunc mihi locos reservem; non possum, quin mox tum *Galeni*, tum *Alexandri Tralliani* verba adducam. « Cum ex anatome didiceris, inquit ille, nervos, qui per faciei » partes sparsi sunt, a *cerebro* dimitti: si earum aliqua » simul cum toto corpore soluta est; haud quaquam » vos latere debet, *resolutionis* dispositionem in ipso » *cerebro* consistere: ubi vero illaesae permanserint; » *spinalis medullae* initium affici sciendum est (1) ». Alter vero, « attendito, inquit, diligenter, quae sit » pars affecta, et unde initium trahat, aut a qua vertebra id, aut a quo nervo incipiat; atque illi curationem adhibeto: non autem ut vulgus symptomati» bus tantum obstito. Itaque *resolutas* partes sic in-

(1) De locis affectis Cap. X.

» ternoscere convenit, animum *scientiae anatomicae* » advertendo. Quod si ex superioribus partibus quae» dam affectae fuerint, nempe oculus, aut nasus, aut » lingua, aut quaedam in facie: constet ipsum *cere-* » *brum* morbo esse implicitum, eique primario suc» currendum esse; si vero nulla ex praedictis partibus » sensu, aut motu, aut utroque laesa fuerit: necesse » fore ut *spinalis medulla* aegrotet, aut aliquis ner» vorum, ex ipsa procedentium, affectus sit (1) ».

In eo quidem *Alexander Trallianus*, quod ex partium superiorum, faciei scilicet, resolutione, ad ipsius *cerebri* affectionem concluserit, manifeste satis hallucinatus est; cum *Galenus*, « si earum aliqua *simul cum toto corpore* soluta est; » cerebrum accusandum esse, prudenter docuerit. Nam quoties non ex solo abdominis fonte, ex vermium irritatione, aliisque demum a causis, in cerebro nequaquam latentibus, faciei, oculorum musculi retrahuntur, rigent, convelluntur; pupilla dilatatur; amittitur visus, pruriuntque nares; odoratus pervertitur (2); tinniunt, surdescuntque aures; lingua balbutit (3); labescit, deleturque gustus; labia tremunt; stringuntur fauces; vox ipsa supprimitur!... Sed pro tanta veterum in re anatomica imperfectione, fateamur *Auditores*! eosdem de tam occulta morborum origine viriliter, et non sine magna ingenii acie, judicasse.

Utinam vero recentiores, quo felicius humanae mysteria fabricae perspexerunt: eo majorem in eruendis morborum sedibus perspicaciam prodidissent! sed ita est, *Commilitones*! qui cadavera, hunc in finem, perlustrant Medici: illa vix unquam aut otio, aut subtilioris anatomes notionibus satis instructi hoc opus suscipiunt; et qui majorem vitae partem sectionibus impendunt: illi ut plurimum aegrotantis phaenomena machinae ipsimet intueri impediuntur, et scalpellum practico vix unquam oculo conducunt. *Spinalis* vero *columnae*, eruendae morborum sedis gratia, tam raro

(1) De Arte medica Lib. I. Cap. XVI.
(2) Discursus Acad. de circumscribendis morborum historiis. Delectus Opusc. Vol. X.
(3) Loc. cit.

assumitur investigatio, ut, vel ob difficultatem laboris, vel ob non ponderatam satis materiae dignitatem, haec ipsa negligatur, practicorum in libris de *medullae spinalis* post mortem conditione, paucissima occurrat notitia, utque uberrimi in aliis *Morgagnii*, atque *lieutaudii* fontes pathologici sitientibus parum hîc offerant; caeteri vix non omnes arescant.

Atqui, cum innumerae caussae, tum externae, tum internae existant, quae spinam vehementissimis cruciatibus, et diris inflammationibus multare conspicimus: mirum *Vobis* omnino videbitur *Auditores*! nec nomen quidem in medicina haberi, quo partis tam late extensae, tamque sensibilis, affectiones designari valeant et ab aliis tuto distingui. *Rhachialgiae* tam aptum ad exprimendos spinae dolores nomen primum ab *astrucio* (1), dein ab ipso *Sauvagesio* ad *colicam saturninam*, inepte, quod jam *Ludwigius* reprehendit (2), translatum est. *Rhachitis*, quae vertebralis columnae inflammationem tam adaequate exprimeret, *ossium* de inflammatione ne hilum quidem participantem affectum significat; et cum in explicandis *phrenitidis*, rarioris morbi, phaenomenis insudant scholae: eaedem de spinalis medullae, aut thecae vertebralis inflammationibus, si pauca, quae de lumbagine referuntur, excipiam, altissimum silentium observant. Ipsum *spinae bifidae* nomen, cum neonatis, quorum potissime morbum constituit, spinosa necdum concessa sit apophysis, non minus a natura abludit; nec *tabis*, quam *dorsalem* appellant, succincta habetur divisio; nec *cyphosis* a carie vertebrarum, quae crurum paralysin inducit, a spinae per rachitidem emollitae retroflexione vel gibbere, fuit distincta.

Non sine causa igitur, *Commilitones*! ut vos circa columnae vertebralis in morbis dignitatem attentos redderem, hanc mihi pro hodiernae orationis argumento materiam elegi: quam, si ob suam amplitudinem profundius examinare, temporis mihi non concedat penuria: sufficiet interim rei tam magnae

(1) Quaestio medica, an morbo colicae Pictonum, rectius *rachialgia* dicto, venaesectio? 1750.

(2) Adversaria Medico-Pract. Vol. I. Par. IV. tract. de doloribus ad spinam dorsi pag. 724.

discussionem extremis saltem lineis, quod breviter tentabo, circumscripsisse.

In ea semper opinione versatus sum, *Patres Sapientissimi!* quamcunque spinalis columnae vertebram pro *parvo*, eodemque transverso, *cranio* esse considerandam: quod adinstar majoris, et in perpendiculum sequentibus vertebris superimpositae calvariae, determinatis corporis regionibus prospiciens, cerebellum amplectatur suum, et in quo *cerebello spinali* iidem prorsus morbi, ac in ipso majori cerebro nascantur: quod scilicet extrema, et ex omnibus maxime conspicua, mobilissimaque vertebra, quam *calvariam* appellamus, custoditum, primatum a natura obtinuit. Quo propius caetera ab hac ipsa distant; eo nobilior est caudati cerebri indoles, eoque certior et, nota nimis infanticidis, momentanea violentiae lethalitas.

Quemadmodum vero capitis ad caetera moles in foetu, quo conceptioni vicinior est, eo major et ipsa conspicitur: sic et columna vertebralis, eadem fere proportione, aliis praecedit, primisque ab ortu mensibus vix non sola calvariam, ipsumque homuncionem continuat. Prima futuri in ovo incubato pulli rudimenta in vertebrarum gelatinosa adhuc columna, sive *carina* conspiciuntur (1) Atque dum in adulto quidem homine spina dorsalis ad lumbos crassescit, conumque offert, cujus basis ossi sacro innititur; contrarium in foetu observatur: atque tum rectior eidem columnae insidet; tum ad cervicem, quam ad lumbos manifeste crassior, si, qua parte spinae *futurae* sunt, attentius consideretur.

Sed in hoc vertebralis columnae a cranio, non exigua consistit diversitas: quod, cum istud a partu, qua parte ossa imperfectius cohaerebant, coalescat quidem, lentiusque volumine augeatur; illa, tot articulis divisa, mediisque cartilaginibus intersecta columna, qua nempe ratione hae ipsae in angustius spatium comprimuntur, et vertebrarum inter se distantias imminuunt, quamvis non omni, potissimo tamen indies destituatur incremento. Haec spinae vertebralis soliditas, licet ante *decimum* aetatis annum

(1) *Malpighi*, de forma pulli in ovo. Fig. 5.

corpora vertebrarum adhuc in molli cartilagine haereant, et non nisi inter *octavum* et *decimum* fere ita concrescant, ut corpus cum annulo et apophysibus inde coalescat. et *spinosae* potissimum producantur (1); nihilominus tum a musculorum eidem annexorum, tum a situs ratione, quem corpus infantile per thoraces, vestimenta, ob labores, assumere cogitur, tum denique ob ligamentorum vertebralium morbos varios, determinari consuevit: exemplo plebis laboriosae, quae ponderibus capite a juventute assueta, rectissima forma incedit; aut, quae in fodienda dura humo potissimum occupata, in curvo corpore senilem ingressum aemulatur (2). Ex praematura vertebrarum ossificatione derivari multorum, truncum corporis inter et extremitates, singularem in longitudine discrepantiam, ut sedentem saepe pro *nano* habuerim, qui, cruribus ad umbilicum quasi fissis, insistens, si extremitatum extensioni et illa trunci correspondisset; gigantea corporis proceritate oculos feriisset. Ex lentiori autem verticulorum in osseam compagem transitu, sediculo inhaerentium multorum altitudinem miramur, qui pendentibus a sedili tibiis vix innituntur; cum anatario ingressu vacillant, natibusque tellurem metiri videntur.

Atqui haec tam frequens spinae a rectiori corporis symmetria aberratio, quemadmodum generalem staturae elegantiam non parum pervertit: sic causas juvenile quondam corporis incrementum aut retardantes, aut praecipitantes omnino patefacit: quas inter, quae *mollitiem ossium* aetate majorem sustentant, vel adaugent, morbumque sic dictum *anglicum* constituunt, potissimum dominare videntur; multaque sic morborum genera ex perpessa quondam *rachitide*, quae ossa non semper emollit, sed et friabilia reddidisse visa est certisque in punctis duriora (3), et ex caussis ejusdem morbi per vitam saepe nullo labore cradicandis

(1) *Ludwig*, de distorta spina dorsi. Adversar. Med. pract. Vol. II. Par. II. pag. 332.

(2) Medicinische Policey. II. Band.

(3) *Rosenstein* Von Kinderkrankheiten. pag. 587. = *Marowius* in sepulchreto Lib. II. S. 12. in fine = Ossa in rhachitide *friabilia* adnotat *Oetinger*, diss. de viribus rubiae tinctorum antirachiticis pag. 49.

derivanda, vel ex sola spinae inspectione possunt facilius dijudicari.

Ipsum jam capitis, corporisque a vertebris suffulti pondus, spinam, quod omnibus notum est, notabili satis ratione longitudine ad noctem imminuit: cujus tamen cartilagines, donec senilis impediat rigiditas, elatere, quo pollent, resiliunt, pristinamque jacenti trunco dimensionem restituunt. Hoc vero diurno, nocturnoque in opere, et ipsam *spinalem medullam*, cui dura mater tam arcte, ac ipsi quidem cerebro, nequaquam apposita, nec ullo in loco immersa est, quodammodo periodice decurtari, relaxari, demumque extendi, vel saltem nervorum lateraliter ex eadem prodeuntium directiones certo, sed hucusque ignoto, in ipsum hominem influxu, immutari oportet.

Mirabilis autem est cerebri, in ipso cranio tam immobilis, tamque anxie custoditi, et nequid aut profundius reclinaret, aut faciei sensuumque nervos tenderet, aut cerebellum comprimeret, a tentorio solidissime sustentati, dum vertebralem in specum immersum est, in quamcunque corporis partem *flexibilitas* et promptitudo plane singularis. Haec in animalibus, quibus plurimas natura vertebras indulsit, exemplo *anguillae* atque *serpentum*, quae ditissima vertebris animantia, in plures saepe et concentricos circulos contorquentur, summa esse observatur; sed in ipso adeo juniori adhuc homine tam facilis est: ut histriones, capite cum spina retroflexo, illud ipsum anteriora versus cruribus committere, sat celeri inflexione impune suscipiant; utque in terribili morbo, *opisthotono*, caput adulti adeo viri ad calcaneum, per horas interdum, violenter reclinetur.

Quamvis vero institutam pedetentim tardamque columnae vertebralis extensionem sine majori corporis turba perferri ab adolescentulis observemus; si tamen vel sub hac ipsa distractione, violentia quaevis alia, aut concussio simul accedat, vel eum impetu vertebrarum articuli divellantur; non raro fatalis in latentem hac in specu medullam effectus consequitur. Licet enim ob processuum, ligamentorum, musculorumque artificiosam prorsus dispositionem, luxatio vertebrarum repentina et perfecta, sine totius osseae compa-

gis fractura, vix unquam contingat; non tamen mino ideo violentiae in spinalem medullam vis esse con suevit. Felis capite, crudeli puerorum lusu; celer concussione a cauda in adversam partem retracto tenacissimae vitae animali internecio infertur. Infelix rudiorum hominum hinc inde visus est locus, quo puerorum caput (quod *avum ostendere* vocant) ambabus manibus ad aures prehensum, cum pendente ex eodem corpore, in auram tollunt. Quam saepe non ipsum vivi caput foetus sub partu a cervice abruptum, inque materno sinu relictum fuit: cum, vel ore uteri circa nascentis collum constricto, vel ob aliud quodcunque obstaculum, audaces obstetricantium manus, ut puerum genitricis ab alveo pendulum violenter protraherent, induxit! ut et praevio foetus capite, cum ob ascitem venter sequi recusaret, colli vertebras per temulentam mulierem a trunco haerente sub cute adhuc integra separatas alibi jam descripserim (1); utque dubium superesse nullum possit, sub tam frequenti, et a tam rudi obstetricantium manu suscepto saepe *versionis* negotio, praesertim cum infantis crura super dorso retrahenda esse autumant; non raro vertebras, ex tribus in foetu ossiculis infirma cartilagine coagmentatas, aut findi, aut ex ligamentorum distractione, effusisque in cavum spinale humoribus, lethalem pati violentiam debere. Jam viginti tribus abhinc annis, *Thermarum Badensium* tunc medicus, puellulam fere triennem cum vix a longa febre convaluisset, cachecticam, repentina morte abreptam, cum violentiae suspicio subesset, *legali* sectioni subjeci. Illam excandescens furore vitricus prehensam humeris erectamque super lectum plumis refertum, vehementi conatu, tantoque cum impetu prostraverat, ut non modo hepar duobus in locis cum insigni haemorrhagia disruptum; sed et tres lateris dextri costulas, sine conspicuo exterius signo, in medio fissas, et ad tertiam colli vertebram *diastasin*, aut semiluxationem cum humore sanguinolento, musculorum cervicalium interstitiis extravasato, detexerim. Neque desunt apud adultos, vertebrarum, vi summa distractarum, exem-

(1) Delectus Opuscul. Vol. VI. pag. 205.

pla; quorum tria *Ludwigius* adducit: unum, in quo vertebra *secunda* a *prima* tantum recessit, ut distantes hae vertebrae digitum interpositum admitterent; alterum, ubi *tertia* a *quarta* vertebra trium linearum distantiam offerebat; tertium demum, ubi *prima* vertebra ab occipite adeo remota sistebatur, ut digitus hiatui immitti potuisset (1). Qui majora pondera proclinato corpore cum impetu humeris imponunt. illi, quod duo nobis in *Clinico Ticinensi* exempla confirmarunt, dirissimis interdum poenis et ipsa morte nonnunquam plectuntur. Horrendum hae ex caussa tetanum in viro baiulo conspeximus, quem, eum largissima opii dosi sanasse videbamur; enorme iterum dorso sublatum pondus in pristinas miserias, eum lethali post brevem moram eventu, conjecit. Alter, cujus succinctam in aliud mihi tempus reservo historiam, cum magnum ex terra in muli tergum pondus elevare, cum insigni contentione spinae conaretur: non modo trium costarum fracturam prope suam cum hac ipsa articulationem, perpessus est; sed post saevissimos ad has partes cruciatus, duosque praegrandes tumores, crurum atque vesicae *paresi* vaga, pulmonisque insigni suppuratione, sub enormi vomitu, enectus fuit; in ipsa tamen lumbalium vertebrarum specu nec minimum, quod medullam ibidem comprimeret, detegebatur; quo certe exemplo comparet: quod ganglia, quae ad utrumque spinae latus cum intercostali nervo sistuntur, interdum faciant, ut plura viscerum incommoda possint aeque medullae spinali, quam intercostali nervo adscribi.

Quos vero *ankilosis* ac ossea vertebrarum coalitio, aliquibus animalibus, ut equo, vel mulo, quam homini frequentior, in hunc ipsum effectus edat; et quae tandem ex spinae rigiditate potissime nascantur mala: haec, si totius staturae decrementum, majorem columnae vertebralis incurvationem, ac denegatae mobilitatis incommoda excipiamus, sat parum innotescunt; interim feminam *Bruchsaliensem* observavi, quae, cum per plurimos annos, rigidissima spina, tam incurvo

(1) Advers. Med. pract. Vol. II. Par II. De luxatione vertebrarum colli a medico forensi circumspecte disquirenda.

corpore incederet, ut truncus cum cruribus fere rectum constitueret angulum: sub ultimis miserrimae vitae annis, baculo licet suffulta, sub quovis ingressu, ex uno in alterum latus convulsivo quasi musculorum motu trahebatur; crura vix loco movendi potentia instructa, vacillans, totoque corpore tremens ac labefacta, perpetua salivatione madens, et stupida praetereuntium animos commiseratione implebat. Licet igitur decrepitae aetatis aerumnas ex variis in collabente machina erroribus derivandas esse, et ego facile concesserim; dubium tamen superesse mihi non potest, quin pars maxima illarum, non tam ex vasorum occlusione, ex solidorum mollium adaucta cordi resistentia, fluidorumque vitio; quam ex ipsius *medullae spinalis*, et nervorum, qui ex eadem proficiscuntur, impedimento, originem sumat. Hinc certe debilitas, vacillatio, tremor, macies summa, artuumque atrophia, — hinc vix non exstincta partium sensibilitas et calor, — hinc extremitatum inferiorum marmoreum frigus, gangraena sicca, — hinc varia indigestionis incommoda, et tusses frequentiores, et constans fere dyspnoea scaturiunt; et hinc denique obstructio alvi pertinax[1], et vesicae tam communis senibus in retinendo lotio impotentia derivanda est.

Sed quemadmodum ossa non aliis certe, quam caetera solida, morbis laborare observantur: sic et fabrefacta tot ex ossiculis columna spinalis ab iisdem immunis non existit. Nulla tam infensa ossibus est materia; quam quae in rachitide ac scrophulis, in syphilide atque in scorbuto, ac demum in rheumatica arthriticaque affectione praeparatur: atque ex his demum fontibus quamplurima in vertebralem columnam ejusque nervosam medullam propullulant mala: quae inter, verticulorum spongiosa luxuriansque intumescientia, compagis osseae caries, et ligamentorum articularium inflammatio, suppuratio, degeneratio, quae *cyphosin* efficiunt, vel osseae substantiae in ceream mollitiem mutatio, et singularis incurvatio, quae rachitidem constituit, potissima observantur. Ipsam adeo *spinam*, quam dicimus *bifidam*, ex mala ossium conformatione derivandam esse, acutissimi vir ingenii,

Illustris amicissimusque *Murrayus* censuit (1); fatendumque est, tam ipsum *hydrocephalum*, quam *rhachitidem*, certis interdum fere proprium familiis observari, matresque puerorum praedicto spinae vitio laborantium, non raro ex acri aut venereo, aut scrophuloso, aut demum alio, videri affectas. *De rhachitide adultorum*, hoc ipso in loco, paucos ante annos, disserui (2); et plura mihi ab eo tempore occurrerunt ejusdem exempla. Sed quod certe rarissimum esse affirmari potest, et ab unico tantum, quod sciam, observatore adnotatum: ut scilicet in virgine hectica viginti annorum, inter scapulas, — et in femina quinquaginta annorum, in fine ossis sacri, ex pondere majori nixu elevato, *spina bifida* conspecta sit (3); hoc, quemadmodum alibi (4) a me indicatum jam est, sed quod, ob dignitatem rei, suo hîc loco inserendum videtur, in archiatro *Badensi*, amicissimo quondam *Bachio*, contigit. Hic enim vir doctissimus, jam *quinquagenarius*, posquam in maniam miserrime incidisset, transactis pluribus sub delirio mensibus, fatuus stupidusque reddebatur. Cum vero, morbo in mortem properante, ad aegrotum vocatus accessissem: eundem rerum pene omnium, non tamen amici, ignarum, manibus trementem et cruribus fere paralyticum inveni. Non haesitavi, maniam, quae praecesserat, praesentemque fatuitatem a serosa ad cerebrum colluvie, et ex ejusdem in spinae cavum delapsu, tremores, paralysin deducere; sed de quo tunc minime quidem cogitavi, et quod Cl. *Schweikardus*, *Carolsruhae* urbis et nunc Medicus expertissimus, datis ad me literis communicavit, est *spina bifida* in adulto hoc subjecto, praeter omnem medentium exspectationem, detecta. Neque inficias iverim; interdum ad libras collectae in calvaria aquae copiam, dum in tenero infante ad specum vertebralem sibi viam paraverit, — vel ex hac ipsa ad cranium, ex *hydrorhachitide hydrocephalum*

(1) Spinae bifidae ex mala ossium conformatione initia. Goetting. 1779. recus in opusc. Vol II. pag. 193.
(2) Delectus Opusc. Vol. V. pag. 304.
(3) *Hoechstetter*. Diss. de spina bifida. In collect. *Halleri* Diss. pract. T. VII. P. I. pag. 491.
(4) Delectus Opuscul. med. Vol. II pag. 83 in not.

confectura, ascenderit, ob insignem fluidorum, columnae, tam altae, potentia, ipsius specus osseae dilatationem posse interdum, quo loco neonatorum vertebris spinae desunt, et tenera earundem ossicula conglutinat cartilago, *spinae bifidae*; et *herniae* medullae spinalis causam existere.

Subinde vero tum hujusce morbi, tum cyphosis symptomata; *sine* ipso ad vertebralem columnam *tumore externo* observari videntur: quod quinque abhinc annis in puerulo *Ticinensi*, ultra biennium nato, in caeteris sanissimo, nec ulli unquam externae violentiae, sed soli expulsionis cutaneae retrocessioni exposito subjecto suspicabar: cum eundem, crassum pinguemve, pavimento a matre impositum, solis brachiis repentem, reliquum vero trunci, et crura, miserando spectaculo post se trahentem, dolens conspexissem. Quare non sine ratione celeberrimus *Pottius*, in *externis* principium cyphosis tardius comparere, primum vero ad *interna* stragem suam parare advertit (1).

Toties vero spinalis columna, in puerili inprimis corpore, ex fonte rachitico, a debita figura abludit, et contorquetur: ut mirum esse dicatis *Auditores*! in tam multis gibbosis, et spina deformibus subjectis, medullam, quam haec ambit, non saepius offendi; nam, ut cum *Hippocrate* loquar: « multi sane jam » facili ac sano modo gibbositatem sustinuerunt usque » ad senectutem; et maxime hi, quibus ad carnosita- » tem ac pinguitudinem promptum fuerit corpus (2). » Interim, quod experientia hucusque confirmavit, et idem divinus senex edixit: « pauci talium sexaginta » annos transgressi; plerique vero brevioris vitae ob- » servantur (3) ». Fateor, me gibbosi multum hominis, qui crassus pinguisque simul fuisset, si puerulos fortassin excipiam, vix posse recordari; sed speciosior iterum *Coi* est observatio: « quibus quidem gibba fit » spina, dum pueri sunt; priusquam corpus ad au- » gmentum plenum perfectum fuerit: his corpus *juxta*

(1) Kleine Med. Chir. Abhandl. aus verschied. Sprachen I. Th.

(2) Lib. de Articulis.

(3) Loc. cit.

„ *spinam* coangeri non solet; sed crura quidem, ac manus perficiuntur, illae vero partes defectuosiores « fiunt (1) ». Hoc autem tam communis morbi phaenomenon ex musculorum non modo in aegrotante parte inertia, qua torositatem carnes suam amittunt, temporisque tractu contabescunt; sed cum hoc ipsum effectus potius, quam causa morbi esse queat; ex nervorum magis, quos musculis vicinis spina largitur, nunc compressione, nunc tensione, aut maceratione, atque ex impedita tum carnium, tum ipsius contextus cutanei nutritione, non difficulter explicatur.

Nec tamen in hac spinalium musculorum atrophia, gibbosi, aut cyphosi laborantis miseriae hominis conquiescunt; sed pro varia sede, et pro numero vertebrarum, quae naturalem situm, habitumque mutaverunt, incommoda differre observamus. Quod vero mentem non sine fundamento admiratione percellit, est: quod non quaevis spinae morbosa, et ex ossium mollitie, aut ex rachitide procedens incurvatio, licet admodum conspicua, paralysin producat, quam exiguus ad illam tumor ex acri, vel rheumatico, vel scrophuloso, vel demum alio (2), vix tamen *specifico* oriundus, non infrequenter progenerat; et quod, etiamsi exorta abhinc cyphosis supremas colli vertebras obsideat; non tamen brachiorum facile, sed *crurum* paralysis insequatur. Interim et *superiores* artus non infrequenter affectos se vidisse, licet cyphosis tales spinae partes occuparet, quae sat profunde *infra* originem plexus axillaris haererent, testatur *Jebbius* (3).

De *angina* ex colli vertebrae, ad intus luxatione, quam solus *Hippocrates* descripsit: caeteri, nisi repente lethalem, ut impossibilem, reiiciunt, alibi sermonem institui (4); quodsi vero contra tam magni observatoris tam claram, tamque distinctam morbi, epidemice adeo regnantis, descriptionem theoreticis, aut ex violenta

(1) Loc. cit.

(2) Neque a scrophulis oriri cyphosin, neque cariem *ordinariam* sistere, opinatur Cl. *Palletta*. Adversaria Chirurgica prima pag. 206. 207. 208.

(3) *Jebb*, über die Laehmung der unteren Gliedmasen. Neue Samml. fur Wundärzte 10. St.

(4) De rachitide adultorum. Delect. Opusc. Vol. V. pag. 304.

cervicis, semper certe lethali, laesione desumptis argumentis pugnare quodammodo liceat; fatendum tamen est *Auditores!* symptomatum, quae ab *Hippocrate* referuntur, cum recentiorum de nervis cervicalibus doctrina perbelle consentire, dicente. « sed et juxta « magnum verticulum cervicem repandam habere co- « guntur, ut ne caput ipsis cernuum sit. Multam igitur « angustiam faucibus exhibet etiam hoc os *introvergens.* « Nam et his, qui natura recti sunt, spirandi difficul- « tatem hoc os inducit, si introvergat, donec repres- « sum fuerit. Ob talem igitur figuram ejusmodi ho- « mines eminentis gutturis magis, quam sani, appa- « rent, et *tuberculis circa pulmonem* ac crudis ple- « rumque tales affecti sunt (1). »

Ex ipsa igitur cervicalis spinae subluxatione, tot dubiis huc usque subjecta, *Hippocrates pulmonum tubercula* derivavit; neque *Mercurialis*, qui ex his ipsis vertebrarum disjunctionem explicuit, Medicinae parentis opinionem attigisse videtur. Etiamsi vero *communem* cyphosis illius, quae cum extremitatum paralysi incedit, originem nequidem ex tuberculis cum spina ipsa connatis derivaverim; nollem tamen glandularum infarctus, in chronicas inflammationes, lentasque suppurationes tam pronos, totiesque articulis, ossibusque vicinis insidiosos, pro insontibus semper declarare, et caussarum *subluxationis*, ipsiusque cyphosis catalogo omnimode excludere. Quam vero in puellae cervice, ad *septimam* colli vertebram, post horrendam *gastrodyniam* observavit *Privatius*, et ex validis vomendi conatibus derivavit *Sauvagesius* (2); hanc certe, si virginis, paraplegia in duos menses protracta tandem enectae cadaver inspexisset: ex ipsis, ni fallor, vertebrarum corporibus, *interna* violentia disjunctis, quam ex stomacho inepte repetiisset.

Frequentior, quam alibi, ad *dorsum* spina incurvari, et cyphosi laborare, — ipsa vero hydrorachitis, licet ad *nucham* quoque, et ad *dorsum*, et interdum in duobus distinctisque locis oriatur (3); ad *lumbos*

(1) Loc. cit.

(2) Nosologiae method. P. II. p. 137.

(3) *Petr. Camper*, Mém. de la Societé R. de Méd. année 1784. 85. p. 61. 2.

tamen frequentius occurrit: quemadmodum nec desunt vertebralis columnae per totam longitudinem fissae non pauca exempla (1). Vix unum gibbosum; qui vel a motu leviori, vel a pastu, cum difficultate non respiraret, observavi, et in permultis singularem vocis sonum distinxi. Hinc iterum *Hippocratis* tum prima, tum optima symptomatum descriptio est, dicentis: « Quibus *supra* septum transversum gibbositas est, his et costae in « amplitudinem augeri non solent; sed in anteriorem « partem, et pectus acutum fit, sed non latum: ipsique et difficulter spirant, et stridulam faucium aspe- « ritatem habent (2) ». Major certe si *dorsales* vertebras occupaverit cyphosis, tum pulmonum, tum ipsius thoracis, et viscerum abdominalium affectio observatur: cujus, ex nervorum tum spinalium, tum intercostalium, et splanchnicorum origine, facilis est explicatio (3); cum, si profundior sit spinalis columnae laesio, alia longe, sed iterum notata *Hippocrati* symptomata offerantur: « Quibus vero infra septum « transversum gibbositas est, horum quibusdam morbi « *renum*, ac *vesicae* accedunt. Sed et *abscessus* ad « suppurationem, et circa laterum mollitudines, et « inguina diuturni, ac aegre curabiles, et neutri ho- « rum gibbositates solvunt. Coxae vero his magis « excarnes fiunt, quam quibus *superne* gibbositas « contingit. Universa tamen spina his longior est, « quam superne gibbis. Pubes vero et barba tardior « ac imperfectior. Sed et infecundiores hi sunt, quam « superne gibbosi (4) ». *Clinicum Ticinense*, elapso vix anno, adivit triginta trium annorum femina, cujus memorabilem historiam alio quondam in loco exponam; haec, a scabie cum unguentis persanata, pedum correpta est ulcere. Vix ichoris ex isto fluxus immi-

(1) *Bidlous*, Exercit. Anat. Chir. Dec. 2 p. 191. Tab. 3' 4. = *Hoin*, Mém. de l'Acad. de Dijon Vol. II. = et ill. quondam Collega *Josephus Nessi*, Instit. di Chirurgia P. I. §. 574 = Vertebrae omnes colli, et totidem ex thoracis vertebris, *bifidae* apud *Ruischium*, Thes. Anat. num 8.

(2) Loc. cit.

(3) Vid. eximium opus. Ill. Collegae et amici *Ant. Scarpa*, Anatomicarum annotat. l. I. et Cl. *Palletta* l. c. pag. 195. = *Ludwig*, l. c. Vol. I. P. V. pag. 323.

(4) Loc. cit.

nuebatur; cum tussis, dyspnoea, pectorisque oppressio, sub labore et moestitia major, et sputa interdum cruore remista comparerent. Clauditur in totum nunc ulcus, et descripta disparent symptomata, ut dirioribus locum concederent. Dolores nempe vagi et punctorii, nunc thoracis compagem, nunc scapulas, et sinistri lateris costas adoriuntur, spiritumque praepediunt. Post mensis spatium, ad spurias eiusdem lateris costas, prope ultimas dorsi vertebras, cruciatus fixantur, et insigniter furiunt. Nunc primûm tumor durus et indolens ad ovi magnitudinem in eodem spinae loco comparet. Pectoris affectio post triginta dies fere dissipatur: sed atrox nunc spinam excruciat dolor, qui per lumbos descendens, vertebramque a vertebra aegrotanti divellere visus, omnen flectendi trunci adimit potentiam. Octavae tunc et nonae dorsi vertebrae spina in conspicuam elevatur prominentiam, et dolores spinam deserentes, lumborum mollitudines et ilia invadunt. Tunc vero ex ipsa lumbali spina tumor alter, fere indolens, exsurgit, et utroque expanditur latere. Ac nunc tandem pedes frigescere, sub ingressu vacillare, et vix resistere, mox vero subsidium omne suum corpori recusare, nec tamen sensum amittere, inceperunt. Mingendi summa his jungitur difficultas, lotiumque cum ardore guttatim destillat, tandemque supprimitur totum. Atqui haec praecipuorum in tam funesto morbo symptomatum historia, *Hippocraticae* veritatem doctrinae abunde confirmat; nec ab illis fere haec differunt, quae tum a lapsu in lumbos descripsi (1), tum a variis super spinam factis depositionibus, hinc inde observavi.

Nec minor in *spinalem medullam*, quam ipsum in *cerebrum*, fortioris *concussionis* vis esse consuevit: ut vel haec sola, et quin aut humorum effusio, aut manifesta pulposae substantiae laesio accedat, subjectarum partium resolutionem, vel et gangraenam, interdum inducere valeat. Sic proprius ex fratre nepos, cum, in *Mediolanensi* nosocomio, quatuor virorum, ex altiori arbore in spinam delapsorum, et mox crurum paralysi affectorum, cadavera diligenter perlu-

(1) Delectus Opusc. Vol. VI. pag. 39. sub fine.

strasset; in cavo spinali, nec liquidi effusi, nec inflammationis, nec ullius laesionis vestigium detexit: neque alia medicorum in fastis exempla desunt, quae fortioris ad vertebralem columnam *concussionis* noxas fere easdem, quae ex cerebro, consimili ratione labefactato, oriuntur, abunde demonstrent. Quare iterum *Hippocrates*; „ multo plures, inquit, et cruribus, et manibus impotentes fiunt, et corpore torpescunt, et urinae his „ supprimuntur, quibus gibbositas quidem neque extra, neque intro exstiterit; verum in rectitudinem „ spinae *vehementer concussi* fuerint (1).

Summa vero tum spinae vertebralis, tum ipsius hac in specu latentis medullae, in suscipiendis morborum seminibus promptitudo est atque proclivitas; quamvis multorum hanc ad partem dolorum origo, ex nervorum super ipsis verticulorum corporibus in viscera thoracis et abdominis abeuntium irritatione videatur repetenda. Hi enim, tot sensibilissimi, tantisque inter se nexibus intricati funiculi *medullae spinalis* aut proles, aut nativitate conjuncti, vel minimas. quae his in organis exoriuntur, fideliter turbas referunt; tantumque spinae in has ipsas consensum implorant: ut, quem demum hostis assiderit angulum, difficulter eruamus. Quid quod multoties nervi, per *saturnina*, aut *acre rheumaticum* in ipso alimentari tubo, crudeli sub tormine, lacessiti, sola in medullarem spinae substantiam actione sua, extremitatum paralysin, cujus frustra in vertebris quaereretur origo, producant. Solo *variolarum* contagio, sub periculosis morbi circumstantiis, vehementissimi spinam dolores dilacerant: qui non minus *miliaria* interdum, morbosque gastricos comitantur. *Tetanum* tam vehementem ex febre biliosa, et miliari, ut non modo cyphosin produxerit, sed et in utroque thoracis latere costas in profundas foveas retraxerit, a me descriptum alibi habetis. Quinque in *Ticinensi* nosocomio aegrotos, duobus abhinc annis, observavimus: qui singuli, ob crurum paresin et tremores, gressus, nisi summa cum difficultate, nullos instituere potuerunt: quorum interim morbus, *abdominalem* magis, quam aliam habuisse originem videba-

(1) Loc. cit.

tur (1). Sanguini, licet non abundanti, ad uterum, ad vasa haemorrhoidalia, consueto appulsu haerenti opposita quaevis obstacula, — vel ipse demum abortus, aut partus mulieri instans, intolerabiles quandoque lumborum dolores excitant: quae tamen singula non *spinae* ipsius, sed viscerum cum eadem consensus, phaenomena sunt. Infelix interim medentes docuit experientia: non raro causam tantorum ad *spinam* dolorum, nunc in stimulatis verticulorum ligamentis, nunc vero in ipsa specu vertebrali residere; nec aliter *spina*, quam *capite*, hominem, dolere.

Quemadmodum vero *cephalaea*, quam *idiopathicam* salutamus, diversas in ipso capite, aut cerebro mutationes agnoscit, et alios gravissimae indolis affectus non raro disponit: sic et *rhachialgia* (liceat enim hoc nomen ad suam significationem reducere (2)) nunc ex majori cruoris ad vertebralem tubum appulsu, — nunc ex ejusdem singulari hanc ad partem confluxu seu *plethora spinali*, ex vasorum plenitudine varicosa, — nunc ex delitescente hîc locorum stimulante acrimonia, interdum ex nata vel in spinae periostio, vel in meninge, vel in pulpa medullari inflammatione, aliisque a caussis dependet. Summa vasorum encephali repletio et dilatatio, non raro vertiginem caducam, convulsiones, insultus apoplecticos,—ipsa vero sanguinis effusio toties apoplexiam inducit: quid demum ex aequali *spinalis medullae* affectione malorum orietur? experientia hîc silet fere; sed ratio suggerit, et paucorum cadaverum instituta ad spinam perlustratio jam dudum, quid in multis contineat, docere debuisset. Vix dubium mihi nascitur, *respirationis* effectus in *spinalem medullam* eosdem esse, quam in *cerebrum*; — venas sinusque vertebrales non minus nunc oppleri, nunc concidere magis; in longiori vero pulmonum contentione, eodem prorsus modo, ac ipsum ence-

(1) Singularis hujus morbi apud *transpadanos* hinc inde nunc occurrentis, et *raphaniae* affinis, alibi describam historiam.

(2) *Notialgiam*, a νωτός, *dorsum* et ἀλγέω, *doleo*, vocari voluit *delius*. Diss. de Notialgia, seu dolore dorsi, eoque vario. Erlangae, 1765.

halum, vertebrali in specu, momentanea plethora urgescere et inflari. Nec frequentius sub his ipsis ircumstantiis, *apoplexias*, quam *dimidii corporis resolutiones*, oriri crediderim. Ex diuturno in senibus d cervicem dolore, non raro futuram in iisdem *apoplexiam* praedicimus; et in multis *hemiplegia*, sine raevio apoplectico insultu comparens, quemcunque onvincet: in ipsa vertebrali specu talia contigisse, ualia si ad caput accidissent, *apoplecticum morbum* iceremus; nec certe hunc ipsum a *paralysi*, quam emper *Hippocrates apoplexiam* vocavit, nisi gradu ifferre videmus: ut ex sola cruoris in spinam effuone, *apoplexiam Duhamelius* observaverit.

Sua igitur cuivis *vertebrali capitulo* apoplexia est t paralysis, quousque propria dominatur nervosa ropagine, singulas sibi inferiores in vertebras extensa. Quamvis vero tum *Galeni* (1), tum *Halleri* (2), *Morgagnii* (3) atque *Dupuji* (4) observatio docere videatur, ll latus corporis resolvi, in quo *spinalis medulla* vulnus passa est, aut passionem; neque ejusdem medullae aliam fere, quam in altiori loco, in *calloso* nempe orpore, *decussationem* esse quaerendam: necdum tamen extra omnem dubitationis aleam res posita videtur; et cum vel ipse *Morgagnus paucarum medullae fibrarum decussationem* negare non sit ausus (5), uam et recentior anatomia ulterius confirmat (6); videtur omnino, ad has lites dirimendas majorem observationum numerum esse exspectandum. Certe puer, ui sagitta nervum cervicis percussit, mox altero pede orpore et atrophia correptus fuit (7). Vel in sinistri edis digito, vel ad suram, vel in poplite, vel ad emur ego acutum persentiam pruritum: ex *adversa emper* aure mihi tympanum citissimo motu convelli

(1) De locis affect. L. III. c. X. et de administrat. anat. . VIII. c. VI.
(2) Elem. Physiol. P. IV. pag. 334.
(3) Epist. Anat. XIII. art. 20. 21.
(4) Diss. med. de homine dextro et sinistro. Sect. 2. c. 1. § V.
(5) Loc. cit. artic. 21.
(6) *Io. Goth. Haase*, Cerebri, nervorumque corporis hum. natome repetita. §. LVIII.
(7) *Riolanus*, Antropograph. L. V. pag. 349.

et susurrus constanter percipio: quae singula ad *sinistram* aurem contingere sentio, ubi crus *dextrum* repentino stimulatur pruritu. Hemiplegicam in *Clinico Ticinensi* mulierem, ante annum, conspeximus: quae cum ex perfecta dextri lateris paralysi convalescere tantisper incepit, dextraeque digitos movere, conatibus magnis tentabat: hoc ipsum tamen, jussa, praestare non poterat; nisi *sinistram* sanamque simul manum validissime exerceret.

Valdopere dolendum esse arbitror, sinuum, venarumque medullam spinalem comitantium, necdum exactam satis apud anatomicos descriptionem haberi. Sed cum suus cuique verticulo circularis fere correspondeat sinus, quem longitudinalis, ex utroque spinae latere, sinus persecat; videmus utique *Auditores!* non exilem his ipsis contineri cruoris quantitatem. Atqui, cum venis hac specu exeuntibus valvularum desint officia, obque erectum hominis ingressum, non paucam certe in venoso hoc systemate ad difficilem sanguinis ascensum, occasionem latere perspicitis; inprimis dum vel in thoracis, vel in abdominis, pelvisque cavitatibus, tam facilis, tot ex causis, compressio truncorum, in quos deplentur, locum invenit. Non mirabimur hinc *Commilitones!* si ex suppresso fluxu vel menstruo, vel haemorrhoidali, — si in ultimis praegnationis temporibus, vel sub diuturna alvi obstructione, — si ab uteri inflammationibus, prolapsu, retroversione, ac scirrho, — si a colicis spasmodicis, aliisque demum causis, non *consensualis* modo ad spinam lumbalem dolor, sed *vera* sinuum venarumque vertebralium repletio, extensio, cruciatus spinae insignes, vel et crurum dolor, et ischias, et claudicatio, et inferiorum extremitatum tremores, convulsio, torpor et paralysis, vel et generalis et epileptica corporis concussio, et tetanus observentur. Hinc ex parce et paulisper fluentibus haemorrhoidibus tenebricosae apud *Hippocratem* vertigines, paralytici quid habentes, obortae sunt (1); hinc sub gestatione ponderis, brachium ex paralysi cecidisse in amico observavi, post paucas iterum horas in integrum restituto.

(1) Coac. praenot. num. 364.

ınc a nixu sub *partu* (1), sub vomitu (2) paralysis
ınotata est; et ab ipso mictu cruento et periodico
ıppresso, *Aretaeus* eandem conspexit (3).

Neque sub tanta ad *spinae plethoram* dispositione,
vel levis stimulus superaccedat; difficilis esse po-
st vertebralis canalis, et ipsius medullae spinalis
flammatio, quae vel ad *cervicales* vertebras, vel
ıod in *Clinico Instituto* non ita pridem observavimus
ıbique describam, quodque tum apud *Hippocra-
n* (4), tum apud *Ballonium* (5), *Allenumque* (6) sub
rsalis pleuritidis appellatione occurrit, ad *dorsi* con-
ıias, vel demum ad *lumbalia* verticula, dirissimi morbi
ıaginem sistet: cui sicut verum nomen deest; sic nul-
m in scholis considerationem concedi. fateamur!
ıet jam *Galenus* eundem observatione illustraverit,
cens: « Cecidit quidam ab alto in terram, ita, ut
dorsi initium affligeretur: is tertia die exiguam vo-
cem emisit; quarta deinde die omnino obmutuit:
resolutaque simul fuerant crura, manibus omnino
illaesis. Sed neque spirationem amittebat; difficulter
respirabat, — finita tandem *spinalis medullae inflam-
matione*, a septimo die vox restituta est juveni, et
crura motionis facultatem recuperaverunt (7). »

Hinc clarum redditur *Auditores*! cur abscessuum,
riei, et exostosium ad spinam, et in ipso ejusdem
vo detectorum, qualem egomet descripsi, hinc inde
empla occurrant (8); et cur tot infelices ab acri rheu-
ıtico hanc ad partem metastases mihi ipsi obvene-
t: ut, vix duobus abhinc annis, hanc solam ob
ıssam, nobilissimo, et longioris certae vitae digno
esciano Comiti, post diuturnam urinae suppressionem,
ırumque paralysin, misere fuerit pereundum.

1) *Frid. Hoffmannus*, Med. rat. syst. P. IV. p. m. 41.
2) *Swietenius*, Comment. P. III. p. 266.
3) De morb. diuturn c. 3.
4) De morbis. lib. III.
5) *Ballonius*, lib. de Pleuritide dorsali. op. omn. med. T. IV.
: 289.
6) Synops. univ. Med. pract. P. I. p. 165.
7) De locis affectis. C. VI.
8) Vid. *Joh. Goth. Hermanni*, Diss. de Osteosteatomate.
ss. 1767. = *Ludwig*. l. c. Vol. I. p. IV. pag. 740.

Certe ex tot arteriis, quae praeter *spinales*, quas cerebrum huc ablegat, per illa ipsa, quibus nervi et venae vertebrales egrediuntur, verticulorum foramina penetrant, et ad dorsum lumbosque, ex tanta aortae vicinia oriuntur; ad sanguinis copiam, quae columnam vertebralem alluit, et ad impetum concludimus, qua cruentus hic torrens, sub certis circumstantiis, medullarem substantiam inundat. Ex hoc appulsu, sub febrilis rigoris fortiori spasmo, sub validissimis intestinorum in colica agitationibus, sub viscerum obstructione notabili, sub ipsius aortae coarctationibus, aut aneurysmate, sanguinisque per coeliacam, aut per mesentericas arterias impedito decursu, tam insignis dorsum lumbosque tensio vexat, et fixus dolor; et ex hoc demum sanguinis ad spinam confluxu, *Hippocratis* locus intelligitur; « Quae *infra* « septi transversi juncturam ac connexionem gibba « fiunt: eorum aliqua solvunt *varices* in cruribus « fientes. Magis autem hae varices, quae in vena « juxta poplitem fiunt; fiunt autem et in vena circa « inguina. Jam vero quibusdam etiam dysenteria diu- « turna solvit (1). » Nec obscurus manet passus ille, quo ex gibbositate *infra* septi transversi cum spina juncturam, « fiunt, inquit, et *abscessus* ad suppura- « tionem, et circa laterum mollitudines et inguina « diuturni ac aegre curabiles; et neutri horum gib- « bositates solvunt; ut ipso iterum in *Clinico Instituto* talem ad *psoam* musculum abscessum usque ad inguen prominentem, cum vertebrarum carie, observaverim.

Quemadmodum vero praeter alias hydrocephali interni causas, non immerito *Witheringius* et ipsius *cerebri* inflammationem adducit: sic certe ab ipsa vertebrali specu vel medulla spinali, inflammatione correptis, serosus ac purulentus humor hoc in cavum effunditur, et *hydrorhachitidis saniosae* speciem producit. Nec *ossa* quidem ab *hydrope* immunia esse, recentiorum observata docuerunt; sed ipsam vertebralem columnam, sub *anasarca*, serosa colluvie repletam, quinque mihi cadavera hydropicorum dissecta ostenderunt: ut brachiorum ille in thoracis hydrope

(1) De articulis.

m *chronico*, tum eo, qui per inflammationis pulonalis vehementiam interdum contingit, *acuto*, toror, aut dolor, subinde non adeo ex aquis in ipso ectoris cavo stagnantibus; quam ex *sero*, brachialium ervorum initia ad cervicalem specum comprimente, ut irritante, oriri videatur (1); neque dubium supesse queat, *dyspnoeae* rationes saepenumero ad phreci *nervi* origines, vel ad nervorum, qui inter costas ecurrunt, principia *spinalia* haerere: quod *Lowveri* primis experimento comprobatur: qui *phrenicis* ners in animalibus scalpello incisis, mox respirationem, ualis in equis asthmaticis esse solet, perdifficilem eri, observavit.

Hydatides, quas et alii, et egometipse in cerebro on infrequenter invenimus, ad *medullam spinalem* aesisse ignoro; sed earundem in illo, et ipsius adeo eniae *hydatigenae* detecta nuper a *Wernero* atque *Fihero* existentia, probabilem mihi reddit sententiam: m hydropem, tum alia spinae incommoda, interdum his caussis scaturire.

In *maniacorum* cerebro non raro major omnino, iam in aliis hominibus, medullosae substantiae *duities* est observata (2); *spinalis* vero medulla, cererina naturaliter firmior, ab hoc vitio, quod plures erum sectiones me docuerunt, nequaquam exempla t; quin tamen, quam partem symptomatum praeessis in morbis habuerit haec mutatio, distinguere tis potuerim. Ad *Spigelii*, *Santorini*, *Riolani*, *Rolfinkii Binningeri* exemplum, *marcorem nervi optici* a dextri ulbo oculi, usque ad ejusdem thalamum, in muere observavi, quae *amaurosi* per multos annos *ad extrum* laboraverat oculum; sed quid ex medullae inalis rigiditate, aut marcore malorum proficiscatur: oc, nisi artuum atrophia, corporisque tabes fuerit, fficulter eruimus.

Quod si vero vero tabis, quam *dorsalem* vocamus, mptomata, singularem musculorum dorsalium, lumalium destructionem, dolorem capitis, cervicis, lumorum, formicarum per spinam decurrentium sensum,

(1) Delect. Opusc. Med. Vol. VI. pag. 23.
(2) Vid. Delectus Opusc. Med. Vol. I. p. 92. not.

artuum tremores, gravitatem, convulsiones, paralysin, articulorum cruciatus, facilesque seminalis liquoris jacturas, attenta mente rimemur: vereor, ne tantorum effectuum ad ipsam spinam, ejusque medullam interdum lateat. *Tabem coxariam* descripsit *Hippocrates*, quam ex *defluxione capitis per venas in spinalem medullam*, derivavit (1), monens: ex sanguinis interdum copia in medullam spinalem irruente, calorem ejus omnem et facultates suffocari (2). « Interdum vero, inquit, resicatur medulla spinalis maxime, cum » venulae ad medullam tendentes fuerint obturatae, » itemque ex cerebro accessus. Propter corporis autem afflictionem haec patitur, et aegrotat. Resicatur » etiam a venere, dolor acutus accidit ipsi in caput, » et in collum, et in lumbos, et in lumborum musculos, et in articulos crurum, ut aliquando flectere » non possit. Et stercus non secedit, sed sistitur. Et » urinae difficultate vexatur (3). » Quamvis vero *Hippocratis* haec de tabis caussa opinio, sectione cadaverum anatomicisque rationibus destituta ad nos pervenerit; vix tamen dubitaverim, nutritionem tum cerebri, tum medullae spinalis non semper esse eandem; vel saltem diversam subinde et in medulla spinali esse *duritiem*, quae toties in cerebro detecta fuit. In membranis cerebrum involventibus, in sinu falciformi, alibique, tum in ipsa arachnoidaea tunica spinae medullam ambiente, *osseas* lamellas apud ipsum *Morgagnum* reperimus: » non solum intra cranium, inquit » Vir summus, sed intra vertebrarum etiam tubum, » ibique in ipsa arachnoidaea, si non os, at ossis, ut » puto, inchoamentum conspexi (4). » Mense decembris anni 1786, cadaver coram vobis *Commilitonibus*, defuncti ex hydrope aegroti aperui: qui oculo sinistro fere coecutierat, et linguae laborans insimul vitio, dextri brachii *paresin* perpessus fuerat. Omnia quidem corporis cava, et ossea vertebrarum specus

(1) De glandulis. Edit. Foës. p. 273.
(2) Epid. V. et de intern. affect.
(3) De intern. affect.
(4) De sedib. et caus. morb. Ep. XXV. 9.

opiosissimo sero replcta erant; *nervi* vero omnes *duiores*, et medulla spinalis ad cervicem, naturali teuior duriorque apparebant: ut in medio aquarum *siccatam*, aut saltem compressione induratam, diere omnino ficnisset.

Atque haec tandem, *Commilitones optimi*! *Vos* de ertabalis columnae in morbis dignitate commonuisse ifficiat! caetera, quae temporis penuria ampliori diione eruere non sinit, et quae non minori, quam nsius cerebri affectiones, involvuntur caligine, *Vos* *si* diligentiori tam conspicuae partis, tum in aegronte corpore, tum in cadaveribus, examine suppleitis. Nunc ec. ec. (*a*).

(a) Extremas Orationis hujusce pagellas, siquidem hae menae Candidatos unice respiciunt, lubenter in hac editione eterivimus.

(*Nota Editoris*).

PREZZO DEL PRESENTE VOLUME

In tutto pag. 521. *Ital. lir.* 5. 21.